C. CORNELII TACITI

OPERA.

TOMUS SECUNDUS.

LL
T1186Br

C. CORNELII TACITI OPERA

RECOGNOVIT, EMENDAVIT,

SUPPLEMENTIS EXPLEVIT,

NOTIS, DISSERTATIONIBUS,

TABULIS GEOGRAPHICIS ILLUSTRAVIT

Gabriel BROTIER.

TOMUS SECUNDUS.



113879
2/6/11

PARISIIS,
Ex Typographia Ludovici-Francisci Delatour,
viâ San-Jacobeâ.

M. DCC. LXXI.
Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

C. CORNELII
TACITI
ANNALIUM

PARS ALTERA.

BREVIARIUM


LIBRI UNDECIMI.


I. *VALERIUS Aſiaticus, Vitellii; Poppæa, Meſſalinæ artibus evertuntur.* IV. *Equitibus Romanis perniciem adfert inſomnium.* V. *In advocatorum perfidiam lex Cincia flagitatur: pecuniis, quas caperent, poſitus modus.* VIII. *Parthi diſcordant: Bardanes cæditur: regnat Gotarzes.* XI. *Ludi ſæculares.* XII. *Inſana Meſſalinæ & Silii libido.* XIII. *Claudius, matrimonii ſui ignarus, munia cenſoria uſurpat: tres novas literas addit.* XV. *Senatuſconſultum de haruſpicum diſciplinâ.* XVI. *Cheruſcorum gens regem Româ petit.* XVIII. *Corbulo Chaucos reprimit: alia moliturus, cæſo Gannaſco, ni Claudius, ducis virtutem veritus, novam in Germanias vim prohibuiſſet.* XXI. *Curtii Rufi obſcuritas & incrementa.* XXII. *Cn. Novius cum ferro in Principem deprehenſus. Quæſturæ origo ac vices.* XXIII. *De ſupplendo ſenatu agitatur. Galli, civitate Romanâ pridem donati, jus adipiſcendorum in Urbe honorum, cauſam eorum orante Principe, adſequuntur.* XXV. *Luſtrum conditum.* XXVI. *Meſſalina,*

Silio palam nubit. Claudius trepidat: libertorum tamen impulſu in uxorem & libidinum miniſtros animadvertit.
XXXVIII. *Decreta Narciſſo quæſtoria inſignia.*

Hæc geſta annis fere duobus.

A. U. C.	J. C.		
DCCC.	47.	*Coſſ.*	Ti. Claudio Cæſare IV, L. Vitellio III.
DCCCI.	48.	*Coſſ.*	Aulo Vitellio, L. Vipsanio Poblicolâ.


35
40
45
50
55
S C Y T H I A
Danubius Fl.
D A C I A
Dacubius Fl.
M Œ S I A
M. Hæmus
Philippopolis
Cœletæ
Dyrrachium
MACEDONIA
THRACIA
Perinthus
Byzantium
Chalcedon
Propontis
Cyzicus
Ilium
Troja
Bithynia
Galatia
Phrygia
Lydia
Caria
Lycia
Pamphilia
Cilicia
Cappadocia
Pontus
Sinope
Trapezus
Aorsi
Siraci
Heniochi
Cohibus
MARE
PONTICUM
Corcyra
Nicopolis
Thessalia
Pharsalia
ACHAIA
Delphi
Eleusis
Corinthus
Messene
Sparta
Peloponesus
Athenæ
Andros
Euboea
Lesbos
Chios
Samos
Naxos
Delos
Cythnus
Seriphus
Cyclades
Amorgos
Miletus
Ephesus
Smyrna
Pergamus
Sardes
Apamea
Antiochia
Cybira
Aphrodisia
Stratonicea
Halicarnassus
Rhodus I.
Cythera
IONIUM MARE
Thermaicus Sin.
ÆGEUM MARE
MARE
Taurus Mons
Homonada
Anemurium
Euphrates Fl.
Sophene
Arsamosata
Comagene
Edessa
Anthemusias
Nicephorium
Antiochia
Seleucia
Laodicea
Carrhæ
Zeugma
Euphrates Fl.
MESOPOTAMIA
Tigranocerta
Nisibis
Creta I.
M. Ida
Carpathium Mare
Cyprus
Paphos
MEDITERRANEUM
Phœnicia
Berytus
Sidon
Tyrus
SYRIA
Galilæa
Ituræi
Jotapata
Tiberias
Carmelus M.
Cæsarea
Scythopolis
Samaria
Hierosolyma
Jamnea
Judæa
Machærus
Ascalon
L. Asphaltites
Cyrene
Alexandria antea Rhacotis
Canopus
L I B Y A
Hammonis Oraculum
Heliopolis
Memphis
ÆGYPTUS
Nilus Fl.
Thebæ
Nabatæi
A R A B
SINUS ARABICUS
Milliaria Romana
75
150
225
300
30
25
Guill De la Haye.


ASIA
ex Cornelio Tacito.
Auctor ROBERT DE VAUGONDY Geog.e Regis
et regiæ Academiæ Nanceianæ
Socius.
1770.
MARE CASPIUM
Tanais Fl.
Dandaradæ
ALBANIA
Via Caspia
IBERIA
Gorneæ
Artaxata
Araxes fl.
MENIA
Dahæ
PARTHI
Erindes Fl.
HYRCANIA
BACTRIANA
Arii
Tauraunites
Mardi
Adiabene
Ar bela
ASSYRIA
Echatana
MEDIA
Tigris fl.
Artemita
Elymæi
Seleucia
Ctesiphon
Tigris Fl.
Chaldæi
PERSÆ
Quod ad orientaliorum regionum cognitionem pertinet in tabulâ Orbis reperietur.
CARMANIA
SINUS PERSICUS
MARE RUBRUM
300
375
450
525
65
70
75
80
90
45
40
30
25

C. CORNELII *TACITI* ANNALES.

LIBER UNDECIMUS.

NAM VALERIUM Aſiaticum [1], bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum ejus [2] credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos [3] inſigni magnificentiâ extollebat, Suilium [4] accuſandis utriſque immittit. Adjungitur Soſibius,

A. U. C. 800. J. C. 47.

[1] NAM VALERIUM ASIATICUM] Initio hujus libri deſunt nonnulla, quæ ſupplevimus. Vide ſupplementum Annal. XI, poſt librum XVI. Annalium Taciti, editum. P. Valerius Aſiaticus bis Conſul fuerat. Primùm ſuffectus tantùm anno Urbis conditæ DCCXCVI. Secundùm triennio pòſt anno U. C. DCCXCIX. De hoc conſulatu plura diximus in ſupplemento Annal. X, 26 & ſeqq.

[2] ADULTERUM EJUS] Adulterum Sabinæ Poppææ, *ætatis ſuæ feminas pulchritudine ſupergreſſæ*, infrà Annal. XIII, 45.

[3] A LUCULLO CŒPTOS] L. Lucullus, militari laude, dein luxu clariſſimus, ingentes opes bellis feliciter geſtis partas impendit in deambulationum, balneorum ſubſtructiones, in tabulas, ſtatuas ac maximè hortos, qui ipsâ Plutarchi ætate, adultoque luxu, inter Principum ſumptuoſiſſimos annumerabantur, ὅπου καὶ νῦν, ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκούλλιανοὶ κῆποι, τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται, Plutarch. in Lucullo, pag. 518. Horti illi erant in clivo collis hortulorum, nunc *la Trinità de Monti*. Vide Donatum de urbe Româ III, 23.

[4] SUILIUM] De hoc terribili & venali homine plura infrà Annal. XIII, 42.

A. U. C. 800. J. C. 47.

Britannici educator, qui per ſpeciem benevolentiæ moneret Claudium, « cavere vim atque opes principibus infenſas: » præcipuum auctorem Aſiaticum interficiendi Cæſaris, non » extimuiſſe in concione populi Romani fateri, gloriamque » facinoris ultro petere [1]: clarum ex eo in Urbe, diditâ per » provincias famâ, parare iter ad Germanicos exercitus; quando » genitus Viennæ [2], multiſque & validis propinquitatibus ſub- » nixus, turbare gentiles nationes promptum haberet ». At Claudius, nihil ultrà ſcrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Criſpinum prætorii præfectum miſit: a quo repertus eſt apud Baias [3], vincliſque inditis, in Urbem raptus.

II. Neque data ſenatûs copia: intra cubiculum auditur, Meſſalinâ coram, & Suilio « corruptionem militum, quos » pecuniâ & ſtupro in omni flagitio obſtrictos » arguebat, exin « adulterium Poppææ », ac poſtremùm « mollitiam cor- » poris » objectante. Ad quod victo ſilentio, prorupit reus, & « Interroga », inquit, « Suili, filios tuos [4], virum me eſſe » fatebuntur »: ingreſſuſque defenſionem, commoto majorem in modum Claudio, Meſſalinæ quoque lacrimas excivit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum ſineret. Ipſa ad perniciem Poppææ feſtinat, ſubditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent: adeò ignaro Cæſare, ut, paucos poſt dies, epulantem apud ſe maritum ejus Scipionem percunctaretur, « cur ſine uxore » diſcubuiſſet »? [5] atque ille « functam fato » reſponderet.

III. Sed consultanti ſuper abſolutione Aſiatici [6],

[1] Ultro petere] De his jam dictum in ſupplemento Annal. IX, 4. Aſiaticum Valerium, Caii Caligulæ amicum, fuiſſe *ferocem virum, & vix æquo animo alienas contumelias laturum* docet Seneca de conſtant. ſapient. XVIII. Quam injuriam Caligula ei intulerit ibidem narrat.

[2] Viennæ] *Vienna*, Colonia *Allobrogum*, Plin. III, 4. *Vienne en Dauphiné.*

[3] Apud Baias] Nunc *Caſtello di Baja*, in Campaniâ.

[4] Filios tuos] Interroga filios tuos, mollitie libidineque infames; me virum eſſe fatebuntur. Fortè filiorum Suilii vitia quondam arguerat Aſiaticus, vir conſularis.

[5] Discubuisset] De hoc Romano more Cornelius Nepos, in præf. vit. Imp. *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Vide & Ciceronem Ep. ad Attic. V, 1.

[6] Absolutione Asiatici] Locum hunc variè ſollicitant, ac immutant interpretes. Plana tamen omnia, & eleganter dicta, ſi ad mentem Taciti

A. U. C. 800. J. C. 47.

flens Vitellius commemoratâ vetuſtate amicitiæ, utque Antoniam[1], Principis matrem, pariter obſervaſſent, dein percurſis Aſiatici in rempublicam officiis recentique adversùs Britanniam militiâ, quæque alia conciliandæ miſericordiæ videbantur: liberum ei mortis arbitrium permiſit: & ſecuta ſunt Claudii verba, in eamdem clementiam. Hortantibus dehinc quibuſdam inediam[2] & lenem exitum, remittere beneficium Aſiaticus ait: & uſurpatis quibus inſueverat exercitationibus, lauto corpore, hilarè epulatus, cùm ſe honeſtiùs calliditate Tiberii, vel impetu C. Cæſaris periturum dixiſſet, quàm quòd fraude muliebri & impudico Vitellii ore caderet, venas exſolvit: viſo tamen antè rogo, juſſoque transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur. Tantum illi ſecuritatis noviſſimæ fuit.

IV. Vocantur poſt hæc patres, pergitque Suilius addere reos equites Romanos inluſtres, quibus *Petra* cognomentum[3]; ac cauſa necis, quòd domum ſuam Valerii & Poppææ congreſſibus præbuiſſent. Verùm « nocturnæ quietis » ſpecies » alteri objecta, « tamquam vidiſſet Claudium ſpiceâ » coronâ evinctum, ſpicis retro converſis: eâque imagine » gravitatem annonæ dixiſſet ». Quidam « pampineam coronam » albentibus foliis viſam », atque « ita interpretatum » tradidêre, « vergente autumno mortem Principis oſtendi ». Illud haud ambigitur, qualicumque inſomnio, ipſi fratrique perniciem

& hiſtoriæ ſeriem attendatur. Scilicet Valerii Aſiatici defenſione commotus Claudius, ſuper abſolutione conſultat. Tum ſubdolus Vitellius, quem Meſſalina monuerat ne elabi reum ſineret, flens commemorat ſuam cum Aſiatico amicitiam, utque Antoniam, Claudii matrem, pariter obſervaſſent. Deinde percurrit varia Aſiatici in rempublicam officia, recentemque in Britanniâ militiam, & alia, quæ conciliandæ miſericordiæ videbantur. At veterator vitam Aſiatici non rogat; ſed, quaſi magnæ eſſet clementiæ, permittit Claudio mortis arbitrium, modò libera ſit. Et, quod Claudianæ in rebus gerendis imbecillitatis argumentum eſt, ſecuta ſunt ejus verba in eamdem clementiam. Unde meritò dixit Aſiaticus ſe honeſtiùs calliditate Tiberii, vel impetu Caii Cæſaris periturum, quàm quòd fraude muliebri, & impudico Vitellii ore caderet.

[1] Antoniam] Vide Stemma Cæſarum, num. 42.

[2] Quibusdam inediam] Fortè *quibuſdam ad inediam.* Dixit tamen Tullius Catilin. I, 12. *quod te jam dudum hortor.*

[3] Quibus Petra cognomentum] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 4. De equitibus illuſtribus dictum ſuprà Annal. II, 59.

allatam. Seſtertiûm quindecies [1], & inſignia præturæ Criſpino
A. U. C. 800. J. C. 47.
decreta. Adjecit Vitellius ſeſtertiûm decies [2] Soſibio : « quòd »Britannicum præceptis, Claudium conſiliis juvaret ». Rogatus ſententiam & Scipio [3] : « cùm idem », inquit, « de ad»miſſis Poppææ, ſentiam, quod omnes, putate me idem »dicere, quod omnes ». Eleganti temperamento inter conjugalem amorem, & ſenatoriam neceſſitatem.

V. Continuus inde & ſævus accuſandis reis Suilius, multique audaciæ ejus æmuli. Nam cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe trahens Princeps, materiam prædandi patefecerat: nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quàm advocatorum perfidia: adeò ut Samius inſignis eques Romanus, quadringentis nummorum millibus [4] Suilio datis, & cognitâ prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio, conſule deſignato, cujus de potentiâ & exitio in tempore memorabo [5], conſurgunt patres, legemque Cinciam [6] flagitant; quâ cavetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat.

VI. Deinde obſtrepentibus his quibus ea contumelia parabatur, diſcors Suilio Silius acriter incubuit, « veterum »oratorum » exempla referens, « qui famam in poſteros, præ»mia eloquentiæ cogitaviſſent pulcherrima. Alioquin & bo»narum artium principem ſordidis miniſteriis fœdari: ne fidem »quidem integram manere, ubi magnitudo quæſtuum ſpectetur. »Quòd ſi in nullius mercedem negotia ſint, pauciora fore:

[1] Sestertiûm quindecies] Monetæ Gallicæ libræ ſunt 291786.

[2] Sestertiûm decies] Monetæ Gallicæ libras 194531.

[3] Scipio] Maritus Poppææ Sabinæ. Eleganti quidem temperamento, tum ſenatoriæ neceſſitati paruit, tum conjugalem amorem ſervavit.

[4] Quadringentis nummorum millibus] Monetæ Gallicæ libris 77812.

[5] Memorabo] Infrà Cap. 12 & 35.

[6] Legemque Cinciam] Legem illam de donis & muneribus tulit M. Cincius Alimentus, tribunus plebis, anno U. C. dl. Sempronio & Cethego conſulibus. Vide Antonium Auguſtinum de legibus pag. 47. Eam antiquatam non modò reſtituit Auguſtus anno U. C. dccxxxii. ſed, qui aliquid mercedis accepiſſent, quadruplum pendere juſſit, teſte Dione LIV. pag. 533. τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον, ὅσον ἂν λάβωσιν, ἐκτίνειν ἐκέλευσε. Claudius tamquam legis auſteritatem moderatus, *capiendis pecuniis* poſuit modum uſque ad dena ſeſtertia, quem egreſſi repetundarum tenerentur, ut dicetur cap. 7.

»nunc

» nunc inimicitias, accuſationes, odia, & injurias foveri; » ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, ſic fori » tabes pecuniam advocatis ferat. Meminiſſent C. Aſinii, & » Meſſalæ, ac recentiorum Arruntii & Eſernini [1]: ad ſumma » provectos incorruptâ vitâ & facundiâ. » Talia dicente conſule deſignato, conſentientibus aliis, parabatur ſententia, quâ lege « repetundarum tenerentur »: cùm Suilius, & Coſſutianus [2], & ceteri, qui non judicium (quippe in manifeſtos) ſed pœnam ſtatui videbant, circumſiſtunt Cæſarem, antè acta deprecantes. Et poſtquam annuit, agere incipiunt.

A. U. C. 800.
J. C. 47.

VII. « Quem illum [3] tantâ ſuperbiâ eſſe, ut æternitatem » famæ ſpe præſumat? uſui & rebus ſubſidium præparari, ne » quis inopiâ advocatorum potentioribus obnoxius ſit. Neque » tamen eloquentiam gratuitò contingere: omitti curas fami- » liares, ut quis ſe alienis negotiis intendat: multos militiâ, » quoſdam exercendo agros tolerare vitam: nihil a quoquam » expeti, niſi cujus fructus antè providerit. Facilè Aſinium, » & Meſſalam, inter Antonium & Auguſtum bellorum præmiis » refertos, aut ditium familiarum heredes Eſerninos & Arrun- » tios, magnum animum induiſſe. Prompta ſibi exempla, quantis » mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari ſoliti ſint: » ſe, modicos ſenatores, quietâ republicâ, nulla, niſi pacis,

[1] Arruntii et Eſernini] Jam memorati ſuprà Annal. III, 11.

[2] Cossutianus] De quo plura infrà Annal. XIII, 33.

[3] Quem illum] Quem oratorem adeò ſuperbum eſſe, ut ſpe præſumat æternitatem famæ? Hominum uſui, rebuſque publicis ſubſidium in arte oratoriâ præparari, ne quis, oratorum auxilio deſtitutus, potentiorum injuriis pateat obnoxius. At utiliſſimam illam eloquentiam gratuitò non contingere: ipſas familiares curas omitti, ut orator ſe alienis negotiis intendat. Ceteros homines vel militiâ, vel exercendo agros, vel aliis artibus vitam tolerare; nihilque muneris a quoquam mortalium ſuſcipi, niſi cujus fructus aliquos antè præviderit. Potuiſſe, & quidem facilè, tum Aſinium & Meſſalam, refertos præmiis bellorum, quæ Antonium inter & Auguſtum exarſêre, tum Eſerninos & Arruntios, ditium familiarum heredes, magnum animum induere. At ſibi quoque prompta eſſe exempla quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, cauſas agere ſoliti ſint. Se, modicos ſenatores, nulla, in hac reipublicæ tranquillitate, niſi pacis emolumenta petere. Demum Princeps cogitaret plebem, quæ togâ eniteſceret. Sublatis ſtudiorum præmiis, etiam ſtudia, ac maximè apud plebem, peritura. Porro hac ætate eò magis conſulendum erat plebi, quòd nobiles ac divites, luxui voluptatibuſque dediti, oratoriæ artis labores dedignabantur.

A. U. C. 800. J. C. 47.

» emolumenta petere : cogitaret, plebem, quæ togâ eniteſceret : » ſublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peritura ». Ut minùs decora hæc, ita haud fruſtra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis poſuit modum [1], uſque ad dena ſeſtertia [2], quem egreſſi repetundarum tenerentur.

VIII. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitaſſe Armeniis, & ad præſentiam Cæſaris [3] vectum memoravi [4], monente Claudio, in regnum remeavit, fiſus Pharaſmanis opibus. Is rex Iberis [5], idemque Mithridatis frater, nuntiabat « diſcordare Parthos : ſummaque imperii ambigua, minora » ſine curâ haberi. » Nam inter Gotarzis pleraque ſæva (qui necem fratri Artabano [6], conjugique ac filio ejus properaverat, unde metus ejus in ceteros) accivêre Bardanen. Ille ut erat magnis auſis promptus, biduo tria millia ſtadiorum [7] invadit, ignarumque & exterritum Gotarzen proturbat : neque cunctatur, quin proximas præfecturas [8] corripiat, ſolis Seleucenſibus dominationem ejus abnuentibus : in quos, ut patris ſui quoque defectores, irâ magis, quàm ex uſu præſenti [9] accenſus, implicatur obſidione urbis validæ, & munimentis objecti amnis [10], muroque & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes,

[1] Posuit modum] Senatuſconſulto, de quo vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 7.

[2] Ad dena sestertia] Monetæ Gallicæ libras 1945. Hæc quidem non in omnibus cauſis accipiebant ; ſed modum illum ne in gravioribus quidem egredi poterant. Unde in Digeſt. lib. L. Tit. 13. de extraordinariis cognitionibus. Leg. 1. ex Ulpiano. *Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis uſque ad centum aureos.*

[3] Cæsaris] Caii Caligulæ.

[4] Vectum memoravi] Hæc Annalium pars periit. Nos diximus in ſupplemento Annal. VIII, 34.

[5] Is rex Iberis] Vide ſuprà Annal. VI, 32.

[6] Necem fratri Artabano] Alia narrat Joſephus Antiq. Judaic. XX, 3. ſed errat. Vide Canonem regum Parthorum inter Notas & Emendationes ad Annal. II, 1.

[7] Tria millia stadiorum] Totidem eodem tempore emenſus eſt Annibal, a Scipione victus, teſte Appiano, pag. 26. Bell. Punic. Major adhuc admiratio & laus, *ſi quis cogitet nocte ac die longiſſimum iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emenſum, feſtinantem ad Druſum fratrem, ægrotantem in Germaniâ : in eo fuerunt* cc. m. *paſſuum*, id eſt leucæ Gallicæ ferme 67, Plin. VII, 20. Tria autem millia ſtadiorum ſunt tantùm leucæ Gallicæ 124.

[8] Proximas præfecturas] Præfecturas illas alii ſatrapias, alii provincias appellant. Nobis vulgò, *des gouvernements.*

[9] Quam ex usu præsenti. Nec enim vindicandæ injuriæ, cùm paranda benevolentia.

[10] Objecti amnis] Amnis ille Tigris eſt.

Daharum Hyrcanorumque [1] opibus auctus, bellum renovat: coactuſque Bardanes omittere Seleuciam [2], Bactrianos [3] apud campos caſtra contulit. A. U. C. 800. J. C. 47.

IX. Tunc, diſtractis Orientis viribus, & quónam inclinarent incertis, caſus Mithridati datus eſt occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda caſtellorum ardua, ſimulque Ibero exercitu campos perſultante. Nec enim reſtitêre Armenii, fuſo, qui prœlium auſus erat, Demonacte præfecto. Paullulum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys [4], verſis illuc quibuſdam procerum; dein literis Cæſaris coërcitus: & cuncta in Mithridaten fluxêre, atrociorem, quàm novo regno conduceret. At Parthi imperatores, cùm pugnam pararent, fœdus repentè faciunt, cognitis popularium inſidiis, quas Gotarzes fratris F. patefecit [5]: congreſſique, primò cunctantur; deinde complexi dextras, apud altaria deûm pepigêre, « fraudem inimicorum ulciſci, atque ipſi inter ſe » concedere ». Potior Bardanes viſus retinendo regno. At Gotarzes, ne quid æmulationis exſiſteret, penitus in Hyrcaniam abiit: regreſſoque Bardani deditur Seleucia, ſeptimo poſt defectionem anno; non ſine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluſerat.

X. Exin validiſſimas præfecturas invaſit: & reciperare Armeniam [6] parabat, ni a Vibio Marſo, Syriæ legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes pœnitentiâ conceſſi regni, & revocante nobilitate, cui in pace durius ſervitium eſt, contrahit copias: & huic contrà itum ad amnem Erinden [7]: in cujus tranſgreſſu multùm certato, pervicit Bardanes, proſperiſque prœliis medias nationes ſubegit ad

[1] Daharum Hyrcanorumque] Dahæ, *le Dahiſtan;* Hyrcani, *le Mazanderan*, & *le Corcan.*

[2] Seleuciam] De hac urbe ſat dictum Annal. VI, 42.

[3] Bactrianos] Bactriana, Oxo flumini vicina, nunc *le Khoraſan.*

[4] Cotys] Armeniam minorem a Caio Caligulâ acceperat, ut dictum in ſupplemento Annal. VII, 36.

[5] Fratris F. patefecit] Gotarzes inſidias patefecit Bardani, fratris ſui (Artabani) filio. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 9.

[6] Reciperare Armeniam] A Mithridate occupatam, cap. ſup.

[7] Ad amnem Erinden] Amnis ille, Hyrcaniæ, ſoli Tacito memoratus, fortè eſt *la riviere d'Eſter*, qui in mare Caſpium influit. Certè ab illo fluvio non diſſitus.

A. U. C. 800. J. C. 47.

flumen Sinden [1], quod Dahas Arioſque diſterminat. Ibi modus rebus ſecundis poſitus: nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam aſpernabantur. Igitur, exſtructis monimentis, quibus opes ſuas teſtabatur, nec cuiquam antè Arſacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur: ingens gloriâ, atque eò ferocior, & ſubjectis intolerantior: qui dolo antè compoſito, incautum venationique intentum [2] interfecêre, primam intra juventam, ſed claritudine paucos inter ſenum regum, ſi perinde amorem inter populares, quàm metum apud hoſtes, quæſiviſſet. Nece Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten, prolem Phraatis [3], obſidio nobis datum. Deinde prævaluit Gotarzes: potituſque regiam, per ſævitiem ac luxum adegit Parthos mittere ad Principem Romanum occultas preces, quîs « permitti Me» herdaten patrium ad faſtigium » orabant.

XI. Iisdem conſulibus ludi ſæculares [4] octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo [5] quàm Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Utriuſque Principis rationes [6] prætermitto, ſatis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani compoſui: nam is quoque edidit ludos ſæculares, iiſque in-

[1] Ad flumen Sinden] Flumen illud videtur eſſe, quod nunc dicimus *Heri-rud*, vel *la riviere d'Herat*. De Dahis jam dictum ſuprà. Finitimi Arii, Ortum verſùs.

[2] Incautum venationique intentum] Quòd Izati bellum inferret, & adverſùs Romanos meditaretur, interfectum Bardanen tradit Joſephus Antiq. Judaic. XX, 3. Haud ſatis diligens, ut videtur, hac in re ſcriptor.

[3] Prolem Phraatis] Nepotem Phraatis IV, de quo infrà, XII, 10. Vide & Canonem regum Parthorum inter Notas & Emendationes ad Annal. II, 1.

[4] Ludi sæculares] De his ludis nummum protulit Harduinus, Opera Select. pag. 719. TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. VII. IMP. IIII. In adverſâ parte SAECVLARIA SACRA. At cùm nummum illum argenteum apud D. Fountaine, Equitem Anglum, vidiſſet, adulterinum eſſe deprehendit, ut conſtat ex ſchedis ejus Mſſ. Plura de ſæcularibus ludis dicemus in Notis & Emend. ad Annal. XI, 11.

[5] Quarto et sexagesimo] Ludos illos, Horatiano hymno percelebres, ediderat Auguſtus anno U.C. DCCXXXVII. C. Furnio & C. Silano conſulibus. Dio LIV. pag. 533.

[6] Utriusque Principis rationes] Quas temporum rationes, quæ intervalla ſint ſecuti Auguſtus & Claudius prætermitto. Id ſatis narratum libris, quibus res imperatoris Domitiani compoſui. Libri illi periêre. At de his rationibus dicetur ſatis in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 11. Vide & ſupplementum ad annum U. C. DCCCXLI, quo ludos ſæculares fecit Domitianus.

A. U. C. 800. J. C. 47.

tentiùs adfui, ſacerdotio quindecimvirali prææditus, ac tum prætor: quod non jactantiâ refero, ſed quia collegio quindecimvirûm [1] antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimùm exſequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio Circenſibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Trojæ [2] inirent, interque eos Britannicus, imperatore genitus, & L. Domitius [3] adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adſcitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præſagii acceptus eſt: vulgabaturque « adfuiſſe infantiæ ejus » dracones in modum cuſtodum »; fabuloſa [4] & externis miraculis adſimulata: nam ipſe, haudquaquam ſui detractor, « unam omnino anguem in cubiculo viſam » narrare ſolitus eſt.

XII. Verùm inclinatio populi ſupererat ex memoriâ Germanici, cujus illa reliqua ſuboles virilis: & matri Agrippinæ miſeratio augebatur, ob ſævitiam Meſſalinæ: quæ ſemper infeſta, & tunc commotior, quominus ſtrueret crimina & accuſatores, novo & furori proximo amore detinebatur. Nam in C. Silium [5], juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarſerat, ut Juniam Silanam [6] nobilem feminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii, aut periculi, neſcius erat; ſed certo, ſi abnueret, exitio, & nonnullâ fallendi ſpe, ſimul magnis præmiis, opperiri

[1] Collegio Quindecimvirûm] Inde in nummis Auguſti, qui ad ſæculares ludos pertinent, memorantur XVSF. Id eſt quindecimviri ſacris faciundis. Vide Theſaurum Morel. Tom. I. pag. 325. Huc quoque ſpectat Horatius in Carm. ſæc. v. 69.

Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Dianæ preces virorum
Curat.

[2] Ludicrum Trojæ] Ludicrum illud, bellique Trojani imitamen, ab Æneâ inventum, egregiè deſcribit Virgilius Æneïd. V, 545 & ſeqq. Edidit quoque Julius Cæſar, teſte Suetonio in Jul. XXXIX. *Trojam luſit turma duplex, majorum minorumque puerorum.* Inde intelligas favorem plebis, cùm Britannicus & Domitius, quiſque turmæ ſuæ præeſſent.

[3] L. Domitius] Cn. Domitio & Agrippinâ Germanici filiâ genitus, poſtea Princeps. Vide Stemma Cæſarum, num. 35.

[4] Fabulosa] Originem fabulæ docet Suetonius in Ner. VI. *Quæ fabula exorta eſt, deprehenſis in lecto ejus circùm cervicalia ſerpentis exuviis.*

[5] In C. Silium] De eo ſuprà cap. 5. Juvenalis quoque X, 331.

—— Optimus hic & formoſiſſimus idem,
Gentis patriciæ rapitur miſer exſtinguendus,
Meſſalinæ oculis.

[6] Juniam Silanam] De illâ infrà Annal. XIII, 19.

A. U. C. 800. J. C. 47.

futura, & præſentibus frui, pro ſolatio habebat. Illa non furtim, ſed multo comitatu ventitare domum; egreſſibus adhæreſcere; largiri opes, honores: poſtremò, velut tranſlatâ jam fortunâ, ſervi, liberti, paratus Principis apud adulterum viſebantur.

XIII. At Claudius matrimonii ſui ignarus [1], & munia cenſoria uſurpans, « theatralem populi laſciviam » ſeveris edictis increpuit, « quòd in P. Pomponium conſula- » rem [2] » (is carmina ſcenæ dabat) « inque feminas inluſtres probra jecerat ». Et lege latâ, ſævitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum [3] pecunias filiis familiarum fenori darent: fonteſque aquarum, ab Simbruinis collibus [4] deductos, Urbi intulit. Ac novas literarum formas addidit, vulgavitque: comperto Græcam quoque literaturam non ſimul cœptam, abſolutamque.

XIV. Primi per figuras animalium [5] Ægyptii ſenſus mentis effingebant (ea antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur) & « literarum ſemet » inventores » perhibent. « Inde Phœnicas [6], quia mari præ- » pollebant, intuliſſe Græciæ [7], gloriamque adeptos, tamquam

[1] Matrimonii sui ignarus] Claudius rerum ſuarum domeſticarum, & uxoriæ libidinis ignarus.

[2] P. Pomponium consularem] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 13.

[3] In mortem parentum] Solvendas, mortuis parentibus. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 13.

[4] Ab Simbruinis collibus] Colles illi, inter ſacrum ſpecum, nunc *il monaſtero del ſacro ſpeco*, & Sublaqueum, nunc *Subjaco*, conſpicui, agrum Romanum Orientem verſùs terminant. Hæc Romanis notiſſima breviſſimè ſcripſit Tacitus: nunc verò haud ſatis nota explicare & illuſtrare juvat ex Plinio XXXVI, 15. num. 10. *Vicit antecedentes aquarum ductus noviſſimum impendium operis inchoati a Caio Cæſare, & peracti a Claudio. Quippe a lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur influxêre Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus ſeſtertiûm* $\overline{\text{LVD}}$. *Quod ſiquis diligentiùs æſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis exſtructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum.* $\overline{\text{LVD}}$, id eſt quinquagies quinquies & quingenties centena millia ſeſtertiûm, efficiunt monetæ Gallicæ libras 10,797,624. De hoc admirando opere plurimæ exſtant Inſcriptiones, quas vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 13.

[5] Primi per figuras animalium] Vide Notas & Emend. ad Annal. XI, 14.

[6] Inde Phœnicas] Quiſquis Phœnicias literas umquam vidit, non ex Ægyptiis animalium figuris, ſed ex Samaritanis lineis adumbratas fatebitur. Hujuſque rei locupletiſſimi teſtes ſunt Phœnicum inſcriptiones nummique ſatis obvii.

[7] Intulisse Græciæ] Verè quidem;

A. U. C. 800. J. C. 47.

» repererint, quæ acceperant ». Quippe fama eſt « Cadmum » claſſe Phœnicum vectum [1], rudibus adhuc Græcorum » populis artis ejus auctorem fuiſſe ». Quidam « Cecropem [2] » Athenienſem, vel Linum Thebanum [3], & temporibus » Trojanis Palamedem Argivum [4] » memorant, « ſexdecim » literarum [5] formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem [6] » ceteras reperiſſe ». At in Italiâ Etruſci ab Corinthio Demarato [7], Aborigines Arcade ab Evandro [8] didicerunt: & formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum [9]. Sed nobis quoque

idque probat vetuſtiſſimus Lapis Sigeus, quem in lucem protulit & commentariis illuſtravit eruditus Chishull, Antiquitates Aſiaticæ, pag. 4. & ſeqq. Apud eumdem auctorem pag. 24 vide Naturæ atque orbis alphabetum.

[1] VECTUM] Circiter ſexcentos annos ante Romam conditam. Bene apud Plinium VII, 56. quidam volunt *in Græciam intuliſſe e Phœnice Cadmum* literas *ſedecim numero*.

[2] QUIDAM CECROPEM] Fortè rudia quædam ſigna, ut reperta ſunt apud Mexicanos; certè literas Græcas non invenit Cecrops, Athenienſium regni fundator pluſquàm octingentis annis ante Romam conditam.

[3] LINUM THEBANUM] Non literarum, ſed rhythmorum & melodiæ primus apud Græcos inventor fuit Linus, ut teſtatur Dionyſius apud Diodorum Siculum III. pag. 140. *Φησὶ τοίνυν παρ' Ἕλλησι πρῶτον εὑρετὴν γενέσθαι Λῖνον ῥυθμῶν καὶ μέλους.* Vixit Linus ferme quingentis annis ante Romam conditam.

[4] PALAMEDEM ARGIVUM] Literas non reperit. Sed, ſedecim inventis, fertur *Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figurâ* Θ Ξ Φ Χ, Plin. VII, 56. Troja capta quadringentis triginta annis ante Romam conditam. Ante Trojana tempora literas apud Græcos fuiſſe, quicumque Homerum legerit, haud inficiabitur. Nec temere eruditus Galeotti ad unum ex literarum inventoribus gemmam retulit, quæ exſtat Tab. IV. Franciſci Ficoronii, Gemmæ Antiq. litter. pag. 81.

[5] SEXDECIM LITERARUM] Primigeniæ illæ ſexdecim literæ fuerunt Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ.

[6] ALIOS, AC PRÆCIPUUM SIMONIDEM] Quatuor quoque literas poſt Palamedem adjeciſſe *Simonidem Melicum*, Ζ Η Ψ Ω, tradit Plinius, loc. cit. Ariſtoteles apud eumdem Plinium *duas ab Epicharmo additas* Θ Χ, *quàm a Palamede mavult*. Antequam inventa fuiſſet litera Η, utebantur Ε. Unde in veteribus nummis ΑΘΕ. ΘΕΒ. pro ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΘΗΒΑΙΩΝ.

[7] ETRUSCI AB CORINTHIO DEMARATO] Hic Demaratus longè antiquior eſt Corinthio Demarato, Tarquinii priſci patre, quem memorat Plinius XXXV, 3 & 12. Paulo ante Trojana tempora Etruſcos literas a Demarato accepiſſe arbitror. Idque ſuadet tabula Eugubina, quam vulgavit & explicavit V. Cl. Gori, Muſeum Etruſcum pag. LIIII & ſeqq. probat quoque Plinius XVI, 44. *Vetuſtior autem Urbe in Vaticano ilex, in quâ titulus æreis litteris Etruſcis, religione arborem jam tum dignam fuiſſe ſignificat.*

[8] ABORIGINES ARCADE AB EVANDRO] Sexaginta annis ante Trojanum excidium Evander ex Arcadiâ in Italiam venerat. Eò quoque longè ante ex Arcadiâ appulerant Aborigines, qui ab Evandro literas didicêre. Ergo ante Aboriginum diſceſſum literæ in Arcadiâ nondum innotuerant.

[9] VETERRIMIS GRÆCORUM] Ita quoque Plinius VII, 57 & 58. *Gentium conſenſus tacitus primus omnium conſpiravit, ut Ionum literis uterentur. Veteres Græcas fuiſſe eaſdem pæne, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula, quæ eſt hodie in Palatio.* Ergo Plinius vidit literas Latinas veteribus Græcis, ſeu Ionicis ſimiles eſſe. At Herodotus Ionicas vetereſque Græcas eaſdem eſſe cum Cadmæis Phœniciiſque literis docet, oculatus

A. U. C. 800. J. C. 47.

paucæ primùm [1] fuêre: deinde additæ ſunt [2]. Quo exemplo Claudius tres literas adjecit [3], quæ uſui imperitante eo, pòſt obliteratæ, aſpiciuntur etiam nunc in ære [4] publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo.

XV. Retulit deinde ad ſenatum ſuper collegio haruſpicum [5], ne « vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam »exoleſceret: ſæpe adverſis reipublicæ temporibus accitos, »quorum monitu redintegratas cærimonias, & in poſterum »rectiùs habitas: primoreſque Etruriæ ſponte, aut patrum »Romanorum impulſu [6], retinuiſſe ſcientiam, & in familias »propagaſſe: quod nunc ſegniùs fieri, publicâ circa bonas »artes ſocordiâ, & quia externæ ſuperſtitiones valeſcant. Et »læta quidem in præſens omnia; ſed benignitati deûm gratiam

& ipſe teſtis, in Terpſichore V, 58 & 59. Phœnicias verò, quæ adhuc exſtant in nummis aliiſque monumentis, a Samaritanis profluxiſſe manifeſtum erit omnibus, qui utraſque, vel Eduardi Bernardi tabulam, a Cl. Morton editam, inſpexerint.

[1] Paucæ primùm] Paucæ quidem & rudes, rudioribus adhuc verbis. Unde apud Livium VII, 3. memoratur *lex vetuſta priſcis literis, verbiſque ſcripta*, anno U. C. ccccxci. A. C. 363. Quámque *raræ per ea tempora literæ* forent teſtatur. Egregium obſoletæ illius vetuſtatis monumentum exſtat in inſcriptione L. Scipionis Barbati, exaratâ circa annum U. C. cdlvii. quam multâ cum laude explicavit eruditus Sirmondus.

[2] Additæ sunt] Quæ & quando additæ ſint prolixè & inutiliter diſputant Grammatici. Vide ſi vis Cl. Bouhier, diſſert. de priſcis Græcorum & Latin. literis, ad calcem Palæographiæ Græcæ eruditi de Montfaucon.

[3] Tres literas adjecit] De literis a Claudio adjectis longiùs foret hìc diſputare. Itaque vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 14.

[4] In ære] Id eſt, ut opinor, in titulo æris, per fora ac templa fixi, quo publicabantur plebiſcita. Sub ipſis imperatoribus fuiſſe plebiſcita innuit Tacitus Annal. XII, 41. docetque lex Regia. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 14.

[5] Haruspicum] Exta, fulgura, portenta interpretabantur haruſpices. Vide Tullium, de Divinatione, I, 18. II, 22. Eorum diſciplina apud Etruſcos vetuſtiſſima & celeberrima. Ut Roma ipſa conderetur, a Romulo acciti ſunt, teſte Plutarch. in Romul. pag. 23. *ᾤκισε τὴν πόλιν, ἐκ Τυῤῥηνίας μεταπεμψάμενος ἄνδρας ἱεροῖς τισι θεσμοῖς καὶ γράμμασιν ὑφηγουμένους ἕκαστα καὶ διδάσκοντας, ὥσπερ ἐν τελετῇ. Urbem condidit, accitis ex Etruriâ viris qui, velut in myſteriis, quid faciendum eſſet cærimoniis quibuſdam & ſcriptis præſcriberent & docerent.*

[6] Patrum Romanorum impulsu] Hæc illuſtrat Tullius de Divin. I, 41. *Etruria autem de cælo tacta ſcientiſſimè animadvertit: eademque interpretatur quid quibuſque oſtendatur monſtris atque portentis. Quocirca bene apud majores noſtros ſenatus tum, cùm florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis ſex* (potiùs bis ſex) *ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæſtum.* Vide quoque Valerium Maximum I, 1. num. 1. *Haruſpices Fulguriatores* memorat Cl. Gori, Muſeum Etruſcum, Tom. II, pag. 78; & apud Fabrettum, Inſcript. Dom. cap. X, num. 57. haruSPEX EXTISPICUS.

»referendam,

A.U.C. 800. J.C. 47.

»referendam [1], ne ritus ſacrorum inter ambigua culti, per »proſpera obliterarentur». Factum ex eo ſenatuſconſultum: « viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruſpicum».

XVI. Eodem anno Cheruſcorum gens regem Româ petivit [2], amiſſis per interna bella nobilibus, & uno reliquo ſtirpis regiæ, qui apud Urbem habebatur, nomine *Italicus*. Paternum huic genus e Flavio [3], fratre Arminii; mater ex Catumero, principe Cattorum erat. Ipſe formâ decorus, & armis equiſque in patrium noſtrumque morem exercitus. Igitur Cæſar, auctum pecuniâ, additis ſtipatoribus, hortatur «gentile decus magno animo capeſſere. Illum primum Romæ »ortum, nec obſidem, ſed civem, ire externum ad impe»rium». Ac primò lætus Germanis adventus, atque eò magis, quòd nullis diſcordiis imbutus, pari in omnes ſtudio ageret; celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli inviſam [4], ſæpius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, uſurpans. Jamque ad proximos, jam longiùs clareſcere; cùm potentiam ejus ſuſpectantes, qui factionibus floruerant, diſcedunt ad conterminos populos, ac teſtificantur, « Adimi »veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere: »adeò neminem iiſdem in terris ortum, qui Principis locum »impleat: niſi exploratoris Flavii progenies ſupra cunctos »attollatur? Fruſtra Arminium [5] præſcribi: cujus ſi filius

[1] Gratiam referendam] Benignitati deum referendam eſſe gratiam non obliterando per proſpera ritus ſacrorum, inter ambigua excultos. Rectè enim inter *Atheiſmi* cauſas a Cl. Bacono, *Sermones Fideles*, ſerm. XVI, recenſentur *ſæcula erudita, præſertim cum pace & rebus proſperis conjuncta. Etenim calamitates, & adverſa, animos hominum ad religionem fortiùs flectunt.*

[2] Regem Roma petivit] Haud temere ad hanc legationem pertinere exiſtimat Cl. Eccardus, de orig. German. pag. 320, quod memorat Suetonius in Claud. XXV. *Germanorum legatis in orcheſtrâ ſedere permiſit* Claudius, *ſimplicitate eorum & fiduciâ motus, quòd in popularia deducti, cùm animadvertiſſent Parthos & Armenios ſedentes in ſenatu, ad eadem loca ſponte tranſierant, nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem ſuam, prædicantes.*

[3] E. Flavio] Vide Flavii Arminiique Stemma in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 55.

[4] Nulli invisam] Hæc ſumma virtutis laus: nulli eſt inviſa. Vitia verò, ſapientibus odioſa, barbaris tantùm grata.

[5] Frustra Arminium] Fruſtra jactitari Arminium eſſe patruum Italici. Ipſum, ipſum Arminii filium, Ravennæ, hoſtili in ſolo, adultum, ſi in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, ut

A. U. C. 800. J. C. 47. »hoſtili in ſolo adultus, in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, »infectum alimonio, ſervitio, cultu, omnibus externis. Ac, »ſi paterna Italico mens eſſet, non alium infenſiùs arma contra »patriam ac deos penates, quàm parentem ejus, exercuiſſe».

XVII. His atque talibus, magnas copias coegêre: nec pauciores Italicum ſequebantur. « Non enim inrupiſſe ad »invitos, ſed accitum » memorabant: « quando nobilitate »ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum ſe patruo »Arminio, avo Catumero, præberet. Nec patrem rubori [1], »quòd fidem adversùs Romanos, volentibus Germanis, ſump»tam, numquam omiſiſſet: falsò libertatis vocabulum obtendi »ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil »ſpei, niſi per diſcordias habeant ». Adſtrepebat huic alacre vulgus; & magno inter Barbaros prœlio victor rex; dein ſecundâ fortunâ ad ſuperbiam prolapſus, pulſuſque, ac rurſus Langobardorum [2] opibus refectus, per læta, per adverſa, res Cheruſcas adflictabat.

XVIII. Per idem tempus Chauci [3], nullâ diſſenſione domi, & morte Sanquinii [4] alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incurſavêre, duce Gannaſco: qui natione Canninefas [5] auxiliaris, & diu meritus, pòſt transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maximè oram [6] vaſtabat, non ignarus dites & imbelles eſſe. At Corbulo provinciam ingreſſus [7], magnâ cum curâ, & mox gloriâ, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras

pote infectum alimonio, ſervitio, cultu, ceteriſque omnibus externis. Ac, ſi paterna Italico mens eſſet, non alium infenſiùs arma contra patriam ac deos penates, quàm parentem ejus Flavium, exercuiſſe.

[1] Nec patrem rubori] Nec Italico patrem ſuum Flavium rubori eſſe, quòd Romanis, in quorum caſtris, conſentientibus Germanis, ſtipendia meruerat, fidelem ſemper ſe præſtitiſſet. Vide quæ dicta ſunt ſuprà Annal. II, 9 & 10.

[2] Langobardorum] Nunc *le Brandebourg*.

[3] Chauci] Maritima inter Amiſiam, *l'Ems*, & Albim, *l'Elbe*, habitabant.

[4] Morte Sanquinii] Inferioris Germaniæ præfecti.

[5] Canninefas] Occidentalem inſulæ Batavorum, *l'ancien Dioceſe d'Utrecht*, partem occupabant Canninefates.

[6] Gallorum maxime oram] Illos maximè tractus, quos nunc dicimus *la Zélande*, *le Brabant*, *la Flandre*.

[7] Provinciam ingressus] Germaniam inferiorem ingreſſus Corbulo, maximis reipublicæ imperatoribus haud impar, ſæpe poſtea memorandus.

navium, ut quæque habiles, per æſtuaria & foſſas [1] adegit: lintribuſque hoſtium depreſſis, & exturbato Gannaſco, ubi præſentia ſatis compoſita ſunt, legiones operum & laboris ignavas [2], populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit: ne quis agmine decederet, nec pugnam, niſi juſſus, iniret: ſtationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. Feruntque «militem, quia vallum non accinctus [3], »atque alium, quia pugione tantùm accinctus foderet, morte »punitos». Quæ nimia, & incertum an falsò jacta, originem tamen e ſeveritate ducis traxêre: intentumque & magnis delictis inexorabilem ſcias, cui tantum aſperitatis etiam adversùs levia credebatur.

A. U. C. 800. J. C. 47.

XIX. Ceterùm is terror milites hoſteſque in diverſum adfecit: nos virtutem auximus [4]; Barbari ferociam infregêre. Et natio Friſiorum [5], poſt rebellionem, clade L. Apronii [6] cœptam, infenſa, aut malè fida, datis obſidibus, conſedit apud agros a Corbulone deſcriptos. Idem ſenatum, magiſtratus, leges impoſuit. Ac ne juſſa exuerent, præſidium immunivit [7]; miſſis, qui majores Chaucos [8] ad deditionem pellicerent, ſimul Gannaſcum dolo adgrederentur. Nec inritæ, aut degeneres inſidiæ [9] fuêre adversùs transfugam, & violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, & Corbulo ſemina rebellionis præbebat; ut lætâ apud pleroſque, ita apud quoſdam ſiniſtrâ famâ: «Cur hoſtem conciret? adverſa in rempublicam »caſura: cùm proſpere egiſſet, formidoloſum paci virum

[1] Per æstuaria et fossas] Æſtuaria & foſſæ plurimæ inter Scaldis, *l'Eſcaut*, Moſæ, *la Meuſe*, & Rheni oſtia.

[2] Laboris ignavas] Vulgò *ignaras*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 18.

[3] Non accinctus] Id eſt, non cinctus gladio. Sic enim Vegetius III, 8. *Scutis ac ſarcinis ſuis in orbem circa propria ſigna diſpoſitis, cincti gladio, foſſam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus.*

[4] Virtutem auximus] Mallem *virtute*. Ita quoque Lipſio placitum. Suprà Annal. IV, 41. *verâ potentiâ augere.*

[5] Natio Frisiorum] Friſii maritimam oram inter Rheni & Amiſiæ, oſtia incolebant.

[6] Clade L. Apronii] De quâ dictum ſuprà Annal. IV, 73 & 74.

[7] Præsidium immunivit] Immunitum fuiſſe illud præſidium, ubi nunc urbs *Groningue* docet Cl. Alting, Notit. German. Infer. pag. 48.

[8] Majores Chaucos] Amiſiam inter & Viſurgim, *le Weſer*, habitabant.

[9] Nec inritæ, aut degeneres insidiæ] Haud tamen ita nobiles, licèt probatæ Cl. Grotio, de Jure belli & pacis, III, 4. num. 18.

A. U. C. 800. J. C. 47.

»inſignem, & ignavo principi prægravem». Igitur Claudius adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præſidia cis Rhenum juberet.

XX. Jam caſtra in hoſtili ſolo molienti Corbuloni, hæ literæ redduntur. Ille re ſubitâ, quamquam multa ſimul offunderentur, metus ex Imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud ſocios, nihil aliud prolocutus, quàm «Beatos »quondam[1] duces Romanos», ſignum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenumque, trium & viginti millium[2] ſpatio, foſſam perduxit, quâ incerta Oceani vetarentur: inſignia tamen triumphi indulſit Cæſar, quamvis bellum negaviſſet. Nec multò pòſt Curtius Rufus[3] eumdem honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco[4] recluſerat ſpecus, quærendis venis argenti: unde tenuis fructus, nec in longum fuit. At legionibus cum damno labor, effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infrà moliri: quîs ſubactus miles, & quia plures per provincias ſimilia tolerabantur, componit occultas literas nomine exercituum, precantium Imperatorem, «ut, quibus permiſſurus eſſet exercitus, triumphalia »antè tribueret[5]».

XXI. De origine Curtii Ruſi, quem gladiatore genitum quidam prodidêre, neque falſa prompſerim, & vera

[1] Beatos quondam] Ita quoque Dio LX. pag. 685. Ὢ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ ϛρατηγήσαντες.

[2] Trium et viginti millium] Dio LX. pag. 686. ait foſſam illam fuiſſe ad ſummum ſtadiis CLXX, ϛαδίους ἑϐδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιϛα; & eo fine perductam ne fluvii, æſtuante Oceano, refluentes ſuperſtagnarent. Foſſa Corbulonis non eſt *le Leck*, ut quibuſdam placuit; neque etiam *le Leck* uſque ad *Lexmund*, ut vult Cl. Ryckius. Sed perducta foſſa ab urbe Lugdunenſi, *Leyde*, ad Moſam juxta *Geerſliet*. Recentior eſt foſſa, quæ a *Leyde*, per *Delft*, ad *Maeſland-ſluys*, vel *l'Ecluſe de Meuſe*, ducit. Vide Alting, Notit. Germ. Inf. pag. 47. Foſſam Corbulonis olim Germanicè dictam fuiſſe *Vliet* haud temere exiſtimat.

[3] Curtius Rufus] Curtium illum eumdem eſſe ac Quintum Curtium, rerum ab Alexandro Magno geſtarum ſcriptorem, adſeverant plurimi, nulli probant; idque minimè ſiluiſſet Tacitus. Notat Alciatus ſe Angleriæ apud Verbanum aram marmoream pluribus ſignis illuſtrem vidiſſe, cum titulo Q. CURTII VIVIRI, *ſexviri*, a quo fuiſſet dedicata.

[4] In agro Mattiaco] Nunc *le Bailliage de Blanckeinſtein dans la haute Heſſe.* Ibi adhuc exſtant fodinæ argenti prope *Gladenbach*, teſte Hubnero, *Géographie Univerſelle*, *Tom. V. pag. 465.*

[5] Triumphalia ante tribueret] Ne gloriam triumphi damnoſis laboribus quærerent.

A. U. C. 800. J. C. 47.

exſequi pudet [1]. Poſtquam adolevit, ſectator quæſtoris [2], cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto [3] vacuis per medium diei porticibus ſecretus agitat, oblata ei ſpecies muliebris ultra modum humanum, & audita eſt vox: « Tu es, » Ruſe, qui in hanc provinciam pro conſule venies ». Tali omine in ſpem ſublatus, digreſſuſque in Urbem, & largitione amicorum, ſimul acri ingenio, quæſturam, & mox nobiles inter candidatos præturam principis ſuffragio adſequitur: cùm hiſce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velaviſſet, « Curtius Rufus videtur mihi ex ſe natus ». Longâ poſt hæc ſenectâ, & adversùs ſuperiores triſti adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, conſulare imperium [4], triumphi inſignia, ac poſtremò Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præſagium implevit.

XXII. Interea Romæ, nullis palam, neque cognitis mox cauſis, Cn. Novius, inſignis eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu ſalutantium Principem: nam poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe Novius [5]: conſcios non edidit, incertum an occultans. Iiſdem conſulibus P. Dolabella cenſuit « ſpectaculum gladiatorum [6] per omnes annos » celebrandum, pecuniâ eorum, qui quæſturam adipiſcerentur ».

[1] Exsequi pudet] Tacitum pudet vera, miris ac phantaſmatis intermixta, ſcribere.

[2] Sectator quæstoris] Id eſt comes quæſtoris. Rem fuſius narrat Plinius VII, Ep. 27. *Et mihi diſcendi, & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquàm velim ſcire, eſſe phantaſmata, & habere propriam figuram, numenque aliquod putes, an inania & vana ex metu noſtro imaginem accipere. Ego ut eſſe credam in primis eo ducor, quod audio accidiſſe Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obſcurus obtinenti Africam comes hæſerat: inclinato die ſpatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humanâ grandior pulchriorque: perterrito Africam ſe futurorum prænuntiam dixit: iturum enim Romam, honoreſque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eamdem provinciam reverſurum, ibique moriturum. Facta ſunt omnia. Præterca accedenti Carthaginem, egredientique navem, eadem figura in litore occurriſſe narratur. Ipſe certè implicitus morbo, futura præteritis, adverſa ſecundis auguratus, ſpem ſalutis, nullo ſuorum deſperante, projecit.*

[3] Oppido Adrumeto] Nunc *Hammamet, dans le royaume de Tunis.*

[4] Consulare Imperium] Dignitatem & inſignia conſularia, ut Annal. XII, 21.

[5] De se Novius] Se reum, conſcios non edidit Novius. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 22.

[6] Spectaculum gladiatorum] Inde Sueton. in Claud. XXIV. *Collegio quæſtorum pro ſtraturâ viarum gladiatorum munus injunxit.* Neceſſitas illa a Nerone poſtea ablata, Tacit. Annal. XIII, 5. a Domitiano iterum inducta, Sueton. in Domit. IV.

A. U. C. 800. J. C. 47.

Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctiſque civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin primâ juventâ conſulatum ac dictaturas inirent. Sed quæſtores, regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt: quod lex curiata [1] oſtendit, ab L. Bruto repetita. Manſitque conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primùm Valerius Potitus, Æmilius Mamercus, LXIII anno poſt Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur [2]. Dein gliſcentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent [3]. Mox duplicatus numerus [4], ſtipendiariâ jam Italiâ, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Pòſt lege Sullæ [5] viginti creati ſupplendo ſenatui, cui judicia tradiderat: &, quamquam equites judicia reciperaviſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium, gratuitò concedebatur, donec ſententiâ Dolabellæ velut venum daretur [6].

A. U. C. 801. J. C. 48.

XXIII. A. VITELLIO, L. Vipſanio conſulibus [7], cùm de ſupplendo ſenatu agitaretur, primoreſque Galliæ, quæ *Comata* appellatur [8], fœdera & civitatem Romanam [9] pridem

[1] LEX CURIATA] Id eſt lex a regibus lata. Pomponius de Origin. Jur. Digeſt. I. Tit. II, 1. *Romulum traditur populum in triginta partes diviſiſſe, quas partes curias appellavit: propterea quod tunc reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe Curiatas ad populum tulit. Tulerunt & ſequentes reges*; ut rogarent, ſi placerent leges. *Provocationem ad populum etiam a regibus fuiſſe* docet Cicero de Rep. apud Senecam, Ep. 108.

[2] REM MILITAREM COMITARENTUR] Et ærarium militare curarent.

[3] QUI ROMÆ CURARENT] Qui res urbanas curarent, & in crimina adverterent. Exempla vide apud Livium III, 24 & 25.

[4] DUPLICATUS NUMERUS] Livii epitome, XV. *Tunc primùm populus Romanus argento uti cœpit. Umbri & Sallentini victi in deditionem accepti ſunt. Quæſtorum numerus ampliatus eſt, ut eſſent octo.* Porro *argentum ſignatum eſt anno Urbis* CCCCLXXXV, *quinque annis ante primum bellum Punicum*, teſte Plinio XXXIII, 3.

[5] LEGE SULLÆ] Circa annum U. C. DCLXXIV. Poſtea Julius Cæſar quadraginta quæſtores creavit anno U.C. DCCIX. Dio XLIII, pag. 237.

[6] VENUM DARETUR] Ex regnorum conditione venales eſſe debere magiſtratus, ingenioſiùs, quàm veriùs, pronuntiat Cl. de Monteſquieu, *Eſprit des Loix*, V, 19.

[7] L. VIPSANIO CONSULIBUS] A. Vitellius, qui poſtea Imperator fuit, & L. Vipſanius Poblicola conſulatum geſſere anno U. C. DCCCI. Jeſu Chriſti 48.

[8] COMATA APPELLATUR] Ita dicta quòd intonſa gens. Plin. XI, 37. ſect. 47. *Atque etiam nomina ex eo Capillatis Alpium incolis, Galliæ Comatæ.* Præter Narbonenſem, *Gallia omnis Comata uno nomine appellata*, teſte eodem Plinio IV, 17.

[9] FŒDERA ET CIVITATEM ROMANAM] Fœdus Æduorum cum Romanis

adſecuti, jus adipiſcendorum in Urbe honorum expeterent: multus eâ ſuper re variuſque rumor, & ſtudiis diverſis apud Principem certabatur, adſeverantium, « Non adeò ægram » Italiam, ut ſenatum ſuppeditare Urbi ſuæ nequiret: ſuffeciſſe » olim [1] indigenas conſanguineis populis, nec pænitere veteris reipublicæ. Quin adhuc memorari exempla, quæ priſcis » moribus ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit. » An parum, quòd Veneti & Inſubres [2] curiam inruperint [3], » niſi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem » ultrà [4] honorem reſiduis nobilium? aut ſi quis pauper e » Latio ſenator foret? Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique [5], hoſtilium nationum duces, exercitus » noſtros ferro vique ceciderint; divum Julium apud Aleſiam [6] obſederint. Recentia hæc: quid ſi memoria eorum [7]

A. U. C. 801.
J. C. 48.

memoratur infrà cap. 25. Multis datam civitatem docet Dio XLI, pag. 170 & LIV, pag. 538. innuit Suetonius in Aug. XLVII. Gallos eam dignitatem adſecutos, *Cùm id rarum, nec niſi virtuti pretium eſſet*, teſtatur Tacitus Annal. III, 40. Vide Notas & Emendationes, ubi plura de jure civitatis Romanæ.

[1] Suffecisse olim] Hæc omnia interpretum vitio depravata, juvat paucis explicare. Non adeò ægram Italiam, ut ſenatum ſuppeditare urbi ſuæ nequiret. Indigenas olim, exiguiſque circumſcriptos finibus, conſanguineis etiam populis ſuffeciſſe, ſeu magiſtratus iis dediſſe. Seque nondum virtutis ita expertes, ut pœniteat veteris reipublicæ. Immo adhuc exſtare, adhuc celebrari exempla, quæ priſcis moribus digniſſima ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit.

[2] Veneti et Insubres] Veneti, Galliæ togatæ incolæ, Mela II, 4. Nunc *la Marche Treviſane, & une grande partie des états de la République de Veniſe*. Inſubres, *le Milanois*. Vide Strabonem V. pag. 212.

[3] Curiam inruperint] Et corruperint. Quid enim Romani reliquum?

[4] Quem ultra] Nullum jam futurum honorem reſiduis nobilium; & pauperes e Latio ſenatores maximum in contemptum venturos.

[5] Avi proavique] Bello Gallico, quod geſſit ſcripſitque Julius Cæſar.

[6] Apud Alesiam] Hæc pluribus Cæſar de Bello Gall. VII, 68 & ſeqq. Aleſia, urbs Æduorum nobiliſſima, olim vertici montis *Auxois* impoſita, nunc omnino periit. At ex ejus ruderibus ad radicem montis exſtructus pagus *Aliſe* in Burgundiâ. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 23. Ibi Inſcriptionem veterem, hactenus mancam, integram dabimus.

[7] Memoria eorum] Hæc omnia miſerè luxata, & penitus deſperata. Dum meliora occurrant, ſi quid audere liceret, ſupplerem: *Quid ſi memoria eorum renovaretur, qui, Capitolio & arce Romanâ manibus eorumdem fere ſuperatis, pretium populi Romani mille pondo auri fecerint?* Anno U. C. CCCLXIV, Galli Brenno duce, Urbem cepêre, igne, ferroque vaſtavere. Tum iis placuit, in arcem capitoliumque conſcendere. Diu fruſtra eluctati, animadverſo tandem ad Carmentis ſaxum aſcenſu æquo, tentavere viam, alterni innixi, ſublevanteſque invicem & trahentes alii alios, prout poſtularet locus: ſaxa, quibus adhærebant, manibus amplexi, in ſummum evaſere; jamque unus in ſummo conſtiterat, cùm eum Manlius

A. U. C. 801. J. C. 48.

»inoriretur, qui Capitolio & arce Romanâ manibus eorum»dem proſtratis. Fruerentur ſanè vocabulo civitatis: inſignia »patrum, decora magiſtratuum, ne vulgarent».

XXIV. His atque talibus haud permotus Princeps, & ſtatim contrà diſſeruit; & vocato ſenatu, ita exorſus eſt [1]. «Majores mei (quorum antiquiſſimus Clauſus, origine Sa»binâ [2], ſimul in civitatem Romanam, & in familias patri»ciorum adſcitus eſt) hortantur, utì paribus conſiliis rempu»blicam capeſſam, transferendo huc, quod uſquam egregium »fuerit. Neque enim ignoro Julios Albâ [3], Coruncanios »Camerio [4], Porcios Tuſculo [5]; &, ne vetera ſcrutemur, Etruriâ »Lucaniâque [6], & omni Italiâ, in ſenatum accitos. Poſtremò »ipſam ad Alpes promotam, ut non modo ſinguli viritim, »ſed terræ genteſque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc »ſolida domi quies, & adversùs externa floruimus, cùm »Tranſpadani [7] in civitatem recepti, cùm ſpecie deductarum

umbone ictum deturbat, cujus caſus prolapſi proximos ſtravit. Proturbati Galli nondum ab obſidione deſtitêre. Fame in Capitolio invaleſcente, cum Gallis tranſactum eſt; & mille pondo auri pretium populi, gentibus mox imperaturi, factum. Hæc conſtant ex Livio V, 39 & 48. Floro I, 13. Plinio XXXIII, 1. ſect. 5. Mille pondo auri ſunt Gallicæ monetæ libræ 945000. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI. 23.

[1] Ita exorsus est] Claudii oratio adhuc exſtat Lugduni, ære inciſa, erudita magis, quàm eloquens: proponetur explanabiturque in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 24. Quantum Tacitus ingenio ſuo indulſerit, ut eam hiſtoriâ dignam faceret, lector perſpiciet.

[2] Origine Sabina] Suetonius in Tiber. I. *Patricia gens Claudia.... orta eſt ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam recèns conditam cum magnâ clientum manu commigravit, auctore Tito Tatio, conſorte Romuli: vel, quod magis conſtat, Attâ Clauſo gentis principe, poſt reges exactos ſexto fere anno, a patribus in patricios cooptata.* Vide & Livium II, 16. Sic quoque Virgilius Æneid. VII, 706.

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar:
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.

Sabini, nunc *partie de l'Ombrie & de l'Abruzze ultérieure.* De Claudiorum origine plura adhuc & accuratiora habet Plutarchus in Poblicolâ, pag. 108.

[3] Alba] Albæ, urbis Latinorum, adhuc viſuntur rudera in monte Albano. Haud procul urbs *Albano.*

[4] Camerio] Camerium, urbs Sabinorum, Albæ vicina, omnino periit. Stephano de Urbibus dicitur ΚΑΜΑΡΙΑ, Albæ colonia. Coruncanios, Tuſculanos facit Tullius pro Plancio VIII, quòd, Camerio a fundamentis everſo, Tuſculum ſeceſſêre.

[5] Tusculo] Tuſculum, urbs Latinorum. Manent rudera prope *Fraſcati.*

[6] Lucaniaque] Nunc *partie de la Baſilicate, de la Principauté, & de la Calabre ultérieure.*

[7] Transpadani] Qui ultra Padum; per

» per orbem terræ legionum [1], additis provincialium validiſſi- » mis, feſſo imperio ſubventum eſt. Num pœnitet Balbos ex » Hiſpaniâ, nec minùs inſignes viros e Galliâ Narbonenſi » tranſiviſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc » patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis » & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quòd » victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus » tantum ſapientiâ valuit, ut pleroſque populos eodem die » hoſtes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt. » Libertinorum filiis [2] magiſtratus mandari, non, ut plerique » falluntur, repens [3], ſed priori populo factitatum eſt. At cum » Senonibus [4] pugnavimus: ſcilicet Volſci & Æqui [5], num- » quam adverſam nobis aciem ſtruxêre? Capti a Gallis [6] ſumus. » Sed & Tuſcis obſides dedimus [7], & Samnitium jugum [8] » ſubivimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum » breviore ſpatio [9], quàm adversùs Gallos, confectum. Con- » tinua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, adfinitatibus » noſtris mixti, aurum & opes ſuas inferant potiùs, quàm » ſeparati habeant. Omnia, patres conſcripti, quæ nunc » vetuſtiſſima creduntur, nova fuêre: plebei magiſtratus poſt

A.U.C. 801. J. C. 48.

le Po, habitabant. Nunc *le Duché de Milan*, *l'état de Veniſe*.

[1] Per orbem terræ legionum] Quantâ arte legiones per orbem terræ eſſent deductæ vidimus ſuprà Annal. IV, 5.

[2] Libertinorum filiis] Suetonius in Claud. XXIV. Claudium ignorantiæ arguit his verbis: *Reprehenſionem verens, etiam Appium Cæcum, generis ſui proauctorem, cenſorem, libertinorum filios in ſenatum allegiſſe docuit: ignarus, temporibus Appii, & deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.*

[3] Repens] Sic veteres, ac Tacitus, dixêre pro *recens*.

[4] Cum Senonibus] Populis Lugdunenſis Galliæ potentiſſimis, nunc *les diocèſes de Sens*, *d'Auxerre*. De illis Florus I, 13. *Galli Senones, gens naturâ ferox, moribus incondita, ad hoc ipſâ corporum mole, perinde armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium ſtragem videretur.*

[5] Volsci et Æqui] Volſci, nunc *la partie méridionale de la Campagne de Rome, & la partie ſeptentrionale de la terre de Labour*. Æqui, *la partie occidentale de la Campagne de Rome près de la ſource du Teverone*.

[6] Capti a Gallis] A Gallis Senonibus, ut dictum in notis cap. ſup.

[7] Obsides dedimus] Capto Janiculo, obſides Porſenæ, regi Etruriæ, dedêre Romani anno U. C. CCXLVI. Livius II, 13. Plin. XXXVI, 13.

[8] Samnitium jugum] Romani Caudinas ad furcas turpiter a Samnitibus victi; turpiùs ſub jugum miſſi cum utroque conſule ſeminudo, anno U. C. CDXXXIII. Quod flebiliter deſcribit Livius IX, 5 & 6.

[9] Breviore spatio] Decennio a Julio Cæſare domita Gallia.

A. U. C. 801. J. C. 48.

»patricios; Latini poſt plebeios; ceterarum Italiæ gentium »poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quoque: & quod hodie »exemplis tuemur, inter exempla erit [1]».

XXV. Orationem Principis ſecuto patrum conſulto, primi Ædui [2] ſenatorum in Urbe jus adepti ſunt: datum id fœderi antiquo [3], & quia ſoli Gallorum [4] fraternitatis nomen cum populo Romano uſurpant. Iiſdem diebus in numerum patriciorum adſcivit Cæſar vetuſtiſſimum [5] quemque e ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus *majorum*, & L. Brutus *minorum gentium* [6] appellaverant; exhauſtis etiam, quas dictator Cæſar [7] lege Caſſiâ, & princeps Auguſtus lege Sæniâ [8]

[1] Inter exempla erit] Et quidem peſſima. Sic enim eviluit Romana dignitas: ſic periit virtus. Crevit quidem alienigenarum opibus Roma, ſed majoribus aucta vitiis. Sana fuiſſet Claudii mens, ſi, ut olim imperitante Auguſto, alienigenarum virtutes potiùs, quàm opes, in Urbem & Urbis magiſtratus inductæ. Claudium *omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos togatos videre* meditantem irridet Seneca in Ἀποκολοκυντώσει. Eumdem vide de Beneficiis. VI, 19.

[2] Primi Ædui] Ædui, nunc *les Diocèſes d'Autun, de Nevers, de Mâcon & de Châlon.* Caput gentis Auguſtodunum, *Autun.* Apud Gruterum pag. CCCLXXI. num. 8. CIVITATIS ÆDUORUM.

[3] Fœderi antiquo] Unde Plinio IV, 18. appellantur *Hedui fœderati.* Et, teſte Strabone IV, 192. οἱ δὲ Ἔδουοι καὶ συγγενεῖς Ῥωμαίων ὠνομάζοντο, καὶ πρῶτοι τῶν ταύτῃ προσῆλθον πρὸς τὴν φιλίαν καὶ συμμαχίαν. *Hedui Romanorum cognati ſunt appellati, primique Gallorum ad eorum amicitiam & ſocietatem acceſſêre.* Plura vide apud Cæſarem de Bello Gallico I, 11 & 43.

[4] Soli Gallorum] Idem quoque innuit Diodorus Sicul. V. pag. 210. Ὧν (Γαλατῶν) ἐστιν ἓν πρὸς Ῥωμαίους ἔχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν, τὴν μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν. *Gallorum gens una veterem cum Romanis cognationem amicitiamque, ad hæc uſque tempora perſeverantem, habet.* Illud tamen fraternitatis nomen uſurpare auſi ſunt Arverni, de quibus Lucanus, Pharſal. I, 427.

Arvernique auſi Latio ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco populi.

Illud poſtea meriti ſunt Batavi, ut accipimus ex vetere lapide apud Gruterum pag. LXXII. num. 9.

CIV. BATAVI.
FRATRES. ET. AMICI. P. R.

[5] Vetuſtiſſimum] Senatoriæ dignitatis tempore, non verò ætate vetuſtiſſimum.

[6] Minorum gentium] Romulus creaverat ducentos ſenatores, ſeu patres. Hæ ſunt familiæ *majorum gentium.* Tarquinius Priſcus centum quoque in patres legit; *qui deinde minorum gentium ſunt appellati,* Livius I, 35. *Cædibus regis* Tarquinii *deminutum patrum numerum, primoribus equeſtris gradûs lectis, ad trecentorum ſummam explevit* Brutus... *Conſcriptos, in novum ſenatum appellabant lectos,* Livius II, 1. Hæc haud ita accuratè diſtinxit Tacitus ob nimium brevitatis ſtudium; ſeu potiùs, quòd patres, tum a Tarquinio, tum a Bruto lecti, eſſent *minorum gentium.*

[7] Quas dictator Cæsar] Ut ſenatus numero obſcuriſque natalibus evileſceret, nullo diſcrimine, milites, libertinos, in patres legit, Julius Cæſar; adeò, ut ſumma ſenatorum DCCCC fuerit, ὥστε καὶ ἐνακοσίους τὸ κεφάλαιον αὐτῶν γενέσθαι. Dio XLIII. pag. 237.

[8] Augustus lege Sænia] Poſt cædem dictatoris plures adhuc creati patres.

A. U. C. 801. J. C. 48.

ſublegêre. Lætaque hæc in rempublicam munia, multo gaudio cenſoris [1] inibantur. Famoſos probris quonam modo ſenatu depelleret anxius, mitem & recèns repertam, quàm ex ſeveritate [2] priſcâ, rationem adhibuit: monendo, « ſecum quiſque » de ſe conſultaret, peteretque jus exuendi ordinis: facilem » ejus rei veniam: & motos ſenatu, & excuſatos ſimul pro» poſiturum: ut judicium cenſorum, ac pudor ſponte ceden» tium permixti, ignominiam mollirent ». Ob ea Vipſanius conſul retulit, « *patrem ſenatûs* appellandum eſſe Claudium: » quippe promiſcuum *patris patriæ* cognomentum: nova in » rempublicam merita, non uſitatis vocabulis honoranda ». Sed ipſe cohibuit conſulem, ut nimiùm aſſentantem: conditque luſtrum, quo cenſa ſunt civium LVIIII. LXXXIIII. LXXII [3]. Iſque illi finis inſcitiæ erga domum ſuam fuit: haud multò pòſt, flagitia uxoris noſcere ac punire adactus, ut deinde ardeſceret in nuptias inceſtas.

XXVI. JAM MESSALINA, facilitate adulterorum [4] in faſtidium verſa, ad incognitas libidines profluebat; cùm « abrumpi diſſimulationem » etiam Silius [5], ſive fatali vecordiâ, an imminentium periculorum remedium ipſa pericula ratus, urgebat. « Quippe non eò ventum, ut ſenectam Principis » opperirentur: inſontibus innoxia conſilia; flagitiis manifeſtis, » ſubſidium ab audaciâ petendum: adeſſe conſcios paria » metuentes [6]. Se cælibem, orbum, nuptiis & adoptando

Sed *ſenatorum affluentem numerum deformi & inconditâ turbâ (erant enim ſuper mille, & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat) ad modum priſtinum & ſplendorem redegit* Auguſtus, *duabus lectionibus.* Sueton. in Aug. XXXV. Vide & Dionem LII. pag. 494. De legibus Caſſiâ & Sæniâ dicetur in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 25.

[1] CENSORIS] Cæſaris, tum cenſoris.

[2] QUAM EX SEVERITATE] Id eſt, *potiùs, quàm ex ſeveritate.*

[3] CIVIUM LVIIII. LXXXIIII. LXXII] Cenſa ſunt civium Romanorum quinquagies novies centena, octoginta quatuor millia, ſeptuaginta duo; ut vulgò ſcribimus 5,984,072. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 25 ubi plura de hoc numero, cenſu luſtroque Romanorum dicentur.

[4] FACILITATE ADULTERORUM] Ita libri omnes. Mallet tamen Ill. Huetius, *adulteriorum*; quod & nobis perplacet: id quoque innuit quod mox ſequitur cap. XXXVI.

[5] SILIUS] C. Silii & Soſiæ Gallæ, de quibus ſuprà Annal. IV, 18 & 19. filius.

[6] PARIA METUENTES] Adeſſe flagitii conſcios, qui paria, id eſt eadem pericula,

A. U. C. 801. J. C. 48.

»Britannico [1] paratum : manſuram eamdem Meſſalinæ potentiam, additâ ſecuritate, ſi prævenirent Claudium, ut inſidiis »incautum, ita iræ properum». Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum, ſed ne Silius ſumma adeptus, ſperneret adulteram; ſcelusque inter ancipitia probatum, veris mox pretiis [2] æſtimaret : nomen tamen matrimonii concupivit; ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos [3] noviſſima voluptas eſt. Nec ultrà exſpectato, quàm dum ſacrificii gratiâ Claudius Oſtiam [4] proficiſceretur, cuncta nuptiarum ſolemnia celebrat.

XXVII. Haud ſum ignarus fabuloſum viſum iri, tantum ullis mortalium ſecuritatis fuiſſe, in civitate omnium gnarâ & nihil reticente, nedum conſulem deſignatum [5], cum uxore Principis, prædictâ die, adhibitis, qui obſignarent, velut ſuſcipiendorum liberorum causâ, conveniſſe : atque illam audiſſe auſpicum verba, ſubiſſe [6], ſacrificaſſe apud deos, diſcubitum inter convivas [7], oſcula, complexus, noctem denique actam licentiâ conjugali. Sed nihil compoſitum miraculi causâ, verùm audita ſcriptaque ſenioribus tradam.

metuerent : properandum igitur, ne indicium profiterentur.

[1] Britannico] Claudii & Meſſalinæ filio. Vide Stemma Cæſarum, num. 108.

[2] Veris mox pretiis] Vera tanti tamque ancipitis ſceleris pretia, imperium & dominatio.

[3] Apud prodigos] Profligati pudoris homines.

[4] Ostiam] Nunc *Oſtia*, ferme ad Tiberis oſtium. Sacrificium illud pro proſperandâ annonâ factum innuit Dio LX. pag. 686.

[5] Nedum consulem designatum] Multò magis Silium, jam conſulem deſignatum, id ſceleris attentaſſe. A Meſſalinâ, poſt nuptias, Silium deſignatum eſſe conſulem minus probabiliter ait Dio loc. cit. Inſanas utriuſque nuptias egregiè arguit Juvenalis Satyr. X, 329.

Elige quidnam
Suadendum eſſe putes, cui nubere Cæſaris uxor
Deſtinat. Optimus hic & formoſiſſimus idem
Gentis patriciæ rapitur miſer exſtinguendus
Meſſalinæ oculis. Dudum ſedet illa parato
Flammeolo, Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabas?
Non niſi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic.
Ni parere velit, pereundum eſt ante lucernas.
Si ſcelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi & populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs ſciet ultimus : interea tu
Obſequere imperio, ſi tanti eſt vita dierum
Paucorum : quicquid levius meliuſque putaris,
Præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida cervix.

Decies centena millia ſeſtertiûm ſunt monetæ Gallicæ libræ 194, 531.

[6] Subisse] Subiſſe genialem torum, de quo Juvenalis loc. cit. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 27.

[7] Inter convivas] Paucis Juvenalis II, 119.

Signatæ tabulæ : dictum feliciter. Ingens
Cœna ſedet : gremio jacuit nova nupta mariti.

A. U. C. 801. J. C. 48.

XXVIII. Igitur domus Principis inhorruerat; maximéque, quos penes potentia, & ſi res verterent, formido, non jam ſecretis colloquiis, ſed apertè fremere. « Dum hiſtrio [1] » cubiculum Principis perſultaverit, dedecus quidem inlatum; » ſed excidium procul abfuiſſe: nunc juvenem nobilem, dig» nitate formæ, vi mentis, ac propinquo conſulatu, majorem » ad ſpem accingi: nec enim occultum, quid poſt tale ma» trimonium ſupereſſet ». Subibat ſine dubio metus, reputantes « hebetem Claudium, & uxori devinctum, multaſque mortes » juſſu Meſſalinæ patratas ». Rurſus ipſa facilitas Imperatoris fiduciam dabat, « ſi atrocitate criminis prævaluiſſent, poſſe » opprimi damnatam antequam ream [2]. Sed in eo diſcrimen » verti, ſi defenſio audiretur, utque [3] clauſæ aures etiam con» fitenti forent ».

XXIX. Ac primò Calliſtus jam mihi circa necem Cæſaris narratus [4], & Appianæ cædis molitor [5] Narciſſus, flagrantiſſimâque, eo in tempore, gratiâ Pallas, agitavêre, « num Meſſalinam ſecretis minis depellerent amore Silii, » cuncta alia diſſimulantes »: deinde metu, ne ad perniciem ultro traherentur, deſiſtunt, Pallas per ignaviam, Calliſtus prioris quoque regiæ peritus, & potentiam cautis, quàm acribus conſiliis, tutiùs haberi. Perſtitit Narciſſus, & ſolum id immutans, ne quo ſermone præſciam criminis & accuſatoris faceret, ipſe ad occaſiones intentus, longâ apud Oſtiam Cæſaris morâ, duas pellices, quarum is corpori maximè

[1] Dum histrio] Meſſalinæ primò res fuerat cum hiſtrione famoſiſſimo, Mneſtere, cui ipſa ſtatuas poſuit. Vide Dionem LX. pag. 679. His quidem hiſtrionicis adulteriis dedecus Claudio illatum; at procul aberat excidium: nunc verò juvenis nobilis, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo conſulatu ſuperbus, majorem ad ſpem accingitur. Locum hunc Taciti, diu inexplicabilem feliciter extricavit eruditus Franciſcus Medicis. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 28.

[2] Antequam ream] Poſſe Meſſalinam damnatam opprimi, antequam rea, dictâ causâ, pronuntiaretur. Sed in eo diſcrimen verti, ſi ejus defenſio audiretur, quoniam vel ſcelus confitenti aures Claudii forent clauſæ. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 28.

[3] Utque] Fortè legendum *utique*; id eſt *certè*, *omnino*. Sic ſæpe Tullius.

[4] Cæsaris narratus] Hæc Annalium pars periit. Nos diximus in Supplement. Annal. VIII, 74.

[5] Appianæ cædis molitor] De hac cæde multa habet Suetonius in Claud. XXXVII. Nos quoque in Supplement. Annal. IX, 33 & 34.

A. U. C. 801. J. C. 48.

inſueverat, largitione ac promiſſis, & uxore dejectâ, plus potentiæ oſtentando, perpulit delationem ſubire.

XXX. Exin Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum ſecretum, Cæſaris genibus provoluta, « nupſiſſe Meſ»ſalinam Silio » exclamat. Simul Cleopatram, quæ idem opperiens adſtabat, « an comperiſſet » ? interrogat : atque illâ annuente, « cieri Narciſſum » poſtulat. Is « veniam in »præteritum petens, quòd ei Titios, Vectios, Plautios [1] »diſſimulaviſſet, nec nunc Silio [2] adulteria objecturum » ait, « ne domum, ſervitia, & ceteros fortunæ paratus repoſceret : »frueretur immo. At is redderet uxorem, rumperetque tabulas »nuptiales ». « An diſcidium », inquit, « tuum noſti? nam »matrimonium Silii vidit populus, & ſenatus, & miles : ac »ni properè agis, tenet Urbem maritus ».

XXXI. Tum potiſſimum amicorum vocat ; primúmque rei frumentariæ præfectum Turranium, pòſt Luſium Getam, prætorianis impoſitum, percunctatur. Quibus fatentibus, certatim ceteri circumſtrepunt, « iret in caſtra, firmaret prætorias »cohortes, ſecuritati antè, quàm vindictæ, conſuleret ». Satis conſtat eo pavore offuſum Claudium, ut identidem interrogaret, « an ipſe imperii potens? an Silius privatus »eſſet » ? At Meſſalina non aliàs ſolutior luxu, adulto autumno [3], ſimulachrum vindemiæ per domum celebrabat : urgeri præla [4], fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ

[1] Titios, Vectios, Plautios] Vide Notas & Emendat. ad Annal. XI, 30.

[2] Nec nunc Silio] Hujus orationis in editionibus omnibus mutilæ, nec latinæ, vitia ſuſtuliſſe, eamque ad primigeniam ſcripturam reduxiſſe exiſtimo. Nihil certè ad mentem Taciti, & totius orationis ſeriem accommodatius. Narciſſus veniam in præteritum petens, quòd Titios, Vectios, Plautios diſſimulaviſſet, ait nec nunc Silio adulteria ſe eſſe objecturum, ne domum, ſervitia, quidquid Neronibus & Druſis habitum (vide infrà cap. 35.) & ceteros imperatoriæ fortunæ paratus repoſceret. . . . Frueretur immo. . . . At is redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales? . . . Noſtine, inquit, tuum diſcidium? nam matrimonium Silii vidit populus, & ſenatus, & miles : ac ni properè agis, tenet Urbem novus maritus. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 30.

[3] Adulto autumno] Serò quidem. At non ipſam vindemiam, ſed ſimulachrum vindemiæ celebrabat Meſſalina. In Kalendario vetere, NON. SEPTEMBRIS. VINDEMIA. Sed diuturna vindemialis feria, ut Cod. lib. III. Tit. 12. de feriis. leg. 2. *A decimo Kalendarum Septembris uſque in idus Octobris vindemialis feria conceditur.*

[4] Urgeri præla] Hæc præla fluenteſque lacus vide in egregio opere,

aſſultabant, ut ſacrificantes, vel inſanientes, Bacchæ: ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens; juxtáque Silius, hederâ vinctus, gerere cothurnos [1], jacere caput, ſtrepente circùm procaci choro. Ferunt Vectium Valentem [2], laſciviâ in prævaltam arborem conniſum, interrogantibus « quid aſpiceret », reſpondiſſe, « tempeſtatem ab Oſtiâ atrocem »: ſive ceperat ea ſpecies, ſeu fortè lapſa vox in præſagium vertit.

A. U. C. 801. J. C. 48.

XXXII. Non rumor interea, ſed undique nuntii incedunt, qui « gnara Claudio cuncta, & venire promptum » ultioni » afferrent. Igitur Meſſalina Lucullianos in hortos [3], Silius, diſſimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris paſſim dilabentibus, adfuêre centuriones, inditaque ſunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Meſſalina tamen, quamquam res adverſæ conſilium adimerent, ire obviam, & aſpici a marito, quod ſæpe ſubſidium habuerat, haud ſegniter intendit: juſſitque « ut Britannicus & Octavia [4] » in complexum patris pergerent ». Et Vibidiam, virginum Veſtalium vetuſtiſſimam, oravit, « Pontificis maximi [5] aures adire, clementiam expetere ». Atque interim tribus omnino comitantibus (id repentè ſolitudinis erat) ſpatium Urbis pedibus emenſa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Oſtienſem viam intrat: nullâ cujuſquam miſericordiâ, quia flagitiorum deformitas prævalebat.

XXXIII. Trepidabatur nihilominus a Cæſare: quippe Getæ, prætorii præfecto, haud ſatis fidebat, ad honeſta, ſeu prava, juxtà levi. Ergo Narciſſus, adſumptis quibus idem metus,

Pitture antiche d'Ercolano. Tom. I. Tab. XXXV.

[1] Gerere cothurnos] Cothurni, Bacchi Bacchantiumque calceamentum. Inde Virgilius Georgic. II, 7.

Hùc, pater o Lenæe, veni: nudataque muſto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

[2] Vectium Valentem] De hoc medico Plinius XXIX, 1. ſect. 5. *Exortus deinde eſt Vectius Valens, adulterio Meſſalinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator. Is eam potentiam nactus novam inſtituit ſectam* medicinæ.

[3] Lucullianos in hortos] De quibus dictum ſuprà cap. 1. Nec emendandum, ut quibuſdam placuit *Lucullanos*. Plutarcho enim dicuntur quoque οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι.

[4] Britannicus et Octavia] Claudii & Meſſalinæ filii. Vide Stemma Cæſarum, num. 108 & 36.

[5] Pontificis maximi] Claudii qui erat pontifex maximus. Unde in nummis ſemper occurrit P. M. vel PONT. MAX.

A. U. C. 801. J. C. 48.

« non aliam ſpem incolumitatis Cæſaris » affirmat, « quàm ſi » jus militum uno illo die in aliquem libertorum transferret » : « ſeque » offert « ſuſcepturum ». Ac ne, dum in Urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio & P. Largo Cæcinâ [1] mutaretur; in eodem geſtamine ſedem poſcit, ſumitque.

XXXIV. Crebra poſt hæc fama fuit, inter diverſas Principis voces, cùm modo incuſaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii [2], & infantiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitellium, quàm ô facinus! ô ſcelus! Inſtabat quidem Narciſſus « aperire ambages [3], & veri copiam facere » : ſed non ideo pervicit, quin ſuſpenſa, &, quo ducerentur, inclinatura reſponderet; exemploque ejus Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in aſpectu Meſſalina, clamitabatque « audiret Octaviæ & Britannici matrem » : cùm obſtreperet accuſator [4], « Silium & nuptias » referens. Simul codicillos, libidinum indices, tradidit, quibus viſus Cæſaris averteret. Nec multò pòſt Urbem ingredienti offerebantur communes liberi, niſi Narciſſus « amoveri eos » juſſiſſet. Vibidiam depellere nequivit, quin multâ cum invidiâ flagitaret, « ne indefenſa conjunx exitio daretur. » Igitur « auditurum Principem, & fore diluendi criminis facultatem » reſpondit: « iret interim virgo & ſacra capeſſeret ».

XXXV. Mirum inter hæc ſilentium Claudii: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant. « Pateſieri domum » adulteri, atque illuc deduci Imperatorem » jubet. Ac

[1] P. Largo Cæcina] Fortè, ut opinatur Lipſius, fratre C. Largi Cæcinæ, conſulis cum collegà Principe, anno U. C. DCCXCV. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XI, 33.

[2] Ad memoriam conjugii] Inde, & ex ſuperioribus omnibus, Suetonius, rumuſculorum captator, arguendus videtur, qui ſcribere ſuſtinuit *illud omnem fidem exceſſiſſe, quòd nuptiis, quas Meſſalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipſe* Claudius *conſignaverit: inductus, quaſi de induſtriâ ſimularentur ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipſi per quædam oſtenta* portenderetur. Sueton. in Claud. XXIX. Has falſas auditiones, ignobilibus ſcriptoribus avidè acceptas, ridiculas meritò fecit Tacitus, Annal. IV, 11.

[3] Aperire ambages] Hæc ipſis Illuſtr. Huetii verbis exponam. Inſtabat apud Vitellium Narciſſus, ut Claudio aperiret, quid facto opus eſſet; nec pervicit quin incerta reſponderet Vitellius, & quæ trahi poſſent, quò res eſſet inclinatura.

[4] Accusator] Narciſſus.

primùm

A. U. C. 801. J. C. 48.

primùm in veſtibulo, effigiem patris Silii [1] conſulto ſenatûs abolitam, demonſtrat: tum quidquid habitum Neronibus [2] & Druſis, in pretium probri ceſſiſſe: incenſumque & ad minas erumpentem, caſtris infert, paratâ concione militum; apud quos, præmonente Narciſſo, pauca verba fecit. Nam & ſi juſtum dolorem, pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, « nomina reorum & pœnas » flagitantium: admotuſque Silius tribunali [3], non defenſionem, non moras tentavit, precatus « ut mors adceleraretur ». Eadem conſtantia & inluſtres equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum cuſtodem [4] a Silio Meſſalinæ datum, & indicium offerentem Vectium Valentem, & confeſſum, & Pompeium Urbicum, ac Saufellum Trogum ex conſciis trahi ad ſupplicium jubet. Decius quoque Calpurnianus, vigilum præfectus [5], Sulpicius Rufus, ludi procurator [6], Juncus Virgilianus, ſenator, eâdem pœnâ adfecti.

XXXVI. Solus Mnester [7] cunctationem attulit, dilaniatâ veſte, clamitans « aſpiceret verberum notas, reminiſceretur vocis, quâ ſe obnoxium [8] juſſis Meſſalinæ dediſſet. »Aliis largitione, aut ſpei magnitudine, ſibi ex neceſſitate »culpam: nec cuiquam antè pereundum fuiſſe, ſi Silius rerum »potiretur ». Commotum his, & pronum ad miſericordiam Cæſarem perpulêre liberti, « ne, tot inluſtribus viris interfectis,

[1] Effigiem patris Silii] C. Silius, pater, Sacroviriani belli victor, partiſque apud Germaniam triumphalibus nobilis, pernicioſâ ſub Tiberio Germanici amicitiâ, infeliciter perierat, ut dictum ſuprà Annal. IV, 18. Senatuſconſulto abolitam patris effigiem reſtituerat filius, & in ædium veſtibulo, Romanorum more, poſuerat.

[2] Quidquid habitum Neronibus] Id eſt domum, ſervitia, pretioſam ſupellectilem, ceteroſque fortunæ paratus, olim a Neronibus & Druſis habita, nunc Silio a Meſſalinâ conceſſa.

[3] Silius tribunali] Quod erat in prætorianorum caſtris. De tribunali dictum ſuprà Annal. I, 18 & ſeqq.

[4] Custodem] Datos uxoribus cuſtodes ſæpe memorant Tibullus, Propertius & Martialis. Sæpe infidos fuiſſe docet Juvenalis VI, 345.

Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone ſeram: cohibe. Sed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? Cauta eſt, & ab illis incipit uxor.

[5] Vigilum præfectus] Septem erant vigilum cohortes, quæ nocturnas vigilias Romæ agebant. De his dictum Annal. IV, 5. not. 8.

[6] Ludi procurator] Circenſium aliorumve ludorum procurator.

[7] Mnester] Hiſtrio, Caio Claudioque imperitantibus, celeberrimus. Vide Suetonium in Caio XXXVI & LV.

[8] Se obnoxium] Id retulit Dio LX. pag. 679 & 680. Nos quoque diximus in Supplemento Annal. IX, 48.

A. U. C. 801. J. C. 48.

»hiſtrioni conſuleretur: ſponte an coactus tam magna pecca»viſſet, nihil referre». Ne Trauli quidem Montani, equitis Romani, defenſio recepta eſt: is modeſtâ juventâ, ſed corpore inſigni, accitus ultro, noctemque intra unam a Meſſalinâ proturbatus erat, paribus laſciviis ad cupidinem & faſtidia. Suilio Cæſonino, & Plautio Laterano mors remittitur: huic ob patrui [1] egregium meritum; Cæſoninus vitiis protectus eſt, tamquam in illo fœdiſſimo cœtu [2] paſſus muliebria.

XXXVII. Interim Meſſalina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnullâ ſpe, & aliquando irâ: tantâ inter extrema ſuperbiâ agebat. Ac ni cædem ejus Narciſſus properaviſſet, verterat pernicies in accuſatorem. Nam Claudius domum regreſſus, & tempeſtivis epulis delinitus, ubi vino incaluiſſet, « iri » jubet « nuntiarique miſeræ » (hoc enim verbo uſum ferunt) « dicendam ad cauſam poſ»terâ die adeſſet ». Quod ubi auditum, & langueſcere ira, redire amor, ac ſi cunctarentur, propinqua nox, & uxorii cubiculi memoria timebantur; prorumpit Narciſſus, denuntiatque centurionibus & tribuno qui aderant, «exſequi cædem: »ita Imperatorem jubere ». Cuſtos & exactor e libertis, Evodus datus. Iſque raptim in hortos prægreſſus, reperit fuſam humi, adſidente matre Lepidâ [3]: quæ florenti filiæ haud concors, ſupremis ejus neceſſitatibus ad miſerationem evicta erat; ſuadebatque «ne percuſſorem opperiretur: tranſiſſe »vitam, neque aliud, quàm morti, decus quærendum ». Sed animo per libidines corrupto, nihil honeſtum inerat: lacrimæque & quæſtus inriti ducebantur; cùm impetu venientium

[1] Ob patrui] Patruus A. Plautius, bello egregius, qui Britanniam ſubegit. De illo infrà Vit. Agr. cap. 14. Vide & Suetonium in Claud. XXIV. Nos plurima memoravimus in Supplemento Annal. IX, 51 & ſeqq.

[2] Fœdissimo cœtu] Spurcitiarum & bacchanalium.

[3] Matre Lepida] Valeria Meſſalina, Auguſta, aut potiùs *meretrix Auguſta*, ut eam appellat, Juvenalis VI, 118, filia erat Valerii Meſſalæ Barbati, & Domitiæ Lepidæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 24, 25 & 26. Cl. Ryckius aliam genealogiam conſarcinavit; ſed minimè probabilem, ſi quis ad annum emortualem L. Domitii Ahenobarbi, Tacit. Annal. IV, 44. attenderit. Quis enim crediderit, nullâ auctoritate ductus, tantum fuiſſe ætatis diſcrimen inter Claudium & Meſſalinam, cùm nuberent?

pulſæ fores, adſtitit tribunus per ſilentium, ac libertus increpans [1] multis ac ſervilibus probris. A. U. C. 801. J. C. 48.

XXXVIII. Tunc primùm fortunam ſuam introſpexit, ferrumque accepit, quod fruſtra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transfigitur: corpus matri conceſſum. Nuntiatumque Claudio epulanti « periiſſe Meſſalinam », non diſtincto, ſuâ, an alienâ, manu: nec ille quæſivit; popoſcitque poculum, & ſolita convivio celebravit. Ne ſecutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, triſtitiæ, ullius denique humani affectûs ſigna dedit; non cùm lætantes accuſatores aſpiceret, non cùm filios mærentes. Juvitque oblivionem ejus ſenatus, cenſendo « nomen & effigies [2] privatis ac publicis locis demovendas » : decreta Narciſſo « quæſtoria inſignia » ; leviſſimum faſtigii ejus, cùm ſupra Pallantem & Calliſtum [3] ageret. Honeſta quidem [4], ſed ex quibus deterrima orirentur, triſtitiis multis [5].

[1] Tribunus per silentium, ac libertus increpans] Digna utroque perſona. Inter has Principum calamitates ſilent nobiles viri, ſervi inſoleſcunt. Feralem hujuſmodi tribunum vidimus ſuprà Annal. I, *6*.

[2] Nomen et effigies] Senatus adeò ſæviit, ut omnes Meſſalinæ nummi aurei argenteique perierint, nulli etiam ærei ſuperſint, niſi rariſſimi & in Coloniis cuſi. Quædam adhuc reperiuntur ſtatuæ: una fuit ærea in muſeo Collegii Ludovici Magni cum inſcriptione, MES. AVG. id eſt *Meſſalina Auguſta*.

[3] Supra Pallantem et Callistum] Præcipui, Tiberio imperitante, liberti, Pallas, Calliſtus & Narciſſus. Pallas Principi erat a rationibus. Calliſtus priori regiæ, & iſti acceptiſſimus, cujus ante limen Claudium ſtantem vidit Seneca Ep. 47. Narciſſus ab epiſtolis, eò potentiæ, cæſâ Meſſalinâ, pervenit, ut hominum potentiſſimus, plus quàm quater millies ſeſtertiûm poſſideret, eumque urbes ac reges colerent, *μέγιστον τῶν ποτε ἀνθρώπων δυνηθείς. Μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ καὶ πόλεις καὶ βασιλεῖς*. Quater autem millies ſeſtertiùm efficiunt monetæ Gallicæ libras 77, 820, 100. Vide adhuc Plinium XXXIII, 10. Suetonium in Claud. XXVII. Senecam in ludo de morte Claudii. Paucis, ſed acerrimè Juvenalis, Satyr. XIV, 328.

Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narciſſi,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere juſſus.

[4] Honesta quidem] Cædes Meſſalinæ, adversùs nomen ejus & effigies ſævitia, quæſtoria inſignia Narciſſo data, hæc quidem omnia honeſta, ſed ex quibus deterrima, Claudii infamia, Agrippinæ ſcelera, orirentur.

[5] Tristitiis multis] Præter alia innumera luctûs argumenta, hæc triſtia Claudio, cujus domum evertêre, ipſum peremêre: triſtia quoque Agrippinæ, ob ſcelera inteſtabili, propter mortis genus tamen miſerandæ: triſtia demum ipſi Narciſſo, qui poſt aſperam cuſtodiam, & extremam neceſſitatem, ad mortem actus eſt, ut dicetur infrà Annal. XIII, 1.

BREVIARIUM

LIBRI DUODECIMI.

I. C*LAUDIUS de matrimonio deliberat. Inter Lolliam Paullinam, Juliam Agrippinam & Æliam Petinam certatur.* III. *Pallantis ſtudio, ſuiſque illecebris, Agrippina prævalet: juſtæ inter patruos & fratrum filias nuptiæ decreto ſenatûs ſtatuuntur.* VIII. *Mortem ſibi conſciſcit Silanus: Calvina, ſoror ejus, Italiâ pellitur. Annæus Seneca ab exſilio revocatus.* IX. *Octavia, Claudii filia, Neroni deſponſa.* X. *Parthi regem Româ petunt Meherdaten; qui, prœlio congreſſus, a Gotarze vincitur. Mors Gotarzis: Vonones ſuccedit: mox Vologeſes.* XV. *Mithridates Ponti regnum reciperare tentat: victus, Romam ducitur.* XXII. *Lollia & Calpurnia Agrippinæ odiis pervertuntur.* XXIII. *Repetitum Salutis augurium. Pomerium Urbis prolatum: veteres ejus fines.* XXV. *Nero a Claudio adoptatur.* XXVII. *Colonia in oppidum Ubiorum deducta, ut Agrippinæ nomen inclareſceret. Catti, latrocinia agitantes, victi.* XXIX. *Vannius, Suevorum rex, pellitur regno.* XXXI. *P. Oſtorii*

in Britanniâ res; & de Caractaco victoria. Oſtorio, vitâ functo, ſuffectus A. Didius. XLI. *Virilis toga Neroni maturata: Britannicus poſthabitus Agrippinæ artibus.* XLIII. *Romæ prodigia, & annonæ caritas.* XLIV. *Bellum inter Armenios Iberoſque, Parthis ac Romanis graviſſimorum inter ſe motuum cauſâ.* LII. *Furius Scribonianus in exſilium actus. Mathematici Italiâ pulſi.* LIII. *Senatuſconſultum de pœnâ feminarum, quæ ſervis conjungerentur. Pallantis, quem repertorem relationis ediderat Claudius, præmia.* LIV. *Commotæ Judææ quies reddita, damnato Cumano.* LV. *Clitarum turbas componit Antiochus.* LVI. *Claudius lacum Fucinum emittit, edito priùs navalis prœlii ſpectaculo.* LVIII. *Cauſas Ilienſium & Bononienſium orat Nero. Bononienſi coloniæ igni hauſtæ ſubventum. Reddita Rhodiis libertas. Tributum Apamienſibus in quinquennium remiſſum.* LIX. *Statilium Taurum Agrippina evertit.* LX. *Procuratorum in provinciis auctoritas ſtabilita.* LXI. *Data Cois immunitas.* LXII. *Byzantiis tributa in quinquennium remiſſa.* LXIV. *Crebra prodigia. Lepidæ mors indicta.* LXVI. *Claudius adversâ valetudine corripitur. Agrippina, occaſionis propera, infuſo boletis veneno eum interimit.* LXIX. *Britannico Agrippinæ blanditiis*

eluſo, Nero Imperator conſalutatur. Claudio cæleſtes honores decernuntur.

Hæc geſta annis ſex.

A. U. C.	J. C.		
DCCCII.	49.	*Coſſ.*	C. POMPEIO Longino Gallo, Q. VERANIO.
DCCCIII.	50.	*Coſſ.*	C. ANTISTIO Vetere, M. SUILLIO Nerviliano.
DCCCIV.	51.	*Coſſ.*	TI. CLAUDIO Cæſare V, SER. CORNELIO Orphito.
DCCCV.	52.	*Coſſ.*	P. CORNELIO Syllâ Fauſto, L. SALVIO Othone Titiano.
DCCCVI.	53.	*Coſſ.*	DECIMO JUNIO Silano, QUINTO HATERIO Antonino.
DCCCVII.	54.	*Coſſ.*	M. ASINIO Marcello, MANIO ACILIO Aviolâ.

C. CORNELII

C. CORNELII TACITI ANNALES.

LIBER DUODECIMUS.

A. U. C. 801. J. C. 48.

Cæde Messalinæ convulſa Principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio cælibis vitæ intoleranti [1], & conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarſerant, ſuam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio oſtentare. Sed maximè ambigebatur inter Lolliam Paullinam [2], M. Lollii conſularis filiam, & Juliam Agrippinam [3], Germanico genitam:

[1] Cælibis vitæ intoleranti] Hæc illuſtrat Suetonius, in Claud. XXVI. Poſt Meſſalinæ cædem Claudius *confirmavit pro concione apud prætorianos, quatenus ſibi matrimonia malè cederent, permanſurum ſe in cælibatu: ac niſi permanſiſſet, non recuſaturum confodi manibus ipſorum. Nec durare valuit quin de conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque Lolliæ Paullinæ, quæ Caio Cæſari nupta fuerat. Verùm illecebris Agrippinæ, Germanici fratris ſui filiæ, per jus oſculi & blanditiarum occaſiones pellectus in amorem, ſubornavit proximo ſenatu, qui cenſeret cogendum ſe ad ducendum eam uxorem, quaſi reipublicæ maximè intereſſet: dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur. Ac vix uno interpoſito die, confecit nuptias: non repertis, qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cujus officium nuptiarum & ipſe cum Agrippinâ celebravit.* Hæc longiora; ſed minimè omittenda, ut Principis, hujuſque ætatis mores cognoſcantur.

[2] Lolliam Paullinam] De eâ immenſiſque ejus opibus vide Stemma Cæſarum, num. 89. & Supplementum Annal. VII, 35. VIII, 28.

[3] Juliam Agrippinam] Neronis matrem. Vide Stemma Cæſarum, num. 93.

A. U. C. 801. J. C. 48.

huic Pallas, illi Calliſtus, fautores aderant: at Ælia Petina [1] e familiâ Tuberonum, Narciſſo fovebatur. Ipſe modò huc, modò illuc, ut quemque ſuadentium audierat, promptus, diſcordantes in conſilium vocat, ac « promere ſententiam, » & adjicere rationes » jubet.

II. Narcissus « vetus matrimonium, familiam com» munem » (nam Antonia [2] ex Petinâ erat) « nihil in penatibus » ejus novum » diſſerebat, « ſi ſueta conjunx rediret, haud » quaquam novercalibus odiis uſura in Britannicum & Octa» viam [3], proxima ſuis pignora ». Calliſtus « improbatam » longo diſcidio, ac ſi rurſus adſumeretur, eo ipſo ſuperbam, » longéque rectiùs Lolliam induci, quando nullos liberos ge» nuiſſet, vacuam æmulatione, & privignis [4] parentis loco » futuram ». At Pallas id maximè in Agrippinâ laudare, quòd « Germanici nepotem [5] ſecum traheret, dignum prorſus impe» ratoriâ fortunâ; ſtirpem nobilem, & familiæ Claudiæ quæ poſ» teros conjungeret [6]; nec femina [7], expertæ fecunditatis, inte» grâ juventâ, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret ».

III. Prævaluere hæc, adjuta Agrippinæ inlecebris; quæ ad eum per ſpeciem neceſſitudinis crebrò ventitando, pellicit patruum [8], ut prælata ceteris, & nondum uxor, potentiâ uxoriâ jam uteretur. Nam ubi ſui matrimonii certa fuit, ſtruere majora, nuptiaſque Domitii [9], quem ex Cn. Ahenobarbo genuerat, & Octaviæ, Cæſaris filiæ, moliri: quod ſine ſcelere perpetrari non poterat, quia L. Silano

[1] Ælia Petina] Olim Claudio nupta; ſed ob leves offenſas repudiata. Vide Stemma Cæſarum, num. 104.

[2] Antonia] Claudii & Æliæ Petinæ filia. Vide Stemma Cæſarum, num. 105.

[3] Britannicum et Octaviam] Claudio & Meſſalinâ genitos. Vide Stemma Cæſarum, num. 108 & 36.

[4] Et privignis] Antoniæ, Britannico & Octaviæ.

[5] Germanici nepotem] Neronem, poſtea Principem. Vide Stemma Cæſarum, num. 35.

[6] Posteros conjungeret] Agrippinæ & Claudii matrimonio, Nero Agrippinæ filius; Claudii liberi, Antonia, Britannicus & Octavia, familiæ Claudiæ poſteri, conjungebantur; nec in aliam domum claritudo Cæſarum ferebatur.

[7] Nec femina] Agrippina.

[8] Patruum] Claudium, fratrem Germanici, patruum Agrippinæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 100.

[9] Nuptiasque Domitii] Domitii Neronis, poſtea Principis, Cn. Domitio Ahenobarbo & Agrippinâ geniti. Vide Stemma Cæſarum, num. 35. In nummis & Inſcriptionibus memoratur CN. DOMITIVS AHENOBARBVS. De causâ cognominis vide Sueton. in Nerone I,

deſponderat Octaviam Cæſar; juvenemque & alia clarum [1], inſigni triumphalium, & gladiatorii muneris magnificentiâ, protulerat ad ſtudia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo Principis [2], cui non judicium, non odium erat, niſi indita & juſſa.

A. U. C. 801. J. C. 48.

IV. IGITUR Vitellius, nomine cenſoris [3] ſerviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum proviſor, quò gratiam Agrippinæ pararet, conſiliis ejus implicari, ſerere crimina in Silanum, cui ſanè decora & procax ſoror, Junia Calvina [4], haud multùm antè Vitellii nurus fuerat: hinc initium accuſationis, fratrumque non inceſtum, ſed incuſtoditum [5] amorem ad infamiam traxit: & præbebat Cæſar aures, accipiendis adversùm generùm ſuſpicionibus caritate filiæ promptior [6]. At Silanus, inſidiarum neſcius, ac fortè eo

[1] ET ALIA CLARUM] De Silani claritudine plura habet Dio LX. pag. 686. ὁ Σιλανὸς ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐνομίζετο, οὕτως ἐτιμᾶτο ὥστε καὶ ἐπινικίους τιμὰς ἐν παισὶ λαβεῖν· τήν τε θυγατέρα αὐτοῦ Ὀκταουΐαν ἐγγυήσασθαι, καὶ πολὺ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου στρατηγῆσαι· τήν τε πανήγυριν τὴν προσήκουσαν αὐτῷ τοῖς ἐκείνου τέλεσιν ποιῆσαι, καὶ ἐν αὐτῇ τὸν Κλαύδιον καὶ αἰτῆσαί τινα παρ' αὐτοῦ ὥσπερ τινὰ στασιάρχην, καὶ ἐκβοῆσαι πάνθ' ὅσα τοὺς ἄλλους βουλομένους ἑώρα. *Silanus vir optimus habebatur, tantique eum Claudius fecerat, ut & triumphalia ornamenta nondum puberi daret, & filiam ſuam Octaviam deſponderet; cùmque multò ante legitimum tempus prætor eſſet creatus, munus gladiatorium, quod ab ipſo præbendum erat, Claudii ſumptibus fecit; atque in eo munere Claudius, tamquam aliquis factionis princeps, quædam ab ipſo flagitavit, & contentâ voce edidit quæcumque alios velle intelligebat.* Vide & Stemma Cæſarum, num. 60.

[2] IN ANIMO PRINCIPIS. Claudii, hebetis & uxorii Principis.

[3] NOMINE CENSORIS] L. Vitellius factus anno ſuperiore collega Claudii Principis in cenſurâ. Servile Vitellii ingenium, artem Taciti in vitiis retegendis, moreſque Romanos hujuſce temporis intelligere eſt ex Suetonio in Vitell. II. & III. L. Vitellius *miri in adulando ingenii, primus Caium Cæſarem adorari ut deum inſtituit ... Claudium uxoribus libertiſque addictum, ne quâ non arte demereretur, pro maximo munere a Meſſalinâ petiit, ut ſibi pedes præberet excalceandos: detractumque ſocculum dextrum inter togam tunicaſque geſtavit aſſidue, nonnumquam oſculabundus. Narciſſi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit ... Defunctum ſenatus publico funere honoravit: item ſtatua pro roſtris, cum hac inſcriptione: Pietatis immobilis erga Principem.* De Vitellio adhuc dictum in Supplemento Annal. VIII, 52.

[4] JUNIA CALVINA] L. Silani ſoror. Vide Stemma Cæſarum, num. 62.

[5] SED INCUSTODITUM] Silanum inter & Calvinam non inceſtus, ſed incuſtoditus tantùm & incautus amor. Inde Seneca in ludo de morte Claudii, *L. Silanum generum ſuum occidit* Claudius. *Oro propter quid! ſororem ſuam, feſtiviſſimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. Quare, inquit, quæro enim, ſororem ſuam ſtultè ſtudere! Junonis* nomen in crimen vertebatur, quaſi Calvina, æquè ac Dea, ſoror ſimul eſſet & conjux.

[6] CARITATE FILIÆ PROMPTIOR] Tantò promptior accipiendis adversùs generum ſuum, Silanum, ſuſpicionibus, quantò magis diligebat filiam ſuam, Octaviam, illi deſtinatam.

A. U. C. 801. J. C. 48.

anno prætor, repentè per edictum Vitellii [1] ordine ſenatorio movetur, quamquam lecto pridem ſenatu, luſtroque condito [2], ſimul adfinitatem Claudius diremit, adactuſque Silanus ejurare magiſtratum, & reliquus præturæ dies [3] in Eprium Marcellum collatus eſt.

A. U. C. 802. J. C. 49.

V. C. Pompeio, Q. Veranio conſulibus [4], pactum inter Claudium & Agrippinam matrimonium. Jam famâ, jam amore inlicito firmabatur, nec dum celebrare ſolemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo [5] deductæ in domum patrui fratris filiæ. Quin & inceſtum, ac, ſi ſperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur. Nec antè omiſſa cunctatio, quàm Vitellius ſuis artibus id perpetrandum ſumpſit. Percunctatuſque Cæſarem, « an juſſis populi, an auctoritati ſenatûs » cederet »? ubi ille « unum ſe civium, & conſenſui imparem [6] » reſpondit, « opperiri intra palatium » jubet: ipſe curiam ingreditur, ſummamque rempublicam agi obteſtans, veniam dicendi ante alios expoſcit, orditurque; « Graviſſimos Principis labores, quîs orbem terræ capeſſat, egere » adminiculis, ut, domeſticâ curâ vacuus, in commune conſulat: quod porro honeſtius cenſoriæ mentis [7] levamen, quàm » adſumere conjugem proſperis dubiiſque ſociam? cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat; non luxui, aut » voluptatibus adſuefactus, ſed qui primâ ab juventa legibus » obtemperaviſſet ».

[1] Per edictum Vitellii] Cenſoriâque poteſtate, de quâ diximus ſatis in Notis & Emendat. ad Annal. XI, 25.

[2] Lustroque condito] De luſtro dictum ſuprà Annal. XI, 25.

[3] Reliquus præturæ dies] IV. Kalendas Januarias præturâ ſe abdicavit Silanus. Quatuor ergo dies tantùm ſupererant. Vide Sueton. in Claud. XXIX.

[4] Q. Veranio consulibus] C. Pompeius Longinus Gallus & Q. Veranius conſules fuêre anno Urbis conditæ DCCCII. Jeſu Chriſti 49. In vetere inſcriptione apud Muratori, Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. CCCV.

Q. VERANIO
A. POMPEIO GALLO COS.

Unde forte *Aulus*, non verò *Caius*, fuit Pompeii prænomen.

[5] Nullo exemplo] Nuptias celebrare non audebant, primò quòd apud Romanos nullum eſſet exemplum fratris filiæ in domum patrui deductæ; ſecundò, quòd talia conjugia *ad id tempus inceſta* eſſent habita, Sueton. in Claud. XXVI. Tertiò quòd id in malum publicum morumque peſtem erumperet.

[6] Consensui imparem] Se unum eſſe dumtaxat civium, & omnium conſenſui obniti non poſſe. In Mſ. Reg. & Ed. Puteolani *conſenſu*.

[7] Censoriæ mentis] Cenſor erat Claudius, ut dictum ſuprà.

A. U. C. 802. J. C. 49.

VI. Postquam hæc favorabili oratione præmiſit, multaque patrum aſſentatio ſequebatur; capto rurſus initio, « Quando maritandum Principem cuncti ſuaderent, deligi » oportere feminam nobilitate, puerperiis, ſanctimoniâ inſig» nem. Nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine ge» neris anteiret: datum ab eâ fecunditatis experimentum; & » congruere artes honeſtas. Id verò egregium, quod, proviſu » deûm, vidua [1] jungeretur Principi, ſua tantùm matrimonia » experto: audiviſſe a parentibus, vidiſſe ipſos, arripi conjuges » ad libita Cæſarum [2]: procul id a præſenti modeſtiâ: ſtatue» retur immo documentum, quo uxorem [3] Imperator acciperet. » At enim nova nobis in fratrum filias conjugia, ſed aliis » gentibus [4] ſolemnia, neque lege ullâ prohibita. Et ſobri» narum [5] diu ignorata, tempore addito percrebuiſſe: morem » accommodari prout conducat; & fore hoc quoque in his, » quæ mox uſurpentur ».

VII. Haud defuêre qui certatim, « ſi cunctaretur Cæſar, » vi acturos » teſtificantes, erumperent curiâ. Conglobatur promiſcua multitudo, « populumque Romanum eadem rogare » clamitat. Nec Claudius ultrà exſpectato, obvium apud forum præbet ſe gratantibus; ſenatumque ingreſſus « decretum poſ» tulat [6], quo juſtæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ

[1] Vidua] Agrippina tum vidua: antè nupta primùm Cn. Domitio Ahenobarbo, deinde Paſſieno Criſpo. Vide Stemma Cæſarum, num. 34. 93 & 94.

[2] Ad libita Cæsarum] Id peccaverat Auguſtus, ac maximè Caius Caligula.

[3] Quo uxorem] Documentum, quo Agrippinam uxorem Imperator acciperet. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 6.

[4] Aliis gentibus] Athenienſibus, Judæis. Vide Grotium de Jure Belli & Pacis. II, 5. num. 14.

[5] Sobrinarum] Id eſt conſobrinarum. Voces illæ, quæ a Juriſconſultis diſtinguuntur, ab optimis ſcriptoribus promiſcuè uſurpantur, ut Grammaticis obſervatum. Jam ante annum U. C. dlxxxiii. vel modici generis hominibus uſitata fuiſſe cum conſobrinis matrimonia conſtat ex oratione Liguſtini apud Livium, XLII, 34. *Sp. Liguſtinus, tribûs Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit, & parvum tugurium, in quo natus educatuſque ſum: hodieque ibi habito. Cùm primùm in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris ſui filiam dedit: quæ ſecum nihil attulit præter libertatem, pudicitiamque, & cum his ſecunditatem, quanta vel in diti domo ſatis eſſet.*

[6] Decretum postulat] Juxta hoc decretum Domitiano Titi fratris filia in matrimonium oblata, Sueton. in Domit. XXII. Illud abrogavit Nerva, teſte Dione LXVIII. pag. 770. ἐνομοθέτησε … μήτε ἀδελφιδῆν γαμεῖν. Cùm tamen diverſæ ſint de hac lege Juriſ-

A. U. C. 802. J. C. 49.

etiam in poſterum ſtatuerentur. Neque tamen repertus eſt, niſi unus[1] talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratiâ impulſum ferebant. Verſa ex eo civitas, & cuncta feminæ obediebant, non per laſciviam, ut Meſſalinæ, rebus Romanis inludenti. Adductum[2], & quaſi virile, ſervitium. Palam ſeveritas, ac ſæpius ſuperbia: nihil domi impudicum, niſi dominationi[3] expediret: cupido auri immenſa obtentum habebat, quaſi ſubſidium regno pararetur.

VIII. Die nuptiarum[4] Silanus ſibi mortem conſcivit: ſive eò uſque ſpem vitæ produxerat; ſeu delecto die, augendam ad invidiam. Calvina, ſoror ejus, Italiâ pulſa eſt. Addidit Claudius, « ſacra ex legibus Tulli regis[5] piaculaque apud » lucum Dianæ[6] per pontifices danda » : inridentibus cunctis[7], quòd pœnæ procurationeſque[8] inceſti id temporis exquirerentur. At Agrippina, ne malis tantùm facinoribus noteſceret, veniam exſilii pro Annæo Senecâ, ſimul præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem ſtudiorum ejus;

conſultorum ſententiæ, vide quæ ad hunc Dionis locum obſervat eruditus Reimarus.

[1] Nisi unus] Duos fuiſſe tradit Suetonius in Claud. XXVI. jam laudatus ſuprà cap. I. not. 1. Fortè libertinum, de quo Suetonius, haud memorandum duxit Tacitus.

[2] Adductum] Grave fuit ſervitium, & æquè durum ac ſi viro obtemperaretur. *Adductum* pro *grave*, *auſterum*, adhuc uſurpatur infrà Annal. XIV, 4. Sicque apud Suetonium in Tiber. LXVIII, Tiberius *adducto fere vultu*, *plerumque tacitus* dicitur.

[3] Nisi dominationi] Dominationi Agrippinæ. Immenſam quoque ſuam auri cupidinem obtentu ſubſidiorum regno parandorum velabat.

[4] Die nuptiarum] Sueton. in Claud. XXIX. Silanus *abdicare ſe præturâ ante quartum Kalendas Januarias*, *morique initio anni coactus*, *die ipſo Claudii & Agrippinæ nuptiarum.*

[5] Ex legibus Tulli regis] Sacra illa eadem eſſe videntur ac piacula, quibus ſororis ſuæ cædem expiavit Horatius apud Livium I, 26. *Ut cædes manifeſta aliquo tamen piaculo lueretur*, *imperatum patri*, *filium expiaret pecuniâ publicâ. Is quibuſdam piacularibus ſacrificiis factis*, *quæ deinde genti Horatiæ tradita ſunt*, *tranſmiſſo per viam tigillo*, *capite adoperto*, *velut ſub jugum miſit juvenem.* De his quoque ſacris vide Dionyſ. Halicarnaſſ. III. pag. 159 & 160.

[6] Lucum Dianæ] Plin. XVI, 44, *Eſt in ſuburbano Tuſculani agri*, Fraſcati, *colle*, *qui Corne appellatur*, *lucus antiquâ religione Dianæ ſacratus a Latio.*

[7] Inridentibus cunctis] Quis non rideret Principem ſcelera patrantem ſimul & expiantem!

[8] Procurationeſque] Id eſt pœnæ & piacula. Cl. *Amelot de la Houſſaie* contendit procurationes illas de ſenatuſconſulto, quo juſtæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ ſtatutæ ſunt, eſſe intelligendas. At eo ſenſu non uſurpatur *procuratio*. Contrà verò de piaculis dicitur. Sic enim Tullius de Divinat. I, 45. *Ut ſue plenâ procuratio fieret.*

A. U. C. 802. J. C. 49.

utque Domitii [1] pueritia tali magiſtro adoleſceret, & conſiliis ejuſdem ad ſpem dominationis uterentur: quia Seneca fidus in Agrippinam, memoriâ beneficii, & infenſus Claudio, dolore injuriæ [2], credebatur.

IX. Placitum dehinc non ultrà cunctari: ſed deſignatum conſulem, Memmium Pollionem [3], ingentibus promiſſis inducit, ſententiam expromere, quâ oraretur Claudius, « deſpondere Octaviam Domitio »: quod ætati utriuſque non abſurdum, & majora patefacturum erat. Pollio haud diſparibus verbis, ac nuper Vitellius [4], cenſet: deſpondeturque Octavia: ac ſuper priorem neceſſitudinem, ſponſus jam & gener Domitius æquari Britannico, ſtudiis matris, & arte eorum [5], quîs ob accuſatam Meſſalinam ultio ex filio timebatur.

X. Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut retuli [6], Meherdaten miſſi, ſenatum ingrediuntur, mandata in hunc modum incipiunt: « Non ſe fœderis ignaros, nec » defectione a familiâ Arſacidarum venire: ſed filium Vononis [7], » nepotem Phraatis, accedere adversùs dominationem Gotar» zis, nobilitati plebique juxtà intolerandam. Jam fratres, » jam propinquos, jam longiùs ſitos, cædibus exhauſtos: » adjici conjuges gravidas, liberos parvos, dum ſocors domi, » bellis infauſtus, ignaviam ſævitiâ tegat. Veterem ſibi ac » publicè cœptam nobiſcum amicitiam; & ſubveniendum » ſociis, virium æmulis, cedentibuſque per reverentiam. Ideo » regum obſides liberos dari, ut ſi domeſtici imperii tædeat, » ſit regreſſus ad Principem patreſque, quorum moribus adſue» factus rex melior adſciſceretur ».

1 Domitii] Neronis.

2 Dolore injuriæ] Annæus Seneca adulterii cum Juliâ Livillâ, Caii ſorore, a Meſſalinâ accuſatus, in Corſicam inſulam relegatus fuit anno U. C. DCCXCIV. Vide Supplementum Annal. IX, 24.

3 Memmium Pollionem] Hoc ipſo anno U. C. DCCCII. L. Memmius Pollio & Q. Allius Maximus conſules fuêre ſuffecti.

4 Ac nuper Vitellius] Suprà cap. 5.

5 Et arte eorum] Ita Mſ. Reg. In vulgatis libris omiſſa copula. *Arte eorum*, id eſt libertorum, ac maximè Narciſſi, qui ob accuſatam Meſſalinam ultionem ex Britannico, ejus filio, ſi unquam imperaret, timebant.

6 Ut retuli] Suprà Annal. XI, 10.

7 Filium Vononis] Meherdaten.

A. U. C. 802. J. C. 49.

XI. Ubi hæc atque talia diſſertavêre, incipit orationem Cæſar « de faſtigio Romano, Parthorumque obſequiis » : ſeque divo Auguſto adæquabat, « petitum ab eo regem [1] » referens, omiſſâ Tiberii memoriâ, quamquam is quoque miſerat [2]. Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) « ut non do- »minationem & ſervos, ſed rectorem & cives [3] cogitaret, »clementiamque ac juſtitiam quantò ignara barbaris, tantò »toleratiora capeſſeret ». Hinc verſus ad legatos, extollit laudibus « alumnum Urbis, ſpectatæ ad id modeſtiæ; ac tamen »ferenda regum ingenia [4], neque uſui crebras mutationes: »rem Romanam huc ſatietate gloriæ provectam, ut externis »quoque gentibus quietem velit ». Datum poſt hæc C. Caſſio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis.

XII. Ea tempestate Caſſius [5] ceteros præeminebat peritiâ legum: nam militares artes per otium ignotæ, induſtrioſque aut ignavos pax in æquo tenet. Attamen, quantum ſine bello dabatur, revocare priſcum morem, exercere legiones, curâ, proviſu, perinde agere, ac ſi hoſtis ingrueret. Ita dignum majoribus ſuis, & familiâ Caſſiâ ratus, per illas quoque gentes celebratâ [6]. Igitur excitis quorum de ſententiâ petitus rex, poſitiſque caſtris apud Zeugma [7], unde maximè pervius amnis, poſtquam inluſtres Parthi rexque Arabum Abgarus [8]

[1] Petitum ab eo regem] Miſſumque Vononen, ut dictum ſuprà Annal. II, 2.

[2] Is quoque miserat] Immo duos miſerat, Phraaten, Annal. VI, 31. & Tiridaten, Annal. VI, 32. At ille, nondum regnum potitus, obiit: hic brevì pulſus. Ideo fortè eos omiſit Claudius.

[3] Rectorem et cives] Egregiè dictum. Se non dominatorem, ſed rectorem, populos non eſſe ſervos, ſed cives, cogitaret. De his antithetis vide Grotium de Jur. Bell. ac Pac. III, 8. num. 2.

[4] Ferenda regum ingenia] Rectè enim de regibus, ut de parentibus dictum:

Ames parentem, ſi æquus eſt: ſi non, feras.

Hæc eruditè ſimul & Chriſtianè illuſtrat Grotius de Jur. Bell. ac Pac. I, 4. num. 4 & 5.

[5] Cassius ceteros] De Caſſio Longino vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 12.

[6] Celebrata] C. Caſſius, Cæſaris dictatoris interfector, Romanos, devicto a Parthis Craſſo A. U. C. dcci. ſuperſtites ſervavit; Oſacen, Parthorum ducem, occidit; Pacorum ex Syriâ fugavit, Dio XL. pag. 132 & ſeqq.

[7] Apud Zeugma] Plin. V, 24. Urbs Cyrrheſticæ *Zeugma*, *LXXII millibus paſſuum a Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile.* Zeugma, ita dictum a Græco *ζεύγνυμι*, *jungo*, nunc dicitur *le pont Manbeg.*

[8] Rexque Arabum Abgarus] De Abgaro Arabum, id eſt Edeſſenorum rege, vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 12.

advenerat;

A. U. C. 802. J. C. 49.

adveneràt; monet Meherdaten, « barbarorum impetus acres, » cunctatione langueſcere, aut in perfidiam mutari: itaque » urgeret cœpta ». Quod ſpretum fraude Abgari, qui juvenem ignarum, & ſummam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edeſſam [1]. Et vocante Carrhene [2], « promptaſque res » oſtentante « ſi citi adveniſſent », non cominus Meſopotamiam, ſed flexu Armeniam [3] petunt, id temporis importunam, quia hiems occipiebat.

XIII. Exin nivibus & montibus feſſi, poſtquam campos propinquabant, copiis Carrhenis adjunguntur. Tranſmiſſoque amne Tigri, permeant Adiabenos [4], quorum rex Izates [5] ſocietatem Meherdatis palam induerat: in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. Sed capta in tranſitu urbs Ninos [6], vetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ, & Arbela [7], caſtellum inſigne famâ, quod poſtremò inter Darium atque Alexandrum prœlio Perſarum illic opes conciderant. Interea Gotarzes apud montem, cui nomen *Sambulos* [8], vota diis loci [9] ſuſcipiebat, præcipuâ

[1] Edessam] Urbem Meſopotamiæ, Abgari regiam: nunc dicitur *Orpha*. Eam ab Abgaro *Vehomo* conditam (veriùs inſtauratam & ornatam dixiſſet) prodit Moſes Chorenenſis, Hiſtor. Armeniac. II, 26.

[2] Carrhene] Duce aliquo Abgari.

[3] Flexu Armeniam] Breviter, ſed accuratiſſimè & ad Geographiam accommodatiſſimè dictum. Meherdates, Edeſſâ profectus, non cominus Meſopotamiam petiit, ſed flexit ad Armeniam ob montes aditu difficiles, tum etiam ob hiemem & nives omnino importunam: poſtquam campos propinquavit, adjunctæ ſunt Carrhenis copiæ; Tigrinque videtur trajeciſſe, ubi nunc urbs *Diarbekir*.

[4] Adiabenos] Plinio VI, 13. *Adiabene Aſſyriorum initium*. Nunc *partie du Kurdiſtan*, & *de la Méſopotamie*.

[5] Rex Izates] De Izate rebuſque Parthicis multa habet Joſephus, Antiq. Jud. XX, 2 & 3.

[6] Urbs Ninos] Urbs Ninus, vel Ninive, quâ nulla olim clarior, nunc pagus dictus *Nino*, ex adverſo urbis *Moſul*. In dextrâ Tigris ripâ *Moſul*, in lævâ *Nino*.

[7] Et Arbela] Apud Plinium VI, 13. Adiabenæ *pars eſt Arbelitis*, in quâ Arbela, nunc *Erbil*.

[8] Cui nomen Sambulos] Tabulis Geographicis Corbulonis utebatur Tacitus, quæ in hac terrarum parte, ut in multis, erant noſtris pleniores & accuratiores. Minùs enim ac lentiùs ſtudiis & literis, quàm bellis & victoriis illuſtratur Geographia. Fruſtra ergo divinaretur qui ſit mons iſte *Sambulos*, quod flumen *Corma*. Ne tamen locorum omnino rudes ſimus, videtur Meherdaten Arbelâ obviam Gotarzi proceſſiſſe; & Gotarzen Hecatompylo, Parthorum regiâ, nunc *Iſpahan*, Meherdati occurriſſe: ac proinde Arbelam inter & Hecatompylon fuiſſe montem *Sambulon* & flumen *Cormam*. Nec procul vero eos intra montem *Eluend* & fluvium *Gumedti*, qui in Tigrin influit, concurriſſe. Certè pugnatum in provinciâ, quam nunc dicimus *Irac-Ajami*.

[9] Diis loci] Superſtitioſa mortalitas, quæ deum ubique præſentem haud

religione Herculi: qui, tempore ſtato, per quietem monet ſacerdotes, « ut, templum juxta, equos venatui adornatos[1] » ſiſtant ». Equi, ubi pharetras telis onuſtas accepêre, per ſaltus vagi, nocte demum vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt. Rurſus deus, quà ſilvas pererraverit, nocturno viſu demonſtrat: reperiunturque fuſæ paſſim feræ.

A. U. C. 802. J. C. 49.

XIV. Ceterùm Gotarzes, nondum ſatis aucto exercitu, flumine Cormâ pro munimento uti; & quamquam per inſectationes & nuntios ad prœlium vocaretur, nectere moras, locos mutare, &, miſſis corruptoribus, exuendam ad fidem hoſtes emercari. Ex quis Izates Adiabenus, mox Abgarus Arabum, cum exercitu abſcedunt; levitate gentili, & quia experimentis cognitum eſt, barbaros malle Româ petere reges, quàm habere. At Meherdates, validis auxiliis nudatus, ceterorum proditione ſuſpectâ, quod unum reliquum, rem in caſum dare, prœlioque experiri ſtatuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, deminutis hoſtibus ferox. Concurſumque magnâ cæde, & ambiguo eventu: donec Carrhenem, profligatis obverſis[2], longiùs evectum integer a tergo globus circumveniret. Tum omni ſpe perditâ, Meherdates promiſſa Parrhacis, paterni clientis, ſecutus, dolo ejus vincîtur; traditurque victori. Atque ille « non propinquum, neque Arſacis de » gente, ſed alienigenam & Romanum » increpans, auribus deciſis[3] vivere jubet, oſtentui clementiæ ſuæ, & in nos

agnoverat, deos ubique fingebat. Herculanenſes inter picturas, una exſtat, *Pitture Antiche d'Ercolano*, Tom. I. pag. 207, quæ ſerpentem, deum loci, exhibet cum hac inſigni inſcriptione:

GENIVS
HVIVS LOCI
MONTIS.

Cur verò in montibus potiùs, quàm in vallibus, vota ſuſciperent ignari mortales docet Tacitus Annal. XIII, 57, *Eos maximè locos propinquare cælo, preceſque mortalium a deis nuſquam propiùs audiri.* Reconditiorem verò horumce ſacrorum uſum nos docet Plinius XXVIII, 2, *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitum a Romanis ſacerdotibus evocari deum, cujus in tutelâ id oppidum eſſet: promittique illi eumdem aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in Pontificum diſciplinâ id ſacrum: conſtatque ideo occultatum in cujus dei tutelâ Roma eſſet.* Vide & Macrobium III, 9. ubi plurima de diis tutelaribus.

[1] Venatui adornatos] Miror portentoſam hanc fabulam uni Tacito memoratam, ceteris indictam.

[2] Profligatis obversis] Profligatis Parthicis copiis, quæ ipſi erant obverſæ.

[3] Auribus decisis] Mos ille diu

A. U. C. 802. J. C. 49.

dehoneſtamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accituſque in regnum Vonones [1], Medis tum præſidens. Nulla huic proſpera, aut adverſa, quîs memoraretur. Brevi & inglorio imperio perfunctus eſt: reſque Parthorum in filium ejus Vologeſen tranſlatæ.

XV. At Mithridates Boſphoranus [2], amiſſis opibus vagus, poſteaquam Didium [3] ducem Romanum, roburque exercitûs abiſſe cognoverat, relictos in novo regno Cotyn [4] juventâ rudem, & paucas cohortium cum Julio Aquilâ, equite Romano; ſpretis utriſque, concire nationes, inlicere perfugas, poſtremò exercitu coacto, regem Dandaridarum [5] exturbat, imperioque ejus potitur. Quæ ubi cognita, & jam jamque Boſphorum invaſurus habebatur, diffiſi propriis viribus Aquila & Cotys, quia Zorſines, Siracorum rex [6], hoſtilia reſumpſerat, externas & ipſi gratias quæſivêre, miſſis legatis ad Eunonen, qui Aorſorum genti [7] præcellebat. Nec fuit in arduo ſocietas,

viguit in Oriente, ut victi, naribus auribuſve deciſis, effoſſis aut excuſſis oculis, deturparentur.

[1] Vonones] Vonones II. Vide Canonem regum Parthorum inter Notas & Emendationes Annal. II, 1.

[2] Mithridates Bosphoranus] Mithridates, Mithridatis magni ſtirps, Boſphoranum regnum a Claudio acceperat anno U. C. dccxciv, Dio LX. pag. 670. nos quoque in Supplemento Annal. IX, 20. Illum rebellem regno ejecerat A. Didius, dux Romanus, regnumque Cotyi, ejus fratri, dederat. Poſtquam Didium roburque Romani exercitûs abiiſſe cognovit Mithridates, regnum ſuum recuperare aggreſſus eſt. Boſphoranum regnum tenebat Cherſoneſum Tauricam, & quidquid occidentali & meridionali parti Mæotiæ paludis adjacet, nunc *la Crimée & la côte occidentale & méridionale de la mer d'Azow.*

[3] Didium] Laudatur adhuc infrà cap. 40. & in vitâ Agricolæ XIV. Vide & Cl. Bimardum de vitâ T. Didii & Gente Didiâ pag. 19.

[4] Cotyn] Fratrem Mithridatis, & proditorem, infrà cap. 18. Cl. Reimarus, optimus Dionis editor, aliquid humanitùs paſſus eſt, cùm ſcripſit in notis ad Dionem LX. pag. 681. hunc Cotyn eumdem eſſe ac Cottium, Alpium Cottiarum regem, de quo Dio loc. cit. noſque in Supplemento Annal. X, 10.

[5] Regem Dandaridarum] Dandarii, aut Dandaridæ, Mæotiis gentibus a Strabone XI, pag. 495. accenſentur, *τῶν Μαιωτῶν δ' εἰσὶν αὐτοί τε οἱ Σίνδοι, καὶ Δανδάριοι.* Rex, aut potius regulus Dandaridarum, ſicut & alii plurimi, vulgò parebant regibus Boſphoranis, quorum imperium ad Tanaim uſque nonnunquam protendebatur. Situs eorum populorum ex hac Taciti narratione certò elicitur. Ii ſunt, quos nunc dicimus *les Tartares de Kuban.*

[6] Siracorum rex] Straboni XI. pag. 492. memorantur *Ἄορσοι καὶ Σιρακοί.* Nec diverſi a ΣΗΡΑΚΗΝΟΙΣ, quos Ptolemæus V, 9. ponit infra Iaxamatas. Pars ergo erant populorum, quos jam diximus *les Tartares de Kuban.*

[7] Aorsorum genti] Supra Mæotiam paludem habitabant. Nunc *la partie orientale de la petite Tartarie, entre le Niéper & le Don.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 15.

A. U. C. 802. J. C. 49.

potentiam Romanam adverſùs rebellem Mithridaten oſtentantibus. Igitur pepigêre, « equeſtribus prælіis Eunones cer»taret; obſidia urbium Romani capeſſerent ».

XVI. Tum compoſito agmine incedunt: cujus frontem & terga, Aorſi; media cohortes, & Boſphorani, tutabantur, noſtris in armis [1]. Sic pulſus hoſtis, ventumque Sozam [2] oppidum Dandaricæ, quod deſertum a Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri, relicto ibi præſidio, viſum. Exin in Siracos pergunt. Et tranſgreſſi amnem Pandam [3], circumveniunt urbem Uſpen [4], editam loco, & mœnibus ac foſſis munitam, niſi quòd mœnia non ſaxo, ſed cratibus revinctis [5], ac mediâ humo, adverſùm inrumpentes invalida erant: eductæque altiùs turres, facibus atque haſtis turbabant obſeſſos: ac ni prœlium nox diremiſſet, cœpta patrataque expugnatio eumdem intra diem foret.

XVII. Postero miſêre legatos, « veniam liberis cor»poribus » orantes: « Servitii decem millia » offerebant: quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſævum, tantam multitudinem cuſtodiâ cingere arduum: ut belli potiùs jure caderent. Datumque militibus, qui ſcalis evaſerant, ſignum cædis. Excidio Uſpenſium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, cùm arma, munimenta, impediti, vel eminentes, loci, amneſque & urbes juxtà perrumperentur. Igitur Zorſines, diu penſitato Mithridatiſne rebus extremis, an patrio regno conſuleret; poſtquam prævaluit gentilis utilitas, datis obſidibus, apud effigiem Cæſaris [6] procubuit, magnâ gloriâ exercitûs Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai [7] conſtitit. Sed in regreſſu diſpar fortuna fuit; quia navium quaſdam, quæ mari remeabant, in litora

[1] Nostris in armis] Boſphorani Romanorum more armati.

[2] Sozam] Oppidum illud Dandaridarum evanuit: fortè cratibus munitum, ſicut urbs Uſpe.

[3] Amnem Pandam] Hunc amnem unus memorat Tacitus. Exiſtimo unum eſſe ex iis, qui in lacum *Biſſuga* influunt.

[4] Urbem Uspen] Periit.

[5] Cratibus revinctis] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 16.

[6] Apud effigiem Cæsaris] Iiſdem ſanè cærimoniis, de quibus plura infrà Annal. XV, 29. & Hiſt. I, 36.

[7] Ab amne Tanai] Nunc *le Don*.

Taurorum [1] delatas circumvenêre barbari, præfecto cohortis, & pleriſque centurionum interfectis. A. U. C. 802. J. C. 49.

XVIII. Interea Mithridates, nullo in armis ſubſidio, conſultat cujus miſericordiam experiretur. Frater Cotys [2], proditor olim, deinde hoſtis, metuebatur. Romanorum nemo id auctoritatis aderat, ut promiſſa ejus magni penderentur. Ad Eunonen [3] convertit, propriis odiis non infenſum, & recèns conjunctâ nobiſcum amicitiâ, validum. Igitur cultu, vultuque quàm maximè ad præſentem fortunam comparato, regiam ingreditur, genibuſque ejus provolutus, « Mithridates », inquit, « terrâ marique Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Utere, ut voles, prole magni Achæmenis [4], quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt ».

XIX. At Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus, adlevat ſupplicem, laudatque « quòd gentem Aorſorum, quòd ſuam dexteram petendæ veniæ delegerit ». Simul legatos literaſque ad Cæſarem in hunc modum mittit: « Populi Romani imperatoribus magnarumque nationum regibus, primam ex ſimilitudine fortunæ amicitiam: ſibi & Claudio, etiam communionem victoriæ eſſe. Bellorum egregios fines, quotiens ignoſcendo tranſigatur [5]. Sic Zorſini victo nihil ereptum. Pro Mithridate quando gravius mereretur, non potentiam, non regnum precari; ſed ne triumpharetur, neve pœnas capite expenderet ».

XX. At Claudius, quamquam nobilitatibus externis

[1] Taurorum] Tauri litus orientale Mæotiæ paludis habitabant, ſupra oſtia fluvii Rhombitis, *le Kuban*.

[2] Frater Cotys] De illo dictum ſuprà cap. 15.

[3] Eunonen] Aorſorum ducem, de quo ſuprà cap. 15.

[4] Prole magni Achæmenis] Se Perſarum regibus oriundum ferebat. Auctor nominis Achæmenes, avus Cambyſis: unde Xerxes genus ſuum recenſens apud Herodotum, Polymnia. VII, 11. ait, ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τείσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Τείσπεος, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς. Xerxes filius *Darii, qui ſuit Hyſtaſpis, qui fuit Arſamis, qui fuit Armnis, qui fuit Teiſpei, qui fuit Cyri, qui fuit Cambyſis, qui fuit Teiſpei, qui fuit Achæmenis filius*. Ideo reges Perſarum dicti ſunt Achæmenidæ.

[5] Transigatur] Egregiè dictum. Nec aliter Julius Cæſar in Epiſtolâ: *Hæc nova ſit ratio vincendi, ut miſericordiâ & liberalitate nos muniamus*. Vide Grotium de Jur. bell. ac pac. III, 15. num. 12.

A. U. C. 802. J. C. 49.

mitis, dubitavit tamen, accipere captivum pacto ſalutis, an repetere armis, rectius foret. Huc dolor injuriarum, & libido vindictæ adigebat. Sed differebatur contrà : « Suſcipi bellum »avio itinere, importuoſo mari : ad hoc reges feroces; vagos »populos; ſolum frugum egens : tum tædium ex morâ, pe»ricula ex properantiâ; modicam victoribus laudem, ac mul»tum infamiæ, ſi pellerentur : quin arriperet oblata, & ſervaret »exſulem : cui inopi quantò longiorem vitam, tantò plus »ſupplicii fore ». His permotus, ſcripſit Eunoni, « meritum »quidem noviſſima exempla Mithridatem, nec ſibi vim ad »exſequendum deeſſe : verùm ita majoribus placitum, quantâ »pervicaciâ in hoſtem, tantâ beneficentiâ adversùs ſupplices »utendum : nam triumphos de populis [1] regniſque integris »adquiri ».

XXI. Traditus poſt hoc Mithridates, vectuſque Romam per Junium Cilonem, procuratorem Ponti, ferociùs, quàm pro fortunâ differuiſſe apud Cæſarem ferebatur. Elataque vox ejus in vulgum hiſce verbis : « Non ſum remiſſus »ad te, ſed reverſus : vel, ſi non credis, dimitte, & quære [2] » : vultu quoque interrito [3] permanſit, cùm roſtra juxta, cuſtodibus circumdatus, viſui populo præberetur. Conſularia inſignia [4] Ciloni, Aquilæ prætoria [5] decernuntur.

XXII. Iisdem conſulibus, atrox odii Agrippina, ac Lolliæ infenſa, quòd ſecum de matrimonio Principis certaviſſet [6], molitur crimina, & accuſatorem, qui objiceret « Chaldæos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii [7] »ſimulacrum ſuper nuptiis Imperatoris ». Exin Claudius,

[1] Triumphos de populis] Tum enim non de exiguâ miſerandâque captivorum manu, ſed de populis regniſque integris triumphatur.

[2] Dimitte, et quære] Vox vanior, quàm miſerum Principem decet.

[3] Vultu quoque interrito] Id Achæmenidâ dignum. Vinci humanum eſt : frangi inſanum.

[4] Consularia insignia] Faſces, ſella curulis, toga, prætexta.

[5] Aquilæ prætoria] Julio Aquilæ, de quo ſuprà cap. 15. Inſignia prætoria, id eſt, latus clavus, paludamentum, ſella curulis, prætexta, anuli, gladius & haſta.

[6] Certavisset] De hoc certamine dictum ſuprà cap. 1 & 2.

[7] Apollinis Clarii] De quo dictum ſuprà Annal. II, 54. Vide & nummum Colophoniorum Apolliniſque Clarii, apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles*

inauditâ reâ, multa de claritudine ejus apud ſenatum præfatus, « ſorore L. Voluſii [1] genitam, majorem ei patruum Cottam » Meſſalinum [2] eſſe, Memmio quondam Regulo nuptam » ; (nam de C. Cæſaris nuptiis [3] conſultò reticebat) addidit « perniciosa in rempublicam conſilia, & materiem ſceleri » detrahendam. Proin, publicatis bonis, cederet Italiâ ». Ita quinquagies ſeſtertiûm [4] ex opibus immenſis exſuli relictum. Et Calpurnia inluſtris femina pervertitur, quia formam ejus laudaverat Princeps, nullâ libidine, ſed fortuito ſermone: unde vis Agrippinæ citra ultima ſtetit [5]. In Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus & lege repetundarum Cadius Rufus [6], accuſantibus Bithynis.

A. U. C. 802. J. C. 49.

XXIII. Galliæ Narbonenſi, ob egregiam in patres reverentiam datum, « ut ſenatoribus ejus provinciæ, non » exquiſitâ Principis ſententiâ, jure quo Sicilia haberetur, res » ſuas inviſere liceret [7] ». Ituræique [8] & Judæi, defunctis

de Peuples & de Villes, *Tome II. page* 73.

[1] L. Volusii] De quo plura & egregia infrà Annal. XIII, 30. Regibus Rutulis ortos Voluſios laudat Rutilius in Itinerario, v. 169.

Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos, teſte Marone, refert.

Vide Maronem Æneïd. XI, 463 & 464.

[2] Cottam Messalinum] Meſſalæ oratoris filium. Cottam laudat Ovidius IV. de Ponto, XVI, 43.

Te tamen in turbâ, non auſim, Cotta, ſilere,
Pieridum lumen, præſidiumque fori.
Maternos Cottas, cui Meſſalaſque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.

[3] C. Cæsaris nuptiis] De Caii Caligulæ & Lolliæ nuptiis vide Supplementum Annal. VII, 35.

[4] Quinquagies sestertiûm] Quinquagies centena millia ſeſtertiûm ſunt monetæ Gallicæ libræ 972,846. Immenſæ opes Lolliæ æſtimari poſſunt ex iis quæ diximus in Stemmate Cæſarum, num. 89.

[5] Citra ultima stetit] Id eſt, Agrippina vitam Calpurniæ permiſit, quia nulla erat in eam Claudii libido, nullus amor. Contrà verò Lolliæ inſenſa, mittit in eam tribunum, a quo ad mortem adigeretur.

[6] Cadius Rufus] Ejus nummos vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 22.

[7] Res suas invisere liceret] Ne quid turbaretur in provinciis, edixerat Auguſtus anno U. C. DCCXXV, ne quis ſenator, injuſſu aut ſine permiſſu Principis, extra Italiam abiret, προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτὸς τινὶ κελεύσῃ, ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ, Dio LII. pag. 494. Numeroſi ſenatûs judiciorumque amans Claudius vetuit ne abirent Urbe ad ſeptimum lapidem, injuſſu Principis, teſte Suidâ, verbo Κλαύδιος. Ipſâ Dionis ætate adhuc nefas ſenatori aliò, quàm in Siciliam Galliamque Narbonenſem peregre proficiſci. Vide Dionem loc. cit.

[8] Ituræique] Hi ſunt Ituræi Arabes, de quibus Strabo XVI, 755. Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες κακοῦργοι πάντες, *Ituræi & Arabes malefici omnes*. Ad orientem Jordanis Ituræi erant poſiti; ubi olim tribus Dan, Ruben, & dimidia pars tribûs Manaſſe. Dio LIX. pag. 649, memorat Sohemum regem τῶν Ἰτουραίων τῶν Ἀράβων.

A. U. C. 802. J. C. 49.

regibus Sohemo atque Agrippâ [1], provinciæ Syriæ additi [2]. Salutis augurium [3] quinque & viginti annis [4] omiſſum repeti, ac deinde continuari placitum. Et pomerium Urbis [5] auxit Cæſar more priſco; quo iis qui protulêre imperium, etiam terminos Urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus ſubactis, uſurpaverant, niſi L. Sulla, & divus Auguſtus.

XXIV. Regum in eo ambitio, vel gloria, variè vulgata [6]. Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus poſuerit, noſcere haud abſurdum reor. Igitur a foro boario [7], ubi æreum tauri ſimulacrum aſpicimus, quia id genus animalium aratro ſubditur, ſulcus deſignandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram [8] amplecteretur. Inde certis ſpatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Conſi [9], mox ad Curias veteres [10], tum ad ſacellum

[1] Sohemo atque Agrippa] Sohemo II. & Agrippâ Magno. Ne tamen ex his nominibus, quæ in hiſtoriâ ſæpe occurrunt, ſuboriatur obſcuritas: vide horum regum Stemmata in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

[2] Additi] Tunc additi Ituræi: at longè antè Judæa Syriæ contributa fuerat. Cùm enim Agrippa magnus anno U. C. dccxcvii. eſſet mortuus, ut diximus in Supplemento Annal. X, 6, ſtatim miſſus eſt præſes Cuſpius Fadus, Joſeph. Antiq. Jud. XIX, 9. Hæc fortè conjunxit Tacitus, quòd anno priore, U. C. dccci, Claudii octavo, defuncto Herode, Agrippæ magni fratre, Chalcidis rege, Chalcidem a Claudio obtinuit Agrippa II, Agrippæ magni filius, Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. De his ſatis diximus in Stemmate Herodum, num. 7 & 9.

[3] Salutis augurium] Illud a Dione fuſiùs deſcriptum vide inter Notas & Emendationes ad Annal. XII, 23.

[4] Quinque et viginti annis] Ergo omiſſum ab anno U. C. dcclxxvii, quo interfectus eſt Tacfarinas, ut dictum eſt ſuprà Annal. IV, 25.

[5] Pomerium Urbis] Cùm de Urbis pomerio & magnitudine multa ſint dicenda, vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 23.

[6] Varie vulgata] Diverſas veterum ſcriptorum ſententias de pomerio a regibus Romanis aucto vide apud Donatum de Urbe Româ I, 5. Tom. III. Græv. Antiq. Rom. col. 486.

[7] A foro boario] Forum illud in undecimâ Urbis regione, inter Palatinum, Capitolinum & Aventinum montes; nunc dicitur *campo Vaccino*.

[8] Magnam Herculis aram] In ipſo foro boario, prope templum nunc Sanctæ Anaſtaſiæ.

[9] Ad aram Consi] In eâdem regione, circoque maximo, haud procul templo nunc Sancti Gregorii, erat ara Conſi, ſeu dei conſilii, quam Romulus repertam ſubter terram finxit, ludoſque indixit, quibus raptæ Sabinæ. Inde honos dei Conſi, & Conſualia, quæ celebrabantur XII Kal. Septembris, ſeu 21 Auguſti. De hac arâ plura vide apud Plutarchum in Romulo, pag. 25.

[10] Ad Curias veteres] In decimâ regione monteque Palatino, prope arcum Conſtantini. De his Curiis Varro de Linguâ Lat. IV. pag. 25. *Curiæ duorum generum. Nam & ubi curarent ſacerdotes res divinas; ut Curiæ veteres: & ubi ſenatus humanas; ut Curia Hoſtilia, quòd primus ædificavit Hoſtilius rex.*

Larium

Larium [1] forumque Romanum. Capitolium [2] non a Romulo, ſed a T. Tatio additum Urbi credidêre. Mox pro fortunâ pomerium auctum. Et quos tum Claudius terminos poſuerit [3], facile cognitu, & publicis actis perſcriptum.

A. U. C. 802. J. C. 49.

XXV. C. Antistio, M. Suillio [4] conſulibus, adoptio in Domitium [5], auctoritate Pallantis, feſtinatur: qui obſtrictus Agrippinæ, ut conciliator nuptiarum, & mox ſtupro ejus inligatus, ſtimulabat Claudium, « conſuleret reipublicæ, Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud divum Auguſtum, quamquam nepotibus ſubnixum [6], viguiſſe privignos [7]: a Tiberio, ſuper propriam ſtirpem, Germanicum adſumptum. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capeſſituro ». His evictus, biennio majorem [8] natu Domitium filio anteponit, habitâ apud ſenatum oratione in eumdem, quem a liberto acceperat, modum. Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem [9] inter patricios Claudios reperiri,

A. U. C. 803. J. C. 50.

[1] Ad sacellum Larium] In eâdem regione & in angulo hortorum Farneſianorum contra ædem SS. Coſmæ & Damiani. Itaque Roma a Romulo condita Palatinum montem occupavit, ubi nunc horti, ac præcipuè Farneſiani. Vide Donatum de Urbe Româ I, 3. Ex tantulo oppidulo tanta claritas!

[2] Capitolium] In regione octavâ. Titus Tatius, qui Capitolinum montem occupabat, fœdere facto cum Romulo, eum Palatino conjunxit. Itaque primùm pro amicitiâ & utilitate publicâ auctum pomerium; deinde pro fortunâ, & cùm latiùs propagati ſunt imperii fines.

[3] Terminos posuerit] Claudius montem Aventinum Urbi addidit. De hac amplificatione Urbiſque magnitudine, vide quæ diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23. ubi multa de propagato pomerio.

[4] M. Suillio] C. Antiſtius Vetus & M. Suillius Nerviiianus conſules fuêre anno Urbis conditæ dccciii. Jeſu Chriſti 50. Suillius cognominatur Nervilianus in faſtis Vindobonenſibus & a Caſſiodoro. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 25.

[5] In Domitium] Filium Agrippinæ, Stemm. Cæſarum, num. 35; poſt adoptionem dictum Neronem. De hac adoptione vide Dionem LX. pag. 686.

[6] Nepotibus subnixum] Caio, Lucio, Agrippâ Poſtumo. Vide Stemma Cæſarum, num. 48, 49 & 50.

[7] Viguisse privignos] Tiberium Neronem & Claudium Druſum. Suprà Annal. I, 3. & in Stemm. Cæſarum, num. 68 & 79.

[8] Biennio majorem] Ita Mſſ. & editi libri omnes. At omnino emendandum *triennio*, ut patet tum ex ipſo Tacito Annal. XIII, 6 & 15. tum ex Suetonio in Claud. XXVII. In Nerone VI. Vide & Stemma Cæſarum, num. 35 & 108.

[9] Nullam antehac adoptionem] Id eſt neminem alienigenam antehac a Claudiis fuiſſe adoptatum, licet ipſi ab aliis gentibus adoptarentur. Etenim Claudii in Liviam Juliamque familiam tranſierant. Cl. *Amelot de la Houſſaie* innuit Tacitum hîc ſecum pugnare, cùm Germanicum jam adoptaſſet Tiberius: at ipſe Germanicus erat ex gente Claudiâ; ac proinde non ex alienâ gente adoptatus eſt. Immo Domitius

eoſque ab Atto Clauſo [1] continuos duraviſſe.

A. U. C. 803. J. C. 50.

XXVI. Ceterùm actæ Principi grates, exquiſitiore in Domitium adulatione. Rogataque lex [2], quâ « in familiam » Claudiam & nomen Neronis [3] tranſiret ». Augetur & Agrippina cognomento *Auguſtæ* [4]: quibus patratis, nemo adeò expers miſericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mæror adficeret: deſolatus paullatim [5] etiam ſervilibus miniſteriis, intempeſtiva novercæ officia in ludibria vertebat, intelligens falſi. Neque enim ſegnem ei fuiſſe indolem ferunt: ſive verum; ſeu periculis commendatus, retinuit famam ſine experimento.

XXVII. Sed Agrippina, quò vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque [6] deduci impetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipſius. Ac fortè acciderat, ut eam gentem, Rheno tranſgreſſam [7], avus Agrippa [8] in fidem acciperet. Iiſdem temporibus in ſuperiore Germaniâ trepidatum, adventu Cattorum [9], latrocinia agitantium. Deinde L. Pomponius [10],

ipſe matrem gentis Claudiæ, Agrippinam, habebat.

1 Atto Clauso] Claudiæ gentis auctore, ut dictum ſuprà Annal. XI, 24.

2 Rogataque lex] Lex curiata, de quâ infrà Hiſt. I, 15.

3 Claudiam et nomen Neronis] Hæc nomina exhibent nummi quos proferemus mox & infrà cap. 41.

4 Cognomento Augustæ] Sic appellatur in nummo argenteo e Cimelio Regio. AGRIPPINA AVGVSTA MATER AVGVSTI. Caput Agrippinæ. Ex alterâ parte. NERO CLAVD. DIVI F. CAESAR AVG. GERMANI. Caput Neronis laureatum.

5 Desolatus paullatim] Britannicus paulatim non modò amicis, ſed etiam ſervilibus miniſteriis, ſeu famulis, ſpoliatus eſt, quòd Agrippina puerum, novem annos vix natum, muliebribus curis adhuc indigere obtenderet. Hæc intempeſtiva novercæ officia in ludibria vertebat Britannicus, jam falſi intelligens.

6 Veteranos coloniamque] Unde Plinius IV, 17. *Hinc Ubii, Colonia Agrippinenſis*, nunc *Cologne*. Fertur exſtare Beneventi vetus lapis, in quo memoratur COL. CLAVD. AVG. AGRIPPINENSIVM, id eſt Colonia Claudia Auguſta Agrippinenſium. Vide Gruterum pag. ccccxxxvi. num. 7. Alia Romanæ antiquitatis apud Ubios monumenta protulit Steph. Broelmanus, *Specimen Hiſtoriæ civitatis Ubiorum*. Teſte Paulo, Digeſt. libr. L. Tit. 15. de Cenſibus. *In Germaniâ inferiore Agrippinenſes juris Italici ſunt*, quo de jure dictum eſt in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23. Si de his plura volueris, adeas Cl. Schoepflin, Alſatia illuſtrat. Tom. I. pag. 286 & ſeq.

7 Rheno transgressam] De his dicemus infrà in libro de Moribus Germanorum XXVIII.

8 Avus Agrippa] Avus Agrippinæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 47.

9 Cattorum] Nunc *la Heſſe*.

10 Deinde L. Pomponius] *Deinde*, ſingulariter dictum. Hìc ſignificat, quod Gallicè dicimus *en conſéquence*.

legatus, auxiliares Vangionas ac Nemetas [1], addito equite alario [2], monuit, « ut anteirent populatores, vel dilapſis »improviſi circumfunderentur ». Et ſecuta conſilium ducis induſtria militum, diviſique in duo agmina, qui lævum iter [3] petiverant, recèns reverſos, prædâque per luxum uſos, & ſomno graves circumvenêre. Aucta lætitia, quòd quoſdam e clade Varianâ [4], poſt quadrageſimum annum, ſervitio exemerant.

XXVIII. At qui dextris & propioribus compendiis ierant, obvio hoſti & aciem auſo, plus cladis faciunt [5]. Et prædâ famâque onuſti, ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, ſi Catti cupidine ulciſcendi caſum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cheruſci, cum quîs æternùm diſcordant, circumgrederentur, legatos in Urbem & obſides miſêre: decretuſque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus

[1] Vangionas ac Nemetas] Cl. Schoepflin, Alſatia Illuſtrata, Tom. I. pag. 136 & 362 exiſtimat Vangionas ac Nemetas tunc temporis fuiſſe Tranſrhenanos; nec cis Rhenum habitaſſe, niſi intra Claudii & Veſpaſiani tempora. Si Tranſrhenani tunc fuerint Vangiones & Nemetes, non videntur procul monte Tauno, de quo mox dicetur, conſediſſe. Ciſrhenani verò Vangiones, nunc *le diocèſe de Worms*; Nemetes *le diocèſe de Spire.*

[2] Equite alario] Id eſt auxiliaribus equitibus ut infrà Annal. XIII, 35.

[3] Qui lævum iter] Hujuſce belli ordinem paucis accipe. L. Pomponius, ut Germaniam ſuperiorem protegeret, montem Taunum, *le mont Heyrich*, e regione urbis Moguntiæ, *Mayence*, occupavit. Ad lævum montis Tauni, Cattos ſuam in patriam revertentes inſecuti ſunt pars Vangionum, Nemetum, & equitis alarii: eos prædâ per luxum uſos & ſomno graves circumvenêre. Pars altera, dextra & propiora compendia petivêre: obviis Cattis populatoribus, aciemque auſis, plus ſtragis fecêre, quàm qui ſomnolentos circumvenerant. Prædâ onuſti, victoriæque famâ inſignes ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, ſi Catti cupidine ulciſcendi caſum pugnæ præberent. At illi ancipitia belli experti, & hinc Romanos, inde Cheruſcos veriti, legatos in Urbem & obſides miſêre.

[4] E clade Variana] De hac clade, ſæpe dictum Annal. I & II.

[5] Plus cladis faciunt] Juxta Cl. Schoepflin, Alſatia illuſtrat. Tom. I. pag. 362. Romani, in hac pugnâ cæſi, *haud paucos ex ſuis deſideraverunt. Catti hinc prædâ onuſti, & ob victoriam elati, cùm ad montem Taunum reverterentur, ſibique Pomponium cum legionibus obvium viderent, metuentes, ne hinc a Romanis, inde a Cheruſcis, Germanis quidem, at perpetuis æmulis ſuis atque inimicis circumdarentur, obſides miſerunt; qui Romam abducti fecerunt ut triumphalis honos decerneretur Pomponio.* Eam interpretationem refutat ipſa latinitas & narrationis ſeries. Aliquid verò humani in tanto, tamque erudito opere irrepſiſſe nemo, niſi illiteratus, mirabitur.

apud poſteros, in quîs carminum gloriâ [1] præcellit.

A. U. C. 803. J. C. 50. XXIX. Per idem tempus Vannius [2], Suevis a Druſo Cæſare impoſitus, pellitur regno, primâ imperii ætate clarus, acceptuſque popularibus: mox diuturnitate in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordiis circumventus. Auctores fuêre Vibilius, Hermundurorum rex [3], & Vangio ac Sido, ſorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam ſæpe oratus, arma certantibus barbaris interpoſuit, tutum Vannio perfugium promittens, ſi pelleretur; ſcripſitque P. Attellio Hiſtro, qui Pannoniæ præſidebat, « legionem ipſaque e pro» vinciâ lecta auxilia, pro ripâ [4] componeret, ſubſidio victis [5], » & terrori adversùs victores, ne fortunâ elati, noſtram quoque » pacem turbarent »: nam vis innumera Ligii [6], aliæque gentes adventabant, famâ ditis regni, quod Vannius xxx. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus [7] erat, impar multitudini hoſtium: eóque caſtellis ſeſe defenſare, bellumque ducere ſtatuerat.

XXX. Sed Jazyges, obſidionis impatientes, & proximos per campos vagi, neceſſitudinem pugnæ attulere, quia Ligius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur degreſſus caſtellis Vannius, funditur prœlio: quamquam rebus adverſis laudatus, « quòd & pugnam manu capeſſiit, & corpore ad» verſo vulnera excepit ». Ceterùm ad claſſem [8], in Danubio

[1] Carminum gloria] Alius fuit P. Pomponius, carminum quoque gloriâ inſignis, de quo diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 13.

[2] Vannius] Regnum acceperat Vannius anno U. C. dcclxxii. ut dictum eſt ſuprà Annal. II, 63. Ibi fines ejus regni accuratiùs deſcriptos reperies. Nec enim Suevis omnibus imperabat.

[3] Vibilius, Hermundurorum rex] De Vibilio, genteque Hermundurorum dictum Annal. II, 63.

[4] Pro ripa] Pro ripâ Danubii.

[5] Subsidio victis] Mſ. Reg. *ſubſidium victis*, & *terrorem adversùs victores*. Utrumque latinè.

[6] Ligii] Cis Viſtulam Poloniæ partem habitabant. De Ligiis aliiſque gentibus vide infrà de Moribus Germanorum XLIII.

[7] Sarmatis Jazygibus] Sarmatæ Jazyges magnum terrarum tractum, nunc *partie de la Ruſſie*, *la Podolie & la Moldavie*, occupavere: pulſis quoque Dacis, uſque ad Tibiſci, *le Tibiſc*, oſtia & Danubium tenuere: auctâ dominatione, pervenerunt *uſque ad Pannonica hiberna Carnunti*, près de Hainburg, *Germanorumque ibi confinium*, Plin. IV, 12. ſect. 25. De Jazygum equitatu, vide infrà Hiſt. III, 5.

[8] Ad classem] Ad claſſem Roma-

opperientem [1], perfùgit. Secuti mox clientes, & acceptis agris, in Pannoniâ locati ſunt. Regnum Vangio ac Sido [2] inter ſe partivêre, egregiâ adversùs nos fide: ſubjectis, ſuone, an ſervitii ingenio, dum adipiſcerentur dominationes [3], multâ caritate, & majore odio, poſtquam adepti ſunt.

A. U. C. 803. J. C. 50.

XXXI. At in Britanniâ P. Oſtorium, proprætorem, turbidæ res excepêre, effuſis in agrum ſociorum hoſtibus, eò violentiùs, quòd novum ducem [4], exercitu ignoto, & cœptâ hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: & cæſis qui reſtiterant, disjectos conſectatus, ne rurſus conglobarentur, infenſaque & infida pax non duci, non militi, requiem permitteret, detrahere arma ſuſpectis, cinctoſque caſtris [5] Antonam & Sabrinam, fluvios, cohibere parat. Quod primi Iceni abnuêre [6], valida gens, nec prœliis contuſi, quia ſocietatem noſtram volentes acceſſerant: hiſque auctoribus, circumjectæ nationes locum pugnæ [7] delegêre, ſeptum agreſti aggere, & aditu anguſto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta dux Romanus, quamquam ſine robore legionum ſociales copias ducebat, perrumpere adgreditur, & diſtributis cohortibus,

norum, pro ripâ compoſitorum, ut dictum capite priore. De claſſibus populi Romani vide Annal. IV, 5.

[1] Opperientem] Claudius, vir bonus, regnandi imperitus, qui Vannium & clientes barbaros opperiretur, iiſque perfugium promitteret. Quantò cautior Tiberius, qui Germanos vel aperto marte, vel, quod efficacius, inteſtinis diſcordiis debellaret. Hæc Claudii ignavia, Gothicæ potentiæ principium fuit & origo. Tantulis initiis, ſuprà cap. 24, creverat Roma; tantulis periit!

[2] Sido] De Sidonis fide vide infrà Hiſt. III, 5 & 21.

[3] Dum adipiscerentur dominationes] Elegantiùs diceretur, *dum adipiſcerentur dominationis*, ut ſuprà Annal. VI, 45. Subjectis multa fuit caritas, dum adipiſcerentur dominationis; majus odium, poſtquam eam adepti ſunt.

[4] Novum ducem] Oſtorius ſucceſſerat A. Plautio, primo conſularium Britanniæ præpoſitorum. Vide infrà Vit. Agricol. XIV. & Supplement. Annal. IX, 58 & X, 5.

[5] Cinctosque castris] Oſtorius non Antonam, nunc *Avon*, ſed Auſonam, nunc *Nen*, & Sabrinam, nunc *Severn*, caſtris cinxit, tum ut ſocios ab hoſtium impetu defenderet, tum etiam ut eos Romanis obſequentiores redderet. Caſtra illa Romanorum mihi videntur ab urbe *Glocester* ad urbem *Northampton* fuiſſe diſpoſita. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 31.

[6] Iceni abnuere] Iceni, ne præſidii ſpecie ſervitium immineret, id primi abnuêre. Orientalem illam Britanniæ partem habitabant Iceni, ubi nunc *les comtés de Suffolk*, *de Norfolk*, *de Cambridge*, *&* *de Huntington*.

[7] Locum pugnæ] Fortè pugnatum in comitatu *Huntington*.

A. U. C. 803. J. C. 50.

turmas quoque [1], peditum ad munia accingit. Tunc dato ſigno perfringunt aggerem, ſuiſque clauſtris impeditos turbant. Atque illi conſcientiâ rebellionis, & obſeptis effugiis, multa & clara facinora fecêre. Quâ pugnâ filius legati, M. Oſtorius, ſervati civis [2] decus meruit.

XXXII. Ceterùm clade Icenorum compoſiti, qui bellum inter & pacem dubitabant; & ductus in Cangos [3] exercitus. Vaſtati agri, prædæ paſſim actæ: non auſis aciem hoſtibus, vel ſi ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Jam ventum haud procul mari, quod Hiberniam inſulam aſpectat; cùm ortæ apud Brigantas [4] diſcordiæ retraxêre ducem, deſtinationis certum [5], ne nova moliretur, niſi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptabant, interfectis, in reliquos datâ veniâ, reſedêre. Silurum gens [6], non atrocitate, non clementiâ mutabatur, quin bellum exerceret, caſtriſque legionum premenda foret. Id quò promptiùs veniret [7], colonia Camulodunum [8] validâ veteranorum manu deducitur in agros captivos, ſubſidium adversùs rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum.

XXXIII. Itum inde in Siluras, ſuper propriam ferociam, Caractaci [9] viribus confiſos: quem multa ambigua, multa

[1] Turmas quoque] Equites quoque ad munia peditum accingit. Turmæ enim equitum ſunt.

[2] Servati civis] Coronam querneam, qualem videre eſt in nummis, ut ſæpe diximus, cum inſcriptione, OB SERVATOS CIVIS. Quâ gloriâ nulla apud Romanos illuſtrior. Audacter Plinius II, 7, DEVS EST MORTALI IVVARE MORTALEM.

[3] Ductus in Cangos] De Cangorum ſitu diu diſputatum. Tandem innotuit eos ſeptemtrionalis Walliæ partem, *Nort-Wales*, & provinciam Cheſtrienſem, *Cheshire*, habitaſſe. Ibi repertæ maſſæ plumbeæ cum inſcriptione,

IMP. DOMIT. AVG. GER. DE CEANG.

Id eſt *Imperator Domitianus Auguſtus Germanicus de Ceangis.* Vide eruditos Camden, *Britannia* pag. 546. & Stukeley, *The Medallic Hiſtory of Carauſius.* Tom. I. pag. 176.

[4] Apud Brigantas] Brigantes ſeptemtrionalem Angliæ partem, ubi nunc *les comtés d'York, de Lancaſtre, de Durham, de Weſtmorland, & de Cumberland*, habitabant.

[5] Destinationis certum] Armis parta firmandi.

[6] Silurum gens] Auſtralem Walliæ, *South-wales*, partem vicinaſque regiones occupabant Silures, nunc *les comtés de Glamorgan, de Monmouth, de Breknock, de Hereford, & de Radnor.*

[7] Quò promptiùs veniret] Ut promptiùs id eveniret, vel, ut promptiùs certiúſque premerentur.

[8] Colonia Camulodunum] Nunc *Colcheſter dans le comté d'Eſſex.*

[9] Caractaci] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 33.

proſpera extulerant, ut ceteros Britannorum imperatores præmineret. Sed tum aſtu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas [1] additiſque, qui pacem noſtram metuebant [2], noviſſimum caſum experitur: ſumpto ad prœlium loco [3], ut aditus, abſceſſus, cuncta nobis importuna, & ſuis in melius eſſent. Tunc montibus arduis, & ſi qua clementer accedi poterant, in modum valli ſaxa præſtruit: & præfluebat amnis [4] vado incerto, catervaque majorum [5] pro munimentis conſtiterant.

A. U. C. 803. J. C. 50.

XXXIV. Ad hoc gentium ductores [6] circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendendâ ſpe, aliiſque belli incitamentis. Enimverò Caractacus huc illuc volitans, « illum diem, illam aciem » teſtabatur, « aut reciperandæ » libertatis, aut ſervitutis æternæ initium fore: vocabatque » nomina majorum, qui dictatorem Cæſarem pepuliſſent: quo» rum virtute vacui a ſecuribus & tributis, intemerata conju» gum & liberorum corpora retinerent ». Hæc atque talia dicenti, adſtrepere vulgus; gentili quiſque religione obſtringi, « non telis, non vulneribus ceſſuros ».

XXXV. Obstupefecit ea alacritas ducem Romanum: ſimul objectus amnis [7], additum vallum, imminentia juga, nihil niſi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prœlium poſcere, « cuncta virtute expugnabilia »

[1] In Ordovicas] Infrà Cangos Septemtrionalem Walliam, *Nort-Wales*, habitabant Ordovices. Hodie *les comtés de Flint*, *de Denbigh*, *de Carnarvon*, *de Merioneth & de Montgomery*.

[2] Pacem nostram metuebant.] Ceteroſque, qui Romanam dominationem metuebant, addidit. Sic dictum ſuprà cap. 29. *Ne fortunâ elati, noſtram quoque pacem turbarent;* & Plin. XXVII, 1. *Immenſâ Romanæ pacis majeſtate.*

[3] Sumpto ad prœlium loco] Eruditus Camden, Britannia pag. 524, tradit locum pugnæ fuiſſe apud Cornavios in comitatu Salopienſi, vulgò *Shropshire*, ubi amnis Colunus, *Clune*, in fluvium Temdum, *Temd* influit; & antiquæ memoriæ collem adhuc oſtentari, quem *Caer-Caradoc*, vocant.

[4] Præfluebat amnis] Amnis Temdus, *Temd.* Vadaque hic incerta eſſe docet Cl. Camden loc. cit.

[5] Catervaque majorum] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 34. Nihil mutandum exiſtimo. Senſus eſt catervas majorum, ſeu veterum præcipuorumque bellatorum pro munimentis conſtitiſſe. *Caterva conſtiterant* dicitur ſicut infrà cap. 40. *juventus invadunt.*

[6] Gentium ductores] Britanni, ſicut & Galli aciem ſtruebant per nationes, ut diſcreta virtus eluceret; quod meritò obſervat Lipſius.

[7] Objectus amnis] Amnis *Temd*, ut jam dictum.

A. U. C. 803. J. C. 50.

clamitare, præfectique ac tribuni paria diſſerentes, ardorem exercitûs intendebant. Tum Oſtorius, circumſpectis, quæ impenetrabilia, quæque pervia, ducit infenſos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum miſſilibus certabatur, plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Poſteaquam, factâ teſtudine [1], rudes & informes ſaxorum compages diſtractæ, parque cominus acies, decedere barbari in juga montium [2]. Sed eò quoque inrupêre ferentarius [3] graviſque miles: illi, telis adſultantes, hi, conferto gradu; turbatis contrà Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina: & ſi auxiliaribus reſiſterent, gladiis ac pilis legionariorum; ſi huc verterent, ſpathis [4] & haſtis auxiliarium ſternebantur: clara ea victoria fuit, captâque uxore & filiâ Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti.

XXXVI. Ipse (ut ferme intuta ſunt adverſa) cùm fidem Cartiſmanduæ, reginæ Brigantum, petiviſſet, vinctus ac victoribus traditus eſt, nono pòſt anno [5], quàm bellum in Britanniâ cœptum. Unde fama ejus evecta inſulas, & proximas provincias pervagata, per Italiam quoque celebrabatur: avebantque viſere, quis ille, tot per annos, opes noſtras ſpreviſſet. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæſar, dum ſuum decus extollit, addidit gloriam victo. Vocatus quippe, ut ad inſigne ſpectaculum, populus.

[1] Facta testudine] Hæc ne intelligas de teſtudinatis militibus, ſed de machinamento, dicto teſtudine, de quo Vegetius IV, 14. Hac teſtudine ſaxa, in modum valli præſtructa, ut dictum ſuprà cap. 33, diſtraxére.

[2] In juga montium] Qui ſunt plurimi inter amnium *Clune* & *Temd* fontes.

[3] Ferentarius] Id eſt levis armaturæ. Veget. I, 20. *Erant autem apud veteres inter pedites, qui dicebantur levis armaturæ funditores & ferentarii: qui præcipuè in cornibus locabantur, & a quibus pugnandi ſumebatur exordium: ſed hi velociſſimi & exercitatiſſimi legebantur. Nec erant admodum multi, qui cedentes (ſi prælii neceſſitas compuliſſet) inter principia legionum recipi ſolebant, ita ut acies immota conſiſteret.* In hac pugnâ ferentarius graviſque miles ſimul incubuit.

[4] Spathis] *Gladios majores, quos ſpathas vocant, & alios minores, quos ſemiſpathas nominant*, recenſet Vegetius II, 15. Inde Italis *Spada*, Gallis, *Epée*.

[5] Nono pòst anno] Ergo initium belli repetit Tacitus ab ipſis Britannorum diſſenſionibus, quæ Britannicæ expeditioni cauſæ fuêre, ut dictum in Supplemento Annal. IX, 50 & ſeqq. Neque hæc cum iis quæ memorantur Hiſt. III, 45, pugnant, ut placuit Lipſio.

Stetêre

Stetere in armis prætoriæ cohortes, campo qui caſtra [1] præjacet.
A. U. C. 803. J. C. 50.
Tum, incedentibus regiis clientelis, phaleræ torqueſque, quæque externis bellis quæſierat, traducta; mox fratres, & conjunx, & filia: poſtremò ipſe oſtentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu. At non Caractacus [2], aut vultu demiſſo, aut verbis, miſericordiam requirens, ubi tribunali [3] adſtitit, in hunc modum locutus eſt.

XXXVII. « Si quanta nobilitas & fortuna mihi fuit, » tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet, amicus potiùs » in hanc Urbem, quàm captus veniſſem: neque dedignatus » eſſes claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitan» tem, fœdere pacis accipere. Præſens ſors mea, ut mihi » informis, ſic tibi magnifica eſt: habui equos, viros, arma, opes: » quid mirum, ſi hæc invitus amiſi? Non, ſi vos omnibus impe» ritare vultis, ſequitur ut omnes ſervitutem accipiant. Si ſtatim » deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria » inclaruiſſet. Supplicium mei [4] oblivio ſequetur: at ſi inco» lumem ſervaveris, æternum exemplar clementiæ ero ». Ad ea Cæſar veniam ipſique, & conjugi, & fratribus, tribuit. Atque illi, vinclis exſoluti, Agrippinam quoque haud procul alio ſuggeſtu conſpicuam, iiſdem, quibus Principem, laudibus gratibuſque venerati ſunt. Novum ſanè [5], & moribus veterum inſolitum, feminam ſignis Romanis præſidere. Ipſa ſemet parti a majoribus ſuis imperii ſociam [6] ferebat.

[1] Campo qui castra] Qui caſtra prætoria Romæ præjacet. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 36.

[2] At non Caractacus] Egregiè quidem. Egregiè; & ad regiam dignitatem invictamque conſtantiam accommodatè. Inexplebilem Romanorum cupiditatem arguit idem Caractacus. Viſoque Urbis ſplendore & amplitudine, *Itane*, inquit, *cùm hæc & hujuſmodi habeatis, noſtra tuguriola concupiſcitis?* Εἶτα, ἔφη, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κεκτημένοι, τῶν σκηνιδίων ἡμῶν ἐπιθυμεῖτε. Zonaras pag. 566.

[3] Tribunali] De Tribunali ſæpe dictum. Vide Annal. I, 18.

[4] Supplicium mei] Supplicium meum oblivio ſequetur. Haud diſſimulaverim in hac oratione negligenter dicta *imperitantem*... *imperitare*... *ſequitur*... *ſequetur*.

[5] Novum sane] Nec mirum, hebete marito, ambitioſâ uxore.

[6] Imperii sociam] Non modò ſe imperii ſociam ferebat, ſed talem quoque habuere gentes exteræ, ac maximè Polemon II, rex Ponticus, cujus inſignem nummum argenteum protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, pag. 187. Ex unâ parte caput Polemonis diadematum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟ. Ex alterâ, diadematum quoque caput Agrippinæ, ΕΤΟΥΣ ΙΕ. id eſt anno decimo quinto Polemonis, qui incidit in annum U. C. DCCCVI.

A. U. C. 803. J. C. 50.

XXXVIII. Vocati poſthac patres, multa & magnifica ſuper captivitate Caractaci diſſeruere: « Neque minùs id » clarum, quàm cùm Siphacem P. Scipio [1], Perſen L. Paullus, » & ſi qui alii vinctos reges populo Romano oſtendêre ». Cenſentur « Oſtorio triumphi inſignia [2], » proſperis ad id rebus ejus, mox ambiguis: ſive, quòd, amoto Caractaco, quaſi debellatum foret, minùs intenta apud nos militia fuit; ſive hoſtes, miſeratione tanti regis, acriùs ad ultionem exarſere. Præfectum caſtrorum, & legionarias cohortes exſtruendis apud Siluras præſidiis relictas, circumfundunt. Ac ni citò vicis & caſtellis proximis ſubventum foret, copiæ tum occidione occubuiſſent. Præfectus tamen & octo centuriones, ac promptiſſimus quiſque manipulus cecidere: nec multò pòſt pabulantes noſtros, miſſaſque ad ſubſidium turmas profligant.

XXXIX. Tum Oſtorius cohortes expeditas expoſuit [3]: nec ideo fugam ſiſtebat, ni legiones prœlium excepiſſent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugêre hoſtes tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prœlia, & ſæpius in modum latrocinii: per ſaltus, per paludes; ut cuique ſors, aut virtus: temere, proviſò; ob iram, ob prædam; juſſu, & aliquando ignaris ducibus: ac præcipuâ Silurum pervicaciâ, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox: « ut quondam Sugambri exciſi, & in Gallias » trajecti forent [4], ita Silurum nomen penitus exſtinguendum ». Igitur duas auxiliares cohortes, avaritiâ præfectorum incautiùs populantes, intercepere. Spoliaque & captivos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cùm tædio

[1] Siphacem P. Scipio] Siphax, Maſſæſylorum rex, a P. Scipione in triumpho ductus anno U. C. dliii. Polyb. XVI. pag. 733. Perſeo, ultimo Macedonum rege, devicto anno U. C. dlxxxvi, triumphavit Æmilius Paulus, &, teſte Plinio XXXIII, 3. ſect. 17, ærario *intulit e Macedonicâ prædâ* HS. MM. CCC. *a quo tempore populus Romanus tributum pendere deſiit.* Bis millies trecenties centena millia ſeſtertium efficiunt monetæ Gallicæ libras 44,746,557.

[2] Triumphi insignia] De his inſignibus vide infrà in vitâ Agricolæ XL.

[3] Exposuit] Mallet Lipſius *oppoſuit.*

[4] Trajecti forent] Sicambri ab Auguſto in Galliam trajecti. Sueton. in Aug. XXI. *Germanos ultra Albim fluvium ſummovit: ex quibus Suevos & Sicambros dedentes ſe traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* De Sicambris jam dictum ſuprà Annal. II, 26.

curarum feſſus Oſtorius, conceſſit vitâ, lætis hoſtibus, tamquam ducem haud ſpernendum, etſi non prœlium, at certè bellum, abſumpſiſſet.

A. U. C. 803. J. C. 50.

XL. At Cæsar, cognitâ morte legati, ne provincia ſine rectore foret, A. Didium [1] ſuffecit. Is properè vectus, non tamen integras res invênit, adverſâ interim legionis pugnâ, cui Manlius Valens præerat: auctaque & apud hoſtes ejus rei fama, quò venientem ducem exterrerent; atque illo augente audita [2], ut major laus compoſitis, vel ſi duraviſſent, venia juſtior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, latéque perſultabant, donec accurſu Didii pellerentur. Sed poſt captum Caractacum, præcipuus ſcientiâ rei militaris Venuſius, e Jugantum civitate [3], ut ſuprà memoravi [4], fiduſque diu, & Romanis armis defenſus, cùm Cartiſmanduam reginam matrimonio teneret, mox orto diſcidio, & ſtatim bello, etiam adversùs nos hoſtilia induerat. Sed primò tantùm inter ipſos certabatur, callidiſque Cartiſmandua artibus, fratrem ac propinquos Venuſii intercepit. Inde accenſi hoſtes, ſtimulante ignominiâ, ne feminæ imperio [5] ſubderentur: valida & lecta armis juventus regnum ejus invadunt: quod nobis præviſum, & miſſæ auxilio cohortes acre prœlium fecere, cujus initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque diſpari eventu pugnatum a legione, cui Ceſius Naſica præerat. Nam Didius, ſenectute gravis, & multâ copiâ honorum, per miniſtros agere, & arcere hoſtem ſatis habebat. Hæc, quamquam a duobus Oſtorio Didioque proprætoribus plures per annos geſta, conjunxi, ne diviſa haud perinde ad memoriam ſuî valerent. Ad temporum ordinem redeo.

A. U. C. 804. J. C. 51.

XLI. Ti. Claudio quintùm, Ser. Cornelio Orphito [6]

[1] A. Didium] De illo infrà, Vit. Agric. XIV.

[2] Illo augente audita] Rei fama Romæ audita eſt, ipſo Didio eam augente.

[3] Jugantum civitate] Emendandum *Brigantum*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 40.

[4] Supra memoravi] In libris Annalium, deperditis in quibus narrata Britannica expeditio, de quâ nos in Supplement. Annal. IX, 50 & ſeqq. De Venuſio adhuc infrà, Hiſt. III, 45.

[5] Feminæ imperio] Potiùs crediderim Brigantas feminæ parêre inaſſuetos, quàm Tacitum memoriâ lapſum, ut placuit Lipſio.

[6] Ser. Cornelio Orphito] Tiberius Claudius Auguſtus V. & Servius

A. U. C. 804. J. C. 51.

conſulibus, virilis toga' Neroni maturata [1], quò capeſſendæ reipublicæ habilis videretur. Et Cæſar adulationibus ſenatûs libens ceſſit, « ut viceſimo ætatis anno conſulatum Nero » iniret: atque interim deſignatus, proconſulare imperium » extra Urbem haberet, ac *princeps juventutis* appellaretur [2] ». Additum nomine ejus [3] donativum militi, congiarium plebi. Et ludicro Circenſium, quod adquirendis vulgi ſtudiis edebatur, Britannicus in prætextâ [4], Nero triumphalium veſte [5] tranſvecti ſunt. Spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu; ac perinde fortunam utriuſque præſumeret. Simul, qui centurionum tribunorumque ſortem Britannici miſerabantur, remoti fictis cauſis, & alii per ſpeciem honoris: etiam libertorum ſi quis incorruptâ fide, depellitur, tali occaſione. Obvii inter ſe, Nero *Britannicum* nomine, ille *Domitium*, ſalutavere [6]. Quod, ut diſcordiæ initium, Agrippina multo queſtu, ad maritum defert: « ſperni » quippe « adoptionem; quæque cenſuerint patres, juſſerit populus, » intra penates abrogari: ac niſi pravitas tam infenſa docen- » tium arceatur, eruptura in publicam perniciem ». Commotus his, quaſi criminibus, [7] Claudius, optimum quemque educa-

Cornelius Orphitus conſules fuêre anno Urbis conditæ DCCCIV. Jeſu Chriſti 51. Hos conſules aliaque Neronis decora vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 41.

[1] MATURATA] Maturata quidem: nam ab exeunte tantùm Decembri decimum quartum ætatis annum, quo expleto ſumebatur toga, ingreſſus erat Nero.

[2] PRINCEPS JUVENTUTIS APPELLARETUR] Tunc cuſi paſſim in Cimeliis obvii, tum aurei, tum argentei nummi, NERONI CLAVDIO DRVSO GERM. COS. DES. Caput Neronis juvenile & nudum. Ex adverſâ parte in medio clypeo, EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENTVTIS. Et in nummo aureo e Cimelio Regio, TI. CLAVD. CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. POT. P. P. Caput Claudii laureatum. In poſticâ parte, NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. Caput Neronis nudum.

[3] ADDITUM NOMINE EJUS] Hæc pluribus Suetonius in Ner. VII. *Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum propoſuit: indictâque decurſione prætorianis, ſcutum ſuâ manu prætulit: exinde patri gratias in ſenatu egit.* De congiario & donativo dictum ſuprà Annal. III, 29. not. 2.

[4] IN PRÆTEXTA] Britannicus adhuc in prætextâ, quòd ei maturata non fuiſſet virilis toga.

[5] TRIUMPHALIUM VESTE] De triumphali veſte dictum Annal. I, 15. not. 7.

[6] SALUTAVERE] Rem paulo aliter narrat Suetonius in Ner. VII. Nero prodidit immanitatem naturæ, *quibus primùm potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quòd ſe poſt adoptionem Ænobarbum ex conſuetudine ſalutaſſet, ut ſubdititivum apud patrem arguere conatus eſt.*

[7] QUASI CRIMINIBUS] Quaſi vera eſſent crimina.

torem filii exſilio ac morte adficit: datoſque a novercâ, cuſtodiæ ejus imponit. A. U. C.

XLII. Nondum tamen ſumma moliri Agrippina audebat, 804. J. C. ni prætoriarum cohortium curâ exſolverentur Luſius Geta, 51. & Rufius Criſpinus, quos Meſſalinæ memores, & liberis ejus devinctos credebat. Igitur « diſtrahi cohortes ambitu duorum, » &, ſi ab uno regerentur, intentiorem fore diſciplinam » adſeverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen cujus ſponte præficeretur. Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altiùs, carpento Capitolium ingredi [1], qui mos ſacerdotibus, & ſacris antiquitus conceſſus, venerationem augebat feminæ, quam imperatore genitam [2], ſororem ejus qui rerum potitus ſit, & conjugem, & matrem fuiſſe, unicum ad hunc diem exemplum eſt. Inter quæ præcipuus propugnator ejus Vitellius [3], validiſſimâ gratiâ, ætate extremâ (adeò incertæ ſunt potentium res) accuſatione corripitur, deferente Junio Lupo ſenatore. Is crimina majeſtatis, & cupidinem imperii objectabat. Præbuiſſetque aures Cæſar, niſi Agrippinæ minis magis, quàm precibus mutatus eſſet, ut accuſatori aquâ atque igne interdiceret: hactenus Vitellius [4] voluerat.

XLIII. Multa eo anno prodigia evenere [5]. Inſeſſum diris avibus Capitolium: crebris terræ motibus prorutæ domus: ac dum latiùs metuitur, trepidatione vulgi, invalidus quiſque

[1] Carpento Capitolium ingredi] Id illuſtrat, quantúmque ex nimiis honoribus libido Agrippinæ accreverit docet Dio LX. pag. 686. Καὶ ἡ μὲν ταχὺ ϛ αὐτὴ, Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιϛα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε, καὶ τῷ καρπεντίῳ, fortè καρπέντῳ, ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι, παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. *Mox Agrippina in Meſſalinam planè commutata eſt, cùm ei ſenatus, alios honores, utque carpento in ludis uteretur, decrevit.* Obvii Agrippinæ nummi cum carpenti figurâ.

[2] Imperatore genitam] Agrippina erat Germanici filia, ſoror Caii Caligulæ, conjux Claudii, mater Neronis: tot titulorum unicum ad hunc diem in imperio Romano exemplum. Quò clarior ejus ſanguis, eò ipſa pejor.

[3] Vitellius] Imperatoris Vitellii pater, ter conſul, cenſor, bona juventæ adulatorio dedecore & ſenectute flagitioſâ obliteravit. De illo ſæpe ſuprà ac maximè Annal. VI, 32.

[4] Hactenus Vitellius] Id unum Vitellius oraverat, graviorem pœnam deprecatus.

[5] Prodigia evenere] Tot inter prodigia unum a Tacito omiſſum recitat Plinius II, 31. *Trinos ſoles noſtra ætas vidit Divo Claudio Principe, conſulatu ejus, Cornelio Orphito collegâ.* Vide & Dionem LX. pag. 687.

A. U. C. 804. J. C. 51.

obtriti. Frugum quoque egeſtas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantùm queſtus; ſed jura reddentem Claudium circumvaſere clamoribus turbidis [1], pulſumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infenſos perrupit. Quindecim dierum alimenta Urbi non ampliùs ſuperfuiſſe conſtitit: magnâque deûm benignitate, & modeſtiâ hiemis, rebus extremis ſubventum. At herculè olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant: nec nunc infecunditate [2] laboratur, ſed Africam potiùs & Ægyptum exercemus, navibuſque & caſibus vita populi Romani permiſſa eſt.

XLIV. Eodem anno bellum inter Armenios Iberoſque exortum, Parthis quoque ac Romanis graviſſimorum inter ſe motuum cauſa fuit. Genti Parthorum Vologeſes imperitabat [3], maternâ origine ex pellice Græcâ, conceſſu fratrum regnum adeptus. Iberos Pharaſmanes vetuſtâ poſſeſſione, Armenios frater ejus Mithridates obtinebat opibus noſtris. Erat Pharaſmani filius nomine Rhadamiſtus, decorâ proceritate, vi corporis inſignis, & patrias artes edoctus, claràque inter accolas famâ. Is « modicum Iberiæ regnum ſenectâ patris detineri » ferociùs crebriúſque jactabat, quàm ut cupidinem occultaret. Igitur Pharaſmanes juvenem potentiæ promptæ [4], & ſtudio popularium accinctum, vergentibus jam annis ſuis metuens, aliam ad ſpem trahere, & « Armeniam » oſtentare, « pulſis » Parthis, datam Mithridati a ſemet » memorando: ſed « vim » differendam, & potiorem dolum, quò incautum opprime- » rent ». Ita Rhadamiſtus, ſimulatâ adversùs patrem diſcordiâ,

[1] Clamoribus turbidis] Sueton. in Claud. XVIII. *Arctiore autem annonâ ob aſſiduas ſterilitates detentus quondam medio foro a turbâ, convitiiſque ac ſimul fragminibus panis ita inſtratus, ut ægre nec niſi poſtico evadere in Palatium valuerit, nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus.*

[2] Nec nunc infecunditate] Sed luxu, qui Italiam villis, porticibus, vivariis, balneis, exhauriebat; ipsâque Auguſti deſtinatione, qui Africam ac maxime Ægyptum delegerat, ut annonæ Urbicæ provideret. Vide Suetonium in Aug. XVIII. Quantum inde frumenti in Urbem adſportaretur diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 59.

[3] Vologeses imperitabat] De Vologeſe jam dictum ſuprà cap. 14. De Pharaſmane & Mithridate Annal. XI, 8.

[4] Potentiæ promptæ] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 44.

tamquam novercæ odiis impar, pergit ad patruum: multâque ab eo comitate in ſpeciem liberûm cultus, primores Armeniorum ad res novas inlicit, ignaro & ornante inſuper Mithridate.

A. U. C. 804. J. C. 51.

XLV. Reconciliationis ſpecie adſumptâ, regreſſus ad patrem, « quæ fraude confici potuerint, prompta » nuntiat, « cetera armis exſequenda ». Interim Pharaſmanes belli cauſas confingit: « prœlianti ſibi adversùs Regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem adverſatum; eamque inju» riam excidio ipſius ultum iturum ». Simul magnas copias filio tradidit. Ille inruptione ſubitâ territum, exutumque campis Mithridaten, compulit in caſtellum Gorneas [1], tutum loco, ac præſidio militum, quîs Cælius Pollio præfectus, centurio Caſperius præerat. Nihil tam ignarum barbaris, quàm machinamenta & aſtus oppugnationum. At nobis ea pars militiæ maximè gnara eſt. Ita Rhadamiſtus fruſtra, vel cum damno, tentatis munitionibus, obſidium incipit. Et cùm vis negligeretur, avaritiam præfecti [2] emercatur, obteſtante Caſperio, ne ſocius rex, ne Armenia, donum populi Romani, ſcelere & pecuniâ verterentur. Poſtremò, quia multitudinem hoſtium Pollio, juſſa patris Rhadamiſtus, obtendebant, pactus inducias, abſcedit; ut niſi Pharaſmanen bello abſterruiſſet, C. Ummidium Quadratum [3] præſidem Syriæ doceret, quo in ſtatu Armeniæ forent.

XLVI. Digressu centurionis, velut cuſtode exſolutus præfectus, hortari Mithridaten ad ſanciendum fœdus; « con» junctionem fratrum, ac priorem ætate Pharaſmanen, & » cetera neceſſitudinum nomina » referens, « quòd filiam ejus » in matrimonio haberet; quòd ipſe Rhadamiſto ſocer eſſet. » Non abnuere pacem Iberos, quamquam in tempore validiores;

[1] In castellum Gorneas] Caſtellum illud erat intra initia Araxis & Euphratis, ad occaſum urbis Artaxatorum. Sunt qui putent Gorneas idem eſſe ac *Garnacen*, de quâ Ptolemæus in Armeniâ, libr. V, cap. 7. Alia caſtella montana, & cuſtodiendis regiis theſauris munita γαζοφυλάκια, φρούρια ὀρεινὰ, memorat Strabo XI, pag. 529.

[2] Avaritiam præfecti] Cælii Pollionis.

[3] C. Ummidium Quadratum] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 45.

A. U. C. 804. J. C. 51.

» & ſatis cognitam Armeniorum perfidiam: nec aliud præſidii, » quàm caſtellum commeatu egenum: ne dubitaret armis » incruentas conditiones malle [1] ». Cunctante ad ea Mithridate, & ſuſpectis præfecti conſiliis, quòd pellicem regiam polluerat [2], inque omnem libidinem venalis habebatur, Caſperius interim ad Pharaſmanen pervadit: « utque Iberi obſidio de- » cedant, » expoſtulat. Ille propalam incerta, & ſæpius molliora reſpondens, ſecretis nuntiis monet Rhadamiſtum, « op- » pugnationem quoquo modo celerare ». Augetur flagitii merces, & Pollio occultâ corruptione impellit milites, ut « pacem » flagitarent, « ſeque præſidio abituros » minitarentur. Quâ neceſſitate, Mithridates diem locumque fœderi accepit, caſtelloque egreditur.

XLVII. Ac primò Rhadamiſtus in amplexus ejus effuſus, ſimulare obſequium, « ſocerum » ac « parentem » appellare. Adjicit jusjurandum, « non ferro, non veneno vim » allaturum »: ſimul in lucum propinquum trahit, « proviſum » illic ſacrificium imperatum » dictitans, « ut diis teſtibus pax » firmaretur ». Mos eſt regibus, quotiens in ſocietatem coëant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere: mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt: id fœdus arcanum [3] habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum. Sed tunc, qui ea vincula admovebat, decidiſſe ſimulans, genua Mithridatis invadit, ipſumque proſternit: ſimulque concurſu plurium injiciuntur catenæ; ac compede, quod dedecorum Barbaris, trahebatur. Moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contrà, qui tantam fortunæ commutationem miſerarentur. Secutaque cum parvis liberis

[1] Armis incruentas conditiones malle] Sic quoque dixit Horatius II Satyr. VIII, 79.

Nullos his mallem ludos ſpectaſſe.

[2] Polluerat] Ac propterea, inquit Illuſtr. Huetius, timebat & timebatur.

[3] Id fœdus arcanum] Arcanum quidem & ſingulare fœdus, ſed antiquiſſimum & orientalibus gentibus perfamiliare. Illud apud Arabas receptum vide in Herodoto, Thalia III, 8. apud Scythas in Luciano, Toxaris, 37. Tom. II. pag. 545. in ipſo Herodoto, Melpomene IV, 70. Cruentum quoque, ſed non ita inhumanum, exhibet ſacra ſcriptura Geneſ. XV, 9. Jerem. XXXIV, 18.

conjunx,

A. U. C. 804. J. C. 51.

conjunx, cuncta lamentatione complebat. Diverſis & contectis vehiculis abduntur, dum Pharaſmanis juſſa exquirerentur. Illi cupido regni fratre & filiâ potior [1], animuſque ſceleribus paratus : viſui tamen conſuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamiſtus, quaſi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in ſororem & patruum expromit; ſed projectos in humum, & veſte multâ gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quòd cædibus parentum inlacrimaverant, trucidati ſunt.

XLVIII. At Quadratus cognoſcens proditum Mithridaten, & regnum ab interfectoribus obtineri, vocat conſilium, docet acta, & an ulciſceretur conſultat. Paucis decus publicum curæ : plures tuta diſſerunt. « Omne ſcelus externum cum lætitiâ habendum. Semina etiam odiorum jacienda, ut ſæpe Principes Romani eamdem Armeniam ſpecie largitionis, turbandis barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamiſtus male partis, dum inviſus, infamis; quando id magis ex uſu [2], quàm ſi cum gloria adeptus foret ». In hanc ſententiam itum. Ne tamen annuiſſe facinori viderentur, & diverſa Cæſar præciperet, miſſi ad Pharaſmanen nuntii, ut abſcederet a finibus Armeniis, filiumque abſtraheret.

XLIX. Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus, ignavi animi, & deridiculo corporis juxtà deſpiciendus; ſed Claudio perquam familiaris, cùm privatus olim [3] converſatione ſcurrarum iners otium oblectaret. Is Pelignus, auxiliis provincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeniam, dum ſocios magis, quàm hoſtes, prædatur, abſceſſu ſuorum, & incurſantibus barbaris, præſidii egens, ad Rhadamiſtum venit : doniſque ejus evictus, ultro « regium inſigne ſumere »

[1] Fratre et filia potior] Regni cupidinem potiorem habuit, quàm fratrem & filiam, fratris ſui conjugem.

[2] Ex usu] Quoniam id magis conduceret Romanis, quàm ſi Armeniam cum gloriâ adeptus foret. Poterant enim, prout libitum, Armeniam repetere, & ſcelus ulciſci.

[3] Cum privatus olim] Claudius, privatus olim, *abjectâ ſpe dignitatis, ad otium conceſſit, modò in hortis & ſuburbanâ domo, modò in Campaniæ ſeceſſu delitescens : atque ex contubernio ſordidiſſimorum hominum ſuper veterem ſegnitiæ notam, ebrietatis quoque & aleæ infamiam ſubiit*, Sueton. in Claud. V.

A. U. C. 804. J. C. 51.

cohortatur; ſumentique adeſt auctor & ſatelles. Quod ubi turpi famâ divulgatum, ne ceteri quoque [1] ex Peligno conjectarentur, Helvidius Priſcus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut conſuleret. Igitur properè montem Taurum tranſgreſſus, moderatione plura, quàm vi, compoſuerat; cùm « redire in Syriam » jubetur, « ne initium belli » adversùs Parthos exſiſteret ».

L. Nam Vologeses [2] caſum invadendæ Armeniæ obveniſſe ratus, quam a majoribus ſuis poſſeſſam, externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Tiridaten deducere in regnum parat; ne qua pars domûs ſine imperio ageret. Inceſſu Parthorum, ſine acie pulſi Iberi: urbeſque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta [3] jugum accepere. Deinde atrox hiems, ſeu parum proviſi commeatus, & orta ex utroque tabes, perpellunt Vologeſen omittere præſentia: vacuamque rurſus Armeniam Rhadamiſtus invaſit, truculentior quàm antea, tamquam adversùs defectores & in tempore rebellaturos. Atque illi quamvis ſervitio ſueti, patientiam abrumpunt, armiſque regiam circumveniunt.

LI. Nec aliud Rhadamiſto ſubſidium fuit, quàm pernicitas equorum, quîs ſeque & conjugem abſtulit. Sed conjunx gravida, primam utcumque fugam ob metum hoſtilem, & mariti caritatem, toleravit. Poſt feſtinatione continuâ, ubi quati uterus, & viſcera vibrantur, orare « ut morte honeſtâ » contumeliis captivitatis eximeretur ». Ille primò amplecti, adlevare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relictâ potiretur. Poſtremò, violentiâ amoris, & facinorum non rudis, deſtringit acinacem, vulneratamque ripam ad Araxis [4] trahit, flumini tradit, ne corpus etiam

[1] Ne ceteri quoque] Ne ceteri Romani ſimiles Peligno, & æquè turpes viderentur.

[2] Vologeses] Parthorum rex, de quo ſæpe ſuprà.

[3] Artaxata et Tigranocerta] Artaxata, Armeniæ caput, ut dictum Annal. II, 56. Tigranocerta verò, id eſt *Tigranis urbs*, ut nomen ipſum ſonat, ſita erant ubi nunc *Amadie*. Vide infrà Annal. XV, 4 & 5.

[4] Ripam ad Araxis] Araxes dicitur hodie *l'Aras*; de quo Plinius VI, 9. *Araxes eodem monte, quo Euphrates vi mill. paſſuum intervallo: auctuſque amne Muſi, & ipſe (ut plures exiſtimavère) a Cyro*, le Kur, *defertur in Caſpium mare.*

auferretur. Ipſe præceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placidâ illuvie, ſpirantem, ac vitæ manifeſtam, advertêre paſtores; & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agreſtia medicamina adhibent; cognitoque nomine & caſu, in urbem Artaxata ferunt: unde publicâ curâ deducta ad Tiridaten, comiterque excepta, cultu regio habita eſt.

A. U. C. 804. J. C. 51.

LII. Fausto Sullâ, Salvio Othone [1] conſulibus, Furius Scribonianus in exſilium agitur, quaſi « finem Principis per » Chaldæos ſcrutaretur » : adnectebatur crimini « Junia mater » ejus », ut « casûs prioris » (nam relegata erat) « impatiens ». Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam [2] moverat. Idque ad clementiam trahebat Cæſar, quòd ſtirpem hoſtilem iterum conſervaret. Neque tamen exſuli longa poſthac vita fuit: morte fortuitâ, an per venenum exſtinctus eſſet, ut quiſque credidit, vulgavere. « De mathematicis [3] Italiâ pellendis » factum ſenatuſconſultum, atrox & inritum. Laudati dehinc oratione Principis, « qui ob anguſtias familiares [4] ordine ſe» natorio ſponte cederent », motique « qui remanendo impu» dentiam paupertati adjicerent ».

A. U. C. 805. J. C. 52.

LIII. Inter quæ refertur ad patres « de pœnâ femina» rum, quæ ſervis conjungerentur ». Statuiturque « ut, ignaro » domino, ad id prolapſa [5], in ſervitute: ſin conſenſiſſet, pro » libertâ haberetur ». Pallanti, quem « repertorem ejus rela» tionis » ediderat Cæſar, « prætoria inſignia, & centies quin-

[1] Salvio Othone] P. Cornelius Sylla Fauſtus & L. Salvius Otho Titianus conſulatum iniere anno Urbis conditæ dcccv. Jeſu Chriſti 52.

[2] Arma per Dalmatiam moverat] De hac Camilli Scriboniani rebellione quinto die oppreſſâ diximus in Supplemento Annal. IX, 35 & 36.

[3] De mathematicis] Chaldæis ac Magis. Peſtis ſæpe repreſſa, ſemper renaſcens, ob ſuperſtitionem mortalitatis, præſentium incurioſæ, futurorum avidæ. Plura vide infrà Hiſt. I, 22.

[4] Ob angustias familiares] *Senatorum cenſum... duodecies ſeſtertiûm*, monetæ Gallicæ libras 233, 437, taxaverat Auguſtus. Sueton. in Aug. XLI.

[5] Ignaro domino, ad id prolapsa] Invaleſcente hac morum corruptelâ, ſtatuitur ut femina ad id libidinis, ignaro ſervi domino, prolapſa, in ſervitute viveret, ſeu ancilla foret: quæ verò, conſentiente domino, cum ſervo conjungeretur, liberta haberetur. Sic quoque, libidine atque luxuriâ recrudeſcente, Veſpaſianus *auctor ſenatui fuit decernendi, ut quæ ſe alieno ſervo junxiſſet, ancilla haberetur*, Sueton. in Veſpaſ. XI. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 53.

A. U. C. 805. J. C. 52.

»quagies ſeſtertiûm [1] » cenſuit conſul deſignatus Barea Soranus : additum a Scipione Cornelio, « grates publicè agen»das, quòd regibus Arcadiæ ortus [2], veterrimam nobilitatem »uſui publico poſtponeret, ſeque inter miniſtros Principis »haberi ſineret ». Adſeveravit Claudius, « contentum honore »Pallantem, intra priorem paupertatem ſubſiſtere ». Et fixum eſt ære publico ſenatuſconſultum [3], quo libertinus ſeſtertii ter millies [4] poſſeſſor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur.

LIV. At non frater ejus, cognomento *Felix*, pari moderatione agebat, jam pridem Judææ impoſitus [5], & cuncta malefacta ſibi impunè ratus, tantâ potentiâ ſubnixo. Sanè præbuerant Judæi ſpeciem motûs, ortâ ſeditione [6], poſtquam, cognitâ cæde ejus, haud obtemperatum eſſet : manebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempeſtivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur : ita diviſis, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent,

[1] Centies quinquagies sestertiûm] Monetæ Gallicæ libras 2,918,348. Senatoriæ adulationis & Imperatoriæ imbecillitatis monimentum vidit Plinius VII, Ep. 29. ita inſcriptum : Pallanti SENATVS. OB. FIDEM. PIETATEMQVE. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRAETORIA. DECREVIT. ET. SESTERTIVM. CENTIES. QVINQVAGIES. CVJVS. HONORE. CONTENTVS. FVIT. Hac de re totam Plinii epiſtolam vide inter Teſtimonia Veterum de Tacito.

[2] Regiɛus Arcadiæ ortus] Hæc fuit ſemper novorum hominum ſtulta æmulatio, ut claros ac ſæpe regios natales arceſſerent. Nec ullum forte ſæculum, quod Pallantas non habuerit. Animosè, ſed verè adversùs hos omnes, acerrimus vitiorum inſectator, Plinius XXXV, 18. *Hoc eſt inſigne venalitiis gregibus, opprobriumque inſolentis fortunæ : quod & nos adeò rerum potiri vidimus, ut prætoria quoque ornamenta decerni a ſenatu, jubente Agrippinâ Cl. Cæſaris, viderimus libertis : tantumque non cum laureatis faſcibus remitti illò, unde cretatis pedibus adveniſſent.*

[3] Senatusconsultum] Singulare illud ſenatusconſultum ferme totum recitat Plinius VIII, Epiſtolâ 6. quam vide inter Teſtimonia Veterum de Tacito, lectu digniſſimam.

[4] Sestertii ter millies] Monetæ Gallicæ librarum 58,365,075.

[5] Jam pridem Judææ impositus] Hac de re graviſſima Tacitum inter & Joſephum diſſenſio, multiſque eruditorum virorum diſputationibus celebratiſſima, de quâ vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 54.

[6] Orta seditione] Hic aliquid excidiſſe librariorum vel negligentiâ, vel religione, arbitror. Supplendum, ut mihi videtur, *Sanè præbuerant Judæi ſpeciem motûs, ortâ ſeditione ob* Caii *Cæſaris effigiem in templo locandam; poſtquam, cognitâ cæde ejus, haud obtemperatum eſſet, manebat metus ne quis Principum eadem imperitaret.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 54.

A. U. C. 805. J. C. 52.

diſcordes olim, & tum contemptu regentium minùs coërcitis odiis. Igitur raptare inter ſe, immittere latronum globos, componere inſidias, & aliquando prœliis congredi, ſpoliaque & prædas ad procuratores referre. Hique primò lætari, mox gliſcente pernicie, cùm arma militum interjeciſſent, cæſi milites. Arſiſſetque bello provincia, ni Quadratus, Syriæ rector, ſubveniſſet [1]. Nec diu adversùs Judæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix cunctationem adferebant, quia Claudius, cauſis rebellionis auditis, jus ſtatuendi etiam de procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter judices oſtentavit [2], receptum in tribunal, quò ſtudia accuſantium deterrerentur. Damnatuſque flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus; & quies provinciæ reddita.

LV. Nec multò pòſt agreſtium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum [3], ſæpe & aliàs commotæ, tunc Troſobore duce, montes aſperos caſtris cepere. Atque inde decurſu in litora, aut urbes, vim cultoribus & oppidanis, ac plerumque in mercatores & navicularios [4] audebant. Obſeſſaque civitas Anemurienſis [5], & miſſi e Syriâ in ſubſidium equites, cum præfecto Curtio Severo, turbantur: quòd duri circùm loci [6], peditibuſque ad pugnam idonei, equeſtre prœlium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus [7], blandimentis

[1] Syriæ rector, subvenisset] Cùm Judææ procuratores diſſentirent, & provincia bello arderet, ſubvênit Ummidius Quadratus, rector Syriæ. Jam enim Judæos & Ituræos Syriæ additos vidimus ſuprà cap. 23.

[2] Inter judices ostentavit] Quadratus, Pallanti adulatus ſerviliter, Felicem, ejus fratrem, accuſandum licèt & judicandum, in tribunal recepit, & inter judices oſtentavit, ut ſtudia accuſantium deterrerentur. Itaque Cumanus damnatus eſt flagitiorum, quæ duo deliquerant, ipſe ſcilicet & Felix. Hæc certè diſtinctiùs narrantur, quàm ut Joſephi, Antiq. Jud. XX, 5, 6 & 7, confusè ac tumultuariè ſcribentis error non pateat.

[3] Clitarum cognomentum] De his Ciliciæ aſperæ populis dictum ſuprà Annal. VI, 41.

[4] Mercatores et navicularios] Calliſtratus, Digeſt. libr. L. Tit. 6. de Jure immunitatis, leg. 5, *Negotiatores, qui annonam Urbis adjuvant, item naviculari, qui annonæ Urbis ſerviunt, immunitatem a muneribus publicis conſequuntur, quamdiu in ejuſmodi actu ſunt.* Audebant vim in cultores & oppidanos, &c.

[5] Anemuriensis] Anemurium, urbs maritima Ciliciæ, *Anemur*, vel *Eſtenmur*.

[6] Duri circum loci] Propter montes. Unde Τραχεῖα id eſt *aſpera*, hæc Ciliciæ pars dicitur.

[7] Rex ejus oræ Antiochus] Antiochus IV, rex Commagenæ, de quo

A. U. C. 805. J. C. 52.

adverſùs plebem, fraude in ducem, cùm barbarorum copias diſſociaſſet, Troſobore pauciſque primoribus interfectis, ceteros clementiâ compoſuit.

LVI. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum [1] amnemque Lirin [2], perrupto monte, quò magnificentia operis [3] a pluribus viſeretur, lacu in ipſo navale prœlium [4] adornatur; ut quondam Auguſtus [5], ſtructo cis Tiberim ſtagno [6], ſed levibus navigiis, & minore copiâ ediderat [7]. Claudius triremes quadriremeſque & undeviginti hominum millia armavit; cincto ratibus ambitu [8], ne vaga effugia forent: ac tamen

diximus in Supplemento Annal. IX, 20. Partem quoque Ciliciæ aſperæ obtinebat, ut patet ex inſigni ejus nummo æreo, quem vulgavit Cl. Haym, *Teſoro Britannico*, pag. 110. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ, capite Antiochi diademato. E poſticâ parte, Cancer in laureâ ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. Lacanatis pars erat ſuperioris Ciliciæ, ubi poſtea Neronias, deinde Irenopolis, nunc *Irenopoli*, de quâ ſæpe Theodoretus in Hiſt. Eccleſiaſt.. Idem nummus, ſed paululùm diverſus, exſtat apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, Tab. XIV, pag. 126. Alios quoque duos ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ & ΛΥΚΑΟΝΩΝ publicavit, quibus conſtat Elæuſam inſulam, dictam Sebaſten, & Lycaoniam Antiochi regno ab Imperatoribus fuiſſe additas.

[1] Inter lacum Fucinum] Nunc *le lac de Celano dans l'Abruzze ultérieure.*

[2] Amnemque Lirin] Nunc *Garigliano* appellatur.

[3] Magnificentia operis] Rem illuſtrat Suetonius in Claud. XX. *Fucinum aggreſſus eſt, non minùs compendii ſpe, quàm gloriæ, cùm quidam privato ſumptu emiſſuros ſe repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autem paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægre, & poſt undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus.* In operis laudes effuſior Plinius XXXVI, 15, num. 11, & ipſe oculatus teſtis: *Ejuſdem Claudii inter maximè memoranda equidem duxerim, quamvis deſtitutum ſucceſſoris odio, montem perfoſſum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profectò impendio, & operarum multitudine per tot annos: cùm aut corrivatio aquarum, quà terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut ſilex cæderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, niſi ab iis qui vidêre, neque humano ſermone enarrari poſſunt.* Quando & quam ob cauſam tantum opus fuerit ſuſceptum diximus in Supplemento Annal. IX, 31.

[4] Navale prœlium] De hoc navali prœlio vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 56.

[5] Ut quondam Augustus] Vide Notas & Emendationes, loc. cit.

[6] Structo cis Tiberim stagno] In XIV Urbis regione, trans Tiberim, quæ ideo appellatur *Traſtevere*. Cur Tacitus ſcripſerit *cis Tiberim*, haud video; niſi fortè in XIV Urbis regione ipſe habitaverit. Stagni autem, ſeu naumachiæ, Auguſti manent adhuc veſtigia in loco, qui nunc dicitur *la Vigna delle Monache di S. Caterina da Siena.*

[7] Minore copia ediderat] Ut navale prœlium ab Auguſto, pòſt magnificentiùs a Claudio adornatum innoteſcat plura erunt dicenda. Itaque vide Notas & Emendationes loc. cit.

[8] Cincto ratibus ambitu] Teſte Raphaele Fabretto, qui eruditiſſimam Emiſſarii lacûs Fucini deſcriptionem edidit, ambitus lacûs Fucini, per lacinias ſinuum & promontoriorum in eum excurrentium, eſt XXX milliarium & ultrà: rotundatis flexuris, XXVI millia paſſuum, & paulo amplius,

ſpatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetuſque navium, & prœlio ſolita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adſtiterant, antepoſitis propugnaculis, ex quîs catapultæ baliſtæque tenderentur. Reliqua lacûs [1], claſſiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colles, ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis e municipiis, & alii Urbe ex ipſâ [2], viſendi cupidine, aut officio in Principem. Ipſe inſigni paludamento [3], neque procul Agrippina chlamyde auratâ [4] præſedêre. Pugnatum, quamquam inter ſontes, fortium virorum animo: ac poſt multum vulnerum, occidioni exempti ſunt.

A. U. C. 805. J. C. 52.

LVII. SED perfecto ſpectaculo, apertum aquarum iter. Incuria operis manifeſta fuit, haud ſatis depreſſi ad lacûs ima, vel media [5]. Eóque, tempore interjecto, altiùs effoſſi ſpecus; &

obtinet. Ne ſontes homines, qui prœliari debebant, effugia quærerent, ſimul ut rotundarentur flexuræ, ratibus cinctus eſt lacûs ambitus. In iis ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adſtabant, antepoſitis propugnaculis, ex quîs catapultæ baliſtæque tendebantur, quibus obruerentur ſontes, ſi pugnam detrectarent, viſque prœlii foret major. De ratibus earumque pretio plura dicentur infrà Annal. XV, 37.

[1] RELIQUA LACUS, CLASSIARII] Gravis hac de re inter Taciti interpretes diſſenſio. Plurimi contendunt claſſiarios illos cum tectis navibus reliqua lacûs ripas inter & rates prætorianorum occupaſſe, ita ut tres fuerint ordines, primus navium tectarum cum claſſiariis, ſecundus ratium cum prætorianis, tertius triremium & quadriremium cum ſontibus depugnaturis. At certè alia, veraque, mens optimorum interpretum; duoſque tantùm agnoſcunt ordines: unum ratium in ambitu, alterum triremium & quadriremium, quibus erat pugnandum. Centum erant naves illæ, & quidem *tectæ*, id eſt contabulatæ: in his tabulatis depugnabatur, ut conſtat ex veteribus monumentis, ac maximè ex picturis Herculanenſibus, *Pitture Antiche d'Ercolano*, Tom. I. Tab. XLVI & XLVII. Quod illuſtrat Plinius VII, 56, *Tectas longas invenêre Thaſii: antea ex prorâ tantùm & puppi pugnabatur.* Tectæ hæ naves Græcis dicebantur Καταστρώματα, Thucydid. VII, 40; vel Κατάφρακτοι νῆες, Plutarch. in Pyrrho, pag. 391. Inde vel ex *tectarum* nomine error prioris ſententiæ patet. Præterea ſi claſſiarii erant in navibus tectis primoque ordine, quis ergo triremes, quadriremes ceteraſque naves bellatorum agebat?

[2] URBE EX IPSA] Roma inde diſtabat LII millibus paſſuum.

[3] INSIGNI PALUDAMENTO] Militari veſte. Στρατιωτικῶς, Dio LX, pag. 687.

[4] CHLAMYDE AURATA] Immo aureâ. Plin. XXXIII, 3, ſect. 19. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis prœlii ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento, auro textili ſine aliâ materie.*

[5] AD LACUS IMA, VEL MEDIA] Poſt editum navale prœlium, pars ingens & utiliſſima ſpectaculi, lacus ipſe Fucinus erat emittendus. Ideo allaboratum per undecim annos, tantiſque impendiis mons partim effoſſus, partim exciſus per tria paſſuum millia. At tunc incuria operis manifeſta fuit, cùm lacûs ima, vel media, depreſſiora reperta ſunt, quàm ut per apertum iter aquæ in Lirin derivarentur. Nec delendum cum Mureto *ima vel*: nec emendandum

A. U. C. 805. J. C. 52.

contrahendæ rurſus multitudini, gladiatorum ſpectaculum editur, inditis pontibus [1] pedeſtrem ad pugnam. Quin & convivium effluvio lacûs appoſitum magnâ formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat, convulſis ulterioribus [2], aut fragore & ſonitu exterritis. Simul Agrippina trepidatione Principis uſa, miniſtrum operis Narciſſum incuſat [3] » cupidinis, ac prædarum ». Nec ille reticet, « impotentiam muliebrem nimiaſque ſpes ejus [4] » arguens.

A. U. C. 806. J. C. 53.

LVIII. D. Junio, Q. Haterio [5] conſulibus, ſedecim annos natus [6] Nero Octaviam, Cæſaris filiam, in matrimonium accepit. Utque ſtudiis honeſtis, & eloquentiæ gloriâ niteſceret; causâ Ilienſium [7] ſuſceptâ, « Romanum Troiâ demiſſum, & » Juliæ ſtirpis auctorem Æneam », aliaque haud procul fabulis vetera facundè exſecutus, perpetrat « ut Ilienſes omni pu» blico munere ſolverentur [8] ». Eodem oratore, Bononienſi

cum Heinſio *lacunæ media*. Si quid tollendum, certè *vel media*. At, tum *media*, tum alia quædam *ima* potuerunt eſſe depreſſiora, quàm ut lacus penitus emitteretur; ſic interpretatur Illuſtr. Huetius, *non ſatis excavatus fuerat lacus in medio, & in iis locis, quæ ab effluvio remotiora erant.* Itaque adhuc fuit excavandum emiſſarium; novique operis veſtigia reperit eruditus Fabretti, ut ipſe teſtatur loc. cit. pag. 395.

[1] Inditis pontibus] Hac in re Caium imitati. Vide Supplementum Annal. VIII, 9 & ſeqq.

[2] Convulsis ulterioribus] Hæc fruſtra multis vexata. Rectè Illuſtr. Huetius, *Nihil mutandum. Convulſa fuerant ulteriora vi aquarum; vel exterriti convivæ, ne convellerentur, timebant.* Sueton. in Claud. XXXII. *Convivatus & ſuper emiſſarium Fucini lacûs, ac pœne ſubmerſus, cùm emiſſa impetu aqua redundaſſet.*

[3] Narcissum incusat] Agrippinæ inviſum ob Æliæ Petinæ ſtudium, ſuprà cap. I. Eum cupidinis ac prædarum incuſat, quaſi impenſæ partem ſuos in uſus vertiſſet; eam ruinam machinatus, ne fraus ſua pateret. Vide Dionem LX. pag. 687.

[4] Nimiasque spes ejus] Quæ jam ſuam Neroniſque fortunam animo præciperet.

[5] Q. Haterio] Decimus Junius Silanus & Quintus Haterius Antoninus conſules fuere anno Urbis conditæ DCCCVI. Jeſu Chriſti 53.

[6] Sedecim annos natus] Id eſt ineunte anno ſexto decimo. Natus enim erat XVIII. Kal. Januarias anno U. C. DCCXC.

[7] Iliensium] De Ilienſibus jam dictum ſuprà Annal. IV, 55. Vide etiam Notas & Emendationes ad Annal. XII, 58, ubi plura de eorum immunitatibus. Tunc cuſus nummus, de quo Harduinus, Select. opera, pag. 74. ΙΛΙΕΩΝ. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟϹ. Effigies Scamandri fluvii recumbentis. Ex alterâ parte, ΝΕΡΩΝ. ΒΡΕΤΑΝ. ΚΑΙΣ. *Nero & Britannicus Cæſares.* Sic Nero Britannico præponi jam ſolitus. Neronem biennio ante cauſas illas oraſſe tradit Suetonius in Ner. VII. *Apud eumdem Claudium conſulem pro Bononienſibus latinè, & pro Rhodiis atque Ilienſibus græcè, verba fecit.* Hæc quidem prompta in juvene; at Principibus multa adſunt ſubſidia.

[8] Solverentur] Unde Suetonius

Coloniæ

coloniæ [1] igni hauſtæ ſubventum, centies ſeſtertii [2] largitione. Redditur Rhodiis libertas [3], adempta ſæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant: tributumque Apamenſibus [4], terræ motu convulſis, in quinquennium remiſſum.

A. U. C. 806. J. C. 53.

LIX. At Claudius ſæviſſima quæque promere adigebatur ejuſdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum [5] opibus inluſtrem, hortis ejus inhians, pervertit, accuſante Tarquitio Priſco. Legatus is Tauri, Africam imperio proconſulari regentis, poſtquam revenerant, pauca « repetundarum crimina », ceterùm « magicas ſuperſtitiones » objectabat. Nec ille diutiùs falſum accuſatorem, indignaſque ſordes perpeſſus, vim vitæ ſuæ attulit, ante ſententiam ſenatûs. Tarquitius [6] tamen curiâ exactus eſt: quod Patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicere.

LX. Eodem anno ſæpius audita vox Principis, « parem » vim rerum habendam a procuratoribus ſuis [7] judicatarum,

in Claud. XXV. *Ilienſibus, quaſi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remiſit: recitatâ vetere epiſtolâ Græcâ ſenatûs populique Romani Seleuco regi amicitiam & ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet.*

[1] Bononiensi coloniæ] Nunc *Bologne.* De quâ Plinius III, 15. *Intus colonia Bononia, Felſina vocitata, cùm princeps Etruriæ eſſet.*

[2] Centies sestertii] Monetæ Gallicæ librarum, 1,945,502.

[3] Redditur Rhodiis libertas] Ademptam nuperrimè a Claudio diximus in Supplemento Annal. X, 11. De reſtitutâ vide plura in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 58.

[4] Apamensibus] Cùm plurimæ ſint Apameæ, ambigua foret appellatio, niſi adeſſent nummi. At ex iis conſtat hanc eſſe Apameam Phrygiæ, quæ modò vocatur ΑΠΑΜΕΙΑ ΠΡΟϹ ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ, *Apamea ad Mæandrum*, modò ΑΠΑΜΕΙΑ ΚΙΒΩΤΟϹ ΜΑΡϹΥΑϹ, quòd ad Mæandrum & Marſyam poſita, & olim dicta *Cibotos.* Vide Strabonem XII. pag. 576. Livium XXXVIII, 13. Plinium V, 29. Harduinus, Select. opera, pag. 24. duos nummos profert, grati animi Apamenſium teſtes: alterum Claudii, ΑΠΑΜΕΙΑΣ ΜΑΙΑΝΔ. Id eſt *Apameæ Mæander:* alterum Neronis cum matre Agrippinâ, ΑΠΑΜΕΙΣ. ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ. *Apamenſes. ſub Mario Cordo. Commune Phrygiæ.*

[5] Statilium Taurum] Ejuſdem nominis, ſed alium, vidimus Annal. VI, 11. Quo Urbis loco fuerint Statilii Tauri horti incompertum. Forte vicini amphitheatro Statilii Tauri, ex cujus ruderibus concretus mons, qui nunc dicitur *Monte Citorio.*

[6] Tarquitius] Poſtea Proconſul fuit Bithyniæ, & ipſe repetundarum damnatus, ut pluribus dicetur Annal. XIV, 46. Malè Mſſ. *Tarquinius.*

[7] A procuratoribus suis] Procuratores a Cæſaribus in omnes ſuas ac populi provincias mittebantur, ut publicos reditus colligerent, & præſcriptas ipſis impenſas facerent. Mandata quoque accipiebant, ut certis le-

A. U. C. 806. J. C. 53.

»ac ſi ipſe ſtatuiſſet ». Ac ne fortuitò prolapſus videretur, ſenatûs quoque conſulto cautum pleniùs, quàm antea & uberiùs. Nam divus Auguſtus, « apud equeſtres [1], qui Ægypto »præſiderent, lege agi, decretaque eorum proinde haberi» juſſerat, « ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent » : mox alias per provincias, & in Urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim a prætoribus noſcebantur. Claudius omne jus tradidit, de quo totiens ſeditione, aut armis, certatum, cùm Semproniis rogationibus [2] equeſter ordo in poſſeſſione judiciorum locaretur; aut rurſum Serviliæ leges [3] ſenatui judicia redderent : Mariuſque & Sulla olim de eo vel præcipuè bellarent. Sed tunc ordinum diverſa ſtudia : & quæ vicerant, publicè valebant. C. Oppius & Cornelius Balbus [4] primi Cæſaris opibus potuere conditiones pacis & arbitria belli tractare. Matios poſthac & Vedios [5], & cetera equitum

gibus in provincias irent. De his aliiſque, quæ procuratores ſpectant, vide Dionem LIII. pag. 506.

[1] Apud equestres] Vulgò *equites*. At vox *equeſtres* Taciti ævo invaluit. Cur & quibus equitibus Ægyptum ſepoſuerit Auguſtus dictum eſt ſuprà Annal. II, 59.

[2] Semproniis rogationibus] Anno U. C. dcxxxii. Caius Sempronius Gracchus trecentos equites trecentis ſenatoribus admiſcuit, eoſque in poſſeſſione judiciorum locavit. Vide Plutarchum in Gracch. pag. 837.

[3] Serviliæ leges] Anno U. C. dcxlviii. Q. Servilius Cæpio conſul legem judiciariam tulit, quâ ſenatui judicia reddebantur. Hac de re adhuc bellatum Marium inter & Syllam : Marius equeſtri ordini, Sylla ſenatorio favebat. Ac tandem anno U. C. dclxxiv. Sylla, conſul II, legem tulit quâ ſolis ſenatoribus judiciaria poteſtas permiſſa. Sed tunc ordinum diverſa fuere ſtudia, & quæ vicerant, publicè valebant, & judicia adminiſtrabant. Inde anno U. C. dclxxxiv. L. Aurelius Cotta, prætor, ut ſenatores, equites, & tribuni ærarii judicarent, ad populum tulit. Id paululum immutavit Cn. Pompeius, conſul II, Anno U. C. dcxcix. legemque promulgavit, ut penes tres illos ordines forent quidem judicia, ſed ea exercerent ampliſſimo cenſu & centuriis lecti judices. Cæſar dictator *judicia ad duo genera judicum redegit, equeſtris ordinis ac ſenatorii : tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit*, Sueton. in Jul. XLI. *Divo Auguſto* judicum *decurias ordinante major pars judicum in ferreo anulo fuit : iique non equites, ſed judices vocabantur*, Plin. XXXIII, 1. ſect. 7. qui multa alia hac de re addit. Vide & eruditum Antonium Auguſtinum de Legibus, pag. 41.

[4] C. Oppius et Cornelius Balbus] Equites Romani, & amici Julii Cæſaris. De his plura in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 60.

[5] Matios posthac et Vedios] Auguſti amicos. Plinius XII, 2. *Primus C. Matius ex equeſtri ordine, Divi Auguſti amicus, invenit nemora tonſilia intra hos* lxxx *annos*, id eſt anno U. C. dccl. Apud eumdem Plinium IX, 23. memoratur *inter documenta ſævitiæ Vedius Pollio, eques Romanus, ex amicis Divi Auguſti, vivariis earum*, murænarum, *immergens damnata mancipia, non tamquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed*

Romanorum [1] prævalida nomina, referre nihil attinuerit; cùm Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, ſibique & legibus adæquaverit [2].

A. U. C. 806. J. C. 53.

LXI. Retulit dein « de immunitate Cois tribuendâ [3] ». Multaque « ſuper antiquitate eorum » memoravit: « Argivos, » vel Cœum Latonæ parentem [4], vetuſtiſſimos inſulæ cultores: » mox adventu Æſculapii [5] artem medendi inlatam, maximéque » inter poſteros ejus [6] celebrem fuiſſe », nomina ſingulorum referens, & quibus quiſque ætatibus viguiſſent. Quin etiam dixit « Xenophontem [7], cujus ſcientiâ ipſe uteretur, eâdem fa» miliâ [8] ortum: precibuſque ejus dandum, ut omni tributo » vacui in poſterum Coi, ſacram & tantùm dei miniſtram [9] » inſulam colerent ». Neque dubium habetur, multa eorumdem

quia in alio genere totum pariter hominem diſtrahi, ſpectari non poterat. Auguſtum pudeat talem habuiſſe amicum; & tam immanem ſævitiam, Senecam de Irâ III, 40. leviter arguiſſe. Verè, verè idem Seneca, de Clementiâ I, 18. *Quis non Vedium Pollionem pejus oderat, quàm ſervi ſui, quòd murænas ſanguine humano ſaginabat: & eos, qui ſe aliquid offenderant, in vivarium quid aliud quàm ſerpentium, abjici jubebat? O hominem mille mortibus dignum! ſive devorandos ſervos objiciebat murænis, quas eſurus erat, ſive in hoc tantùm illas alebat, ut ſic aleret. Quemadmodum domini crudeles totâ civitate commonſtrantur, inviſique & deteſtabiles ſunt: ita regum & injuria latiùs patet, & infamia, atque odium ſæculis traditur. Quantò autem non naſci fuit, quàm numerari inter publico malo natos?*

[1] Cetera equitum Romanorum] Ut Mecænates, Salluſtios, Sejanos, &c.

[2] Adæquaverit] Vide Sueton. in Claud. XXIX.

[3] Cois tribuenda] Cos, Ægæi maris inſula, Hippocrate alumno celeberrima, nunc appellatur *Stan-co*.

[4] Cœum Latonæ parentem] Cœus, Terræ & Titanis filius, de quo Virgilius, Georgic. I, 278.

Tum partu Terra nefando
Cœumque, Japetumque creat, ſævumque Typhœa
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.

Κοῖος, *Cœi* Latonæ patris, meminit quoque Heſiodus, in Theogon. verſ. 404. Inde apud Plinium V, 31. ſect. 36. *Cos* dicta eſt quoque *Cea*. Fortè meliùs ſcriberetur *Cæa*. Argivos vel ante Trojanum bellum hanc inſulam habitaſſe liquet ex Homero & Strabone XII, pag. 573.

[5] Adventu Æsculapii] Ideo tam frequens ejus memoria in nummis Coorum.

[6] Inter posteros ejus] Quorum maximus Hippocrates, non ægris tantùm mortalibus, ſed iis omnibus, quibus ingenii vis & humanitas erit in pretio, ſummè prædicandus. Innumera inter ejus decora, id ſaltem non ſiluerim venientem ab Illyriis peſtilentiam eum prædixiſſe, diſcipuloſque ad auxiliandum circa urbes dimiſiſſe: *quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia*, Plin. VII, 37. Vide plura in libro XXIX, 1.

[7] Xenophontem] Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, pag. 206. nummum æreum hujus medici protulit. Ex unâ parte caput nudum Xenophontis, ΞΕΝΟΦΩΝ. Ex alterâ parte Dea ſalus ſtans ſerpentem tenet, ΚΩΙΩΝ. Cuſus, ut videtur, a Cois grati animi cauſâ.

[8] Eadem familia] Familiâ Æſculapii, a quo ipſe Hippocrates quartus decimus eſſe ferebatur.

[9] Dei ministram] Et tantùm Æſculapii cultui addictam.

A. U. C. 806. J. C. 53.

in populum Romanum merita [1], ſociaſque victorias [2] potuiſſe tradi. Sed Claudius facilitate ſolitâ, quod uni conceſſerat, nullis extrinſecus adjumentis velavit.

LXII. At Byzantii [3], datâ dicendi copiâ, cùm « magnitudinem onerum » apud ſenatum deprecarentur, cuncta repetivere; orſi « a fœdere, quod nobiſcum icerant, quâ tempeſtate bellavimus adversùs regem Macedonum, cui ut degeneri, Pſeudophilippi [4] vocabulum impoſitum ». « Miſſas » poſthac [5] « copias in Antiochum [6], Perſen [7], Ariſtonicum [8], & piratico bello [9] adjutum Antonium »; memorabant « quæque Sullæ, aut Lucullo, aut Pompeio obtuliſſent ». Mox « recentia in Cæſares merita [10], quando ea loca inſiderent, quæ tranſmeantibus terrâ marique ducibus, exercitibuſque, ſimul vehendo commeatu [11] opportuna forent ».

LXIII. Namque arctiſſimo inter Europam Aſiamque divortio [12], Byzantium in extremâ Europâ poſuere Græci, quibus Pythium Apollinem conſulentibus, « ubi conderent urbem », redditum oraculum eſt: « quærerent ſedem,

[1] In populum Romanum merita] De his ſuprà Annal. IV, 14.

[2] Sociasque victorias] Societatem Coorum cum Lucullo vide apud Plutarchum in Lucull. pag. 493. Hæc quidem laudare dignum fuiſſet Principe. At Claudius fœdo peregrinæ eruditionis oſtentandæ cacoethe laborabat.

[3] Byzantii] Byzantium, nunc *Conſtantinople*. Exſtant nummi plurimi ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ cum pelamidibus, ſeu piſcibus, de quibus dicetur cap. ſeq.

[4] Pseudophilippi] Is Pſeudophilippus, Andriſcus eſt, vir ultimæ ſortis, qui ſe Philippum, Perſei filium, eſſe mentitus, a Metello debellatus eſt & captus anno U. C. dcvi. Orſi ſunt ab illo fœdere, quod quidem tempore poſterius, ſed merito præſtantius, cùm Macedoniam juris Romani penitus fecerit. Vide Florum II, 14.

[5] Missas posthac] Deinde memoravere copias in Antiochum miſſas.

[6] In Antiochum] Antiochum III, Syriæ regem, a L. Cornelio Scipione Aſiatico victum anno U. C. dlxiv. Florus II, 8. De illo quoque ſuprà Annal. III, 62.

[7] Persen] De illo ſupra cap. 38.

[8] Aristonicum] De Ariſtonico dictum ſuprà Annal. IV, 55.

[9] Piratico bello] Piratarum peſtem a Mithridate afflatam, & toto mari diſperſam exſtinxit Pompeius anno U. C. dclxxxvii. Florus III, 6. Ne eumdem eſſe ac triumvirum Antonium cenſeas Antonium illum, qui oras maritimas curavit antequam bellum Piraticum Pompeio demandaretur. Is eſt de quo egregiè, ut ſemper, Salluſtius, Frag. Hiſt. III, 15. *M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuuſque curis, niſi inſtantibus.* Vide quoque Aſconium & Ciceronem Verrin. IV.

[10] Recentia in Cæsares merita] Bello Thracio, de quo ſuprà Annal. IV, 47. & Boſphorano, de quo modò dictum cap. 15.

[11] Vehendo commeatu] Sic ſæpe veteres ſcriptores pro *vehendo commeatui.*

[12] Inter Europam Asiamque divortio] Nunc *le canal de Conſtantinople.*

A. U. C. 806. J. C. 53.

» cæcorum terris adverſam ». Eâ ambage Chalcedonii [1] monſtrabantur, quòd priores illuc advecti, prævisâ locorum utilitate, pejora legiſſent. Quippe Byzantium fertili ſolo, fecundoque mari, quia vis piſcium innumera [2] Ponto erumpens [3], & obliquis ſubter undas ſaxis [4] exterrita, omiſſo alterius litoris flexu, hos ad portus defertur. Unde primò quæſtuoſi & opulenti; pòſt magnitudine onerum urgente, « finem » aut modum » orabant, adnitente Principe, qui « Thracio » Boſphoranoque [5] bello recens feſſos, juvandoſque » retulit. Ita tributa in quinquennium remiſſa.

A. U. C. 807. J. C. 54.

LXIV. M. Asinio, Manio Acilio conſulibus [6], mutationem rerum in deterius portendi, cognitum eſt crebris prodigiis [7]. Signa ac tentoria militum igne cæleſti arſere. Faſtigio Capitolii examen apium [8] inſedit. Biformes hominum partus [9]: & ſuis fetum editum, cui accipitrum ungues ineſſent. Numerabatur inter oſtenta, deminutus omnium magiſtratuum numerus, quæſtore, ædili, tribuno, ac prætore, & conſule, paucos intra menſes defunctis. Sed in præcipuo pavore Agrippina vocem Claudii, quam temulentus jecerat, « fatale ſibi, » ut conjugum flagitia ferret, dein puniret », metuens, agere & celerare ſtatuit, perditâ priùs Domitiâ Lepidâ, muliebribus cauſis: quia Lepida minore Antoniâ [10] genita, avunculo

[1] Chalcedonii] Chalcedon olim urbs celeberrima, nunc pagus *Kadi Cui.*

[2] Vis piscium innumera] Vis innumera pelamidum, ſeu thynnorum nondum adultorum, Gallicè *de jeunes thons.*

[3] Ponto erumpens] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 63. Pontus, nunc *la Mer noire.*

[4] Obliquis subter undas saxis] Obliquis & candicantibus, ut dictum eſt in Notis & Emendationibus, loc. cit.

[5] Thracio Bosphoranoque] Suprà Annal. IV, 46. & XII, 15.

[6] Manio Acilio consulibus] M. Aſinius Marcellus & Manius Acilius Aviola conſules fuere anno Urbis conditæ DCCCVII. Jeſu Chriſti 54. De Acilio jam dictum ſuprà Annal. III, 41.

[7] Crebris prodigiis] Plinius II, 25. *In noſtro verò ævo circa veneficium, quo Claudius Cæſar imperium reliquit Domitio Neroni: ac deinde principatu ejus, aſſiduum prope ac ſævum* ſidus, cometes. *Tactum* quoque *de cælo monumentum Druſi patris* memorat Suetonius in Claud. XLVI.

[8] Examen apium] Ita Mſſ. Flor. Reg. & melioris notæ editiones. In aliis *apum.* At Plinius quoque XVII, 27. *Centrinas, genus culicum, fucis apium ſimiles ignaviâ malitiâque,* dixit.

[9] Biformes hominum partus] *Biformes* potiùs intellexerim de variis hominum & animalium formis, quàm de bicipitibus hominum animaliumve partibus, de quibus infrà Annal. XV, 47.

[10] Minore Antonia] Immo *majore,* ut docet Suetonius in Ner. V. Vide & Stemma Cæſarum, num. 32.

A. U. C. 807. J. C. 54.

Auguſto, Agrippinæ ſobrina prior [1], ac Cneii, mariti ejus, ſoror [2], parem ſibi claritudinem credebat: nec forma, ætas, opes multùm diſtabant; & utraque impudica, infamis, vinolenta [3], haud minùs vitiis æmulabantur, quàm ſi qua ex fortunâ proſpera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potiùs, an mater, apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis & largitionibus juvenilem animum [4] devinciebat; truci contrà ac minaci Agrippinâ, quæ filio dare imperium [5], tolerare imperitantem nequibat.

LXV. Ceterùm objecta ſunt « quòd conjugium Principis devotionibus petiviſſet [6], quódque parum coërcitis per » Calabriam ſervorum agminibus [7] pacem Italiæ turbaret ». Ob hæc mors indicta, multùm adverſante Narciſſo, qui, Agrippinam magis magiſque ſuſpectans, prompſiſſe inter proximos ferebatur, « certam ſibi perniciem [8], ſeu Britannicus rerum,

[1] Agrippinæ sobrina prior] Id patet ex Stemmate Cæſarum. Sunt enim quatuor capita uſque ad Agrippinam; Octavia, Antonia minor, Germanicus & Agrippina. Contrà verò tria tantùm capita uſque ad Domitiam Lepidam; Octavia, Antonia major & Domitia Lepida. Vide Stemma Cæſarum, num. 25 & 93.

[2] Cneii, mariti ejus, soror] Cn. Domitius Ahenobarbus, Agrippinæ maritus, frater erat Domitiæ Lepidæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 34 & 25.

[3] Vinolenta] Meliùs *violenta*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XII, 64.

[4] Juvenilem animum] Neronis.

[5] Filio dare imperium] Bene illuſtr. Huetius, *Agrippina filio dare imperium quibat, eum tolerare imperitantem nequibat*.

[6] Devotionibus petivisset] Non quòd Claudii conjugium devotionibus & incantamentis quæſiviſſet, ſed quòd iis Agrippinam, Claudii conjugem, perditam voluiſſet. Sic enim poſtulat latinitas; & ita paſſim Tacitus.

[7] Servorum agminibus] In eâ Domitiæ Lepidæ fortunâ, tantoque Urbis luxu, quanta fuerint ſervorum agmina poſſumus æſtimare ex C. Cæcilio Claudio Iſidoro, viro minimè nobili, quique multa civili bello perdiderat, & tamen ante ſeptuaginta annos teſtamento reliquerat *ſervorum quatuor millia centum ſedecim: juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris CC. quinquaginta ſeptem millia: in numerato HS $\overline{DC}$*, monetæ Gallicæ libras 11,673,015, Plin. XXXIII, 10.

[8] Certam sibi perniciem] Illam Narciſſi orationem ſus deque vertunt, mutant, ac tandem inexplicabilem pronuntiant interpretes. Certè difficilis eſt & ſalebroſa, ut dicetur in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 65. Videtur tamen obvio ſenſu ſic intelligenda. Queritur Narciſſus certam ſibi perniciem, ſeu Britannicus rerum, ſeu Nero potiretur. Verùm ita de ſe meritum eſſe Claudium Cæſarem, ut vitam uſui ejus impenderet. Convictam olim, ipſo inſtinctore ac duce, Meſſalinam & Silium. Pares iterum accuſandi cauſas eſſe, ſi Nero imperitaret, propter eamdem Agrippinæ ac Meſſalinæ impudicitiam. Si verò ſuccederet Britannicus, nullum ſibi eſſe meritum apud Principem, natalium jure regnum adeptum, & infenſum tum ob interfectam Meſſalinam matrem, tum maximè ob

A. U. C. 807. J. C. 54.

»ſeu Nero potiretur. Verùm ita de ſe meritum Cæſarem, ut »vitam uſui ejus impenderet. Convictam Meſſalinam & Silium. »Pares iterum accuſandi cauſas eſſe, ſi Nero imperitaret. »Britannico ſucceſſore, nullum Principi meritum : ac no»vercæ inſidiis domum omnem convelli, majore flagitio, »quàm ſi impudicitiam prioris conjugis reticuiſſet : quamquam »ne impudicitiam quidem nunc abeſſe, Pallante adultero : ne »quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora »habere». Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum, «robur ætatis quàm maturrimum» precari : modò ad deos, modò ad ipſum tendere manus, «adoleſceret, patris inimicos »depelleret : matris etiam interfectores ulciſceretur [1] ».

LXVI. In tanta mole curarum, Claudius valetudine adversâ corripitur, refovendiſque viribus mollitie cæli, & ſalubritate aquarum, Sinueſſam pergit [2]. Tum Agrippina, ſceleris olim certa, & oblatæ occaſionis propera, nec miniſtrorum egens, de genere veneni conſultavit : «ne repentino »& præcipiti facinus proderetur; ſi lentum & tabidum dele»giſſet, ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto, »ad amorem filii rediret». «Exquiſitum aliquid» placebat, «quod turbaret mentem, & mortem differret». Deligitur artifex talium, vocabulo *Locuſta* [3], nuper veneficii damnata, & diu inter inſtrumenta regni [4] habita. Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus miniſter e ſpadonibus fuit Halotus [5],

Agrippinæ novercæ inſidias, quæ domum omnem tantis ſceleribus convellebat, ut minore flagitio impudicitiam Meſſalinæ reticuiſſet. Quamquam, quid impudicitiam, Nerone imperitante, accuſaturus ſum! ne nunc quidem abeſt intoleranda Agrippinæ impudicitia, Pallante adultero, ita ut nemo ambigat eam decus, pudorem, corpus, cuncta regno viliora habere.

[1] Ulciſceretur] Agrippinam, Pallantem, Neronem, patris inimicos, depelleret : Meſſalinæ etiam matris interfectores ulciſceretur. Se ultro ſuáque morte Claudii imperio, Britannici ſaluti gratificandum.

[2] Sinueſſam pergit] Sinueſſa, olim dicta Græcis Sinope, urbs extrema Latii. Plin. III. 5. ſect. 9. Nunc manent rudera prope caſtellum, quod vocitant *Torre di monte Dragone*. Aquas Sinueſſanas ſterilitati feminarum, & virorum inſaniæ ſalubres memorat Plinius XXXI, 2.

[3] Locuſta] De quâ adhuc infrà Annal. XIII, 15.

[4] Inſtrumenta regni] Potiùs regni ſcelera & portenta, uni Machiavello, improbitatis & nequitiæ doctori, probata.

[5] Fuit Halotus] Quem memorat quoque Suetonius in Claud. XLIV. At pro more ſuo alios plurimos rumores aggerat.

inferre epulas, & explorare guſtu [1] ſolitus.

A. U. C. 807. J. C. 54.

LXVII. Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum ſcriptores prodiderint, « infuſum delectabili cibo » boletorum [2] venenum; nec vim medicaminis ſtatim intel- » lectam, ſocordiâne Claudii, an vinolentiâ ». Simul ſoluta alvus ſubveniſſe videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur, ſpretâ præſentium invidiâ, proviſam jam ſibi Xenophontis medici conſcientiam adhibet. Ille tamquam niſus evomentis adjuvaret [3], pinnam rapido veneno inlitam faucibus ejus demiſiſſe creditur: haud ignarus ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

LXVIII. Vocabatur interim ſenatus; votaque pro incolumitate Principis conſules & ſacerdotes nuncupabant, cùm jam exanimis veſtibus & fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis imperio componuntur. Jam primùm Agrippina, velut dolore victa & ſolatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, « veram paterni oris effigiem » appellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque, & Octaviam [4], ſorores ejus, attinuit, & cunctos aditus cuſtodiis clauſerat; crebróque vulgabat, « ire in me- » lius valetudinem Principis », quò miles bonâ in ſpe ageret, tempuſque proſperum ex monitis Chaldæorum adventaret.

LXIX. Tunc medio diei, tertium ante Idus Octobris [5] foribus palatii repentè diductis, comitante Burro, Nero

[1] Explorare gustu] Sueton. loc. cit. *Per Halotum ſpadonem prægustatorem.* Imperatorum PRAEGVSTATORES in veteribus Inſcriptionibus ſæpe occurrunt.

[2] Delectabili cibo boletorum] Boleti, Gallicè *des mouſſerons*, aliis *des morilles*. Plin. XXII, 22. ſect. 46. *Inter ea quæ temere manduntur, & boletos meritò poſuerim, optimi hos quidem cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio, Principi, per hanc occaſionem a conjuge Agrippina dato: quo facto illa terris venenum alterum, ſibique ante omnes, Neronem ſuum dedit.* Juvenal. Satyr. V, 146.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: ſed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, poſt quem nil amplius edit.

[3] Nisus evomentis adjuvaret] En novum medicinæ ſcelus. Vide quæ dicta ſunt Annal. IV, 3.

[4] Antoniam quoque, et Octaviam] Antoniam Claudii & Æliæ Petinæ filiam: Octaviam, Claudio & Meſſalinâ genitam. Vide Stemma Cæſarum, num. 105 & 36.

[5] Tertium ante Idus Octobris] Die 13 Octobris. Mſ. Flor. veteres & optimæ editiones *tertium*: Rhenanus & alii *tertio*.

egreditur

A. U. C. 807. J. C. 54.

egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adeſt. Ibi, monente Præfecto, feſtis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitaviſſe quoſdam ferunt, reſpectantes, rogitanteſque « ubi » Britannicus eſſet » ? mox, nullo in diverſum auctore, quæ offerebantur ſecuti ſunt. Inlatuſque caſtris [1] Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo, ad exemplum paternæ largitionis [2], *Imperator* conſalutatur. Sententiam militum ſecuta patrum conſulta : nec dubitatum eſt apud provincias. Cæleſteſque honores [3] Claudio decernuntur, & funeris ſollemne perinde ac divo Auguſto [4] celebratur : æmulante Agrippinâ proaviæ Liviæ [5] magnificentiam. Teſtamentum tamen haud recitatum, ne antepoſitus filio privignus [6], injuriâ & invidiâ animos vulgi turbaret.

[1] Inlatusque castris] Prætorianorum.

[2] Ad exemplum paternæ largitionis] Ergo, ut Claudius, promiſit Nero ſingulis militibus quinadena ſeſtertia; monetæ Gallicæ libras 2917. Vide Supplementum Annal. IX, 12. Totius autem largitionis, ſi ſolos ſpectaverit prætorianos, ne numeratis quidem ducum præmiis, ſumma fuit HS MCCCL, Gallicæ monetæ libræ 26,264,378.

[3] Cælestesque honores] Hanc Claudii conſecrationem teſtantur nummi, in quibus ſæpe occurrit DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS. Eam ridebat Nero, qui boletos *eſcam deorum* appellabat. Ridet quoque Juvenalis Satyr. VI, 619.

Minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus : ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cælum, & longâ manantia labra ſalivâ.

Hanc quoque conſecrationem, non inſulsâ, ſed amariore, quam ut philoſophum deceret, ἀποκολοκυντώσει, ita a boleto dictâ, ludificavit Seneca.

[4] Perinde ac divo Augusto] Vide Suetonium in Aug. C. & dicta ſuprà Annal. I, 8.

[5] Proaviæ Liviæ] Livia Auguſti uxor, proavia Agrippinæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 66.

[6] Filio privignus] Nero antepoſitus Britannico.

BREVIARIUM

LIBRI DECIMI TERTII.

I. *SILANUS per dolum Agrippinæ veneno interemptus. Narciſſus ad mortem agitur.* II. *Burri & Senecæ laus. Cenſorium Claudii funus: laudatur a Principe.* IV. *Bona Neronis initia; multaque arbitrio ſenatûs conſtituta.* VI. *Parthi Armeniam adfectant: quibus Domitius Corbulo opponitur.* XII. *Delapſo Nerone in amorem Actes libertæ, Agrippina infremit; ſimulque infracta ejus potentia.* XIV. *Pallas curâ rerum demovetur.* XV. *Mox venenum Britannico properatum: feſtinum ejus funus, proviſo antè paratu & modico.* XVIII. *Agrippina, Neroni offenſior, viſa res novas moliri: accuſata eo nomine, ultionem in delatores, & præmia amicis obtinet.* XXII. *Silana in exſilium acta. Deferuntur a Pæto Pallas ac Burrus: exſilium accuſatori inrogatum.* XXIV. *Urbs luſtrata.* XXV. *Neronis luxus, & laſcivi per noctem diſcurſus. Hiſtriones Italiâ pulſi.* XXVI. *Actum in ſenatu de fraudibus libertorum, iiſque in ſervitutem revocandis: nihil tamen in com-*

mune derogatum. XXVIII. *Jus tribunorum & ædilium cohibitum. Ærarii cura variè habita.* XXX. *Damnatur Vipſanius Lenas. Mors L. Voluſii.* XXXI. *Magiſtratus, qui provincias obtinerent, ludos edere prohibiti.* XXXII. *Dominorum ſecuritati conſultum. Pomponia Græcina mariti judicio permiſſa, & inſons abſoluta.* XXXIII. *De repetundis poſtulantur P. Celer, Coſſutianus Capito, Eprius Marcellus.* XXXIV. *Neronis liberalitas. Prolatatum de obtinendâ Armeniâ bellum, acriter ſumitur. Priſcâ ſeveritate & diſciplinâ firmato milite, Corbulo Armeniam ingreditur: urbem Artaxata capit & incendit.* XLII. *P. Suilius Romæ damnatur.* XLIV. *Octavius Sagitta, amore vecors, Pontiam ferro tranſverberat: mira liberti fides.* XLV. *Sabinam Poppæam amare incipit Nero.* XLVII. *Cornelius Sulla Maſſiliam amovetur.* XLVIII. *Puteolanorum ſeditio.* XLIX. *Pætus Thraſea leviori ſenatuſconſulto contradicit, ut Patrum honos creſceret.* L. *Publicanorum immodeſtia. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. Leges cujuſque publici, occultæ ad id tempus, proſcribuntur.* LIII. *In Germaniâ Friſii res movent: inſeſſis juxta Rhenum agris, mox juſſi decedere: capti cæſive, qui reſtitere. Eoſdem agros, pari fato, occupant Anſibarii.* LVII. *Inter Hermunduros Cat-*

toſque bellum, Cattis exitioſum. LVIII. *Ruminalis arbor revireſcit.*

Geſta hæc annis quatuor.

A. U. C.	J. C.		
DCCCVIII.	55.	*Coſſ.*	NERONE CLAUDIO Cæſare, L. ANTISTIO Vetere.
DCCCIX.	56.	*Coſſ.*	Q. VOLUSIO Saturnino, P. CORNELIO Scipione.
DCCCX.	57.	*Coſſ.*	NERONE CLAUDIO Cæſare II, L. CALPURNIO Piſone.
DCCCXI.	58.	*Coſſ.*	NERONE CLAUDIO Cæſare III, VALERIO MESSALA.

C. CORNELII
TACITI
ANNALES.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

PRIMA novo Principatu mors Junii Silani [1], proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ paratur : non quia ingenii violentiâ exitium inritaverat, ſegnis & dominationibus aliis [2] faſtiditus, adeò ut C. Cæſar *pecudem auream* [3] eum appellare ſolitus ſit: verùm Agrippina, fratri ejus L. Silano [4] necem molita, ultorem metuebat, crebrâ vulgi famâ, « anteponendum eſſe vix dum pueritiam egreſſo Neroni, & imperium per ſcelus adepto, virum ætate compoſitâ [5], inſontem, nobilem, &, quod tunc ſpectaretur [6], e Ceſarum

A. U. C. 807. J. C. 54.

[1] JUNII SILANI] Is eſt M. Junius Silanus, de quo Plinius VII, 13. *Divus Auguſtus in reliquâ exemplorum raritate, neptis ſuæ nepotem vidit genitum quo exceſſit anno, M. Silanum: qui cùm Aſiam obtineret poſt conſulatum, Neronis Principis ſucceſſione, veneno ejus interemptus eſt.* Vide Stemma Cæſarum, num. 57.

[2] DOMINATIONIBUS ALIIS] Tiberio, Caio & Claudio Principibus.

[3] PECUDEM AUREAM] Bis peccat Dio LIX. pag. 646, qui verba illa in laudem vertit; & de M. Silano, cujus mentio facta eſt ſuprà Annal. VI, 20, dicta fuiſſe ſcribit.

[4] FRATRI EJUS L. SILANO] De cujus fortunâ & fato dictum ſuprà Annal. XII, 3 & 8. Vide & Stemma Cæſarum, num. 60.

[5] ÆTATE COMPOSITA] M. Junius Silanus tunc erat annos quadraginta natus.

[6] QUOD TUNC SPECTARETUR] Quod tunc maximè ſpectabatur. Cæſarum enim poſteros venerabantur Romani. Neque verba illa, *e Cæſarum poſteris*, negligenda, vel omittenda, ut quibuſdam interpretibus placuit, exiſtimes,

A. U. C. 807. J. C. 54.

»poſteris». Quippe & Silanus divi Auguſti abnepos erat [1] : hæc cauſa necis : miniſtri fuere P. Celer, eques Romanus, & Helius libertus, rei familiari Principis in Aſiâ impoſiti. Ab his proconſuli venenum inter epulas datum eſt, apertiùs quàm ut fallerent. Nec minùs properatò Narciſſus, Claudii libertus, de cujus jurgiis adversùs Agrippinam retuli [2], aſperâ cuſtodiâ, & neceſſitate extremâ, ad mortem agitur; invito Principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam ac prodigentiam mirè congruebat.

II. Ibaturque in cædes, niſi Afranius Burrus, & Annæus Seneca obviam iſſent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, &, rarum in ſocietate potentiæ, concordes, diversâ arte ex æquo pollebant. Burrus militaribus curis, & ſeveritate morum; Seneca præceptis eloquentiæ, & comitate honeſtâ [3] : juvantes invicem, quò faciliùs lubricam Principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ, cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem [4] ; quo auctore, Claudius nuptiis inceſtis, & adoptione exitioſâ, ſemet perverterat. Sed neque Neroni infra ſervos ingenium [5] ; & Pallas triſti arrogantiâ modum liberti egreſſus, tædium ſuî moverat. Propalam tamen omnes

In iis enim plurimum ſenſûs. Silanus erat ex ipſis Auguſti poſteris: at Nero tantùm ex poſteris Octaviæ ſororis Auguſti. Vide Stemma Cæſarum, num. 57 & 35.

[1] Abnepos erat] Abnepos, ſi quidem nepos Juliæ neptis Auguſti. Vide Stemma Cæſarum, num. 57.

[2] Adversùs Agrippinam retuli] ſuprà Annal. XII, 65.

[3] Comitate honesta] Utrumque juventæ Neronis moderatorem egregiè expreſſit Cl. Racine, Préface de Britannicus : *Ils étoient fameux, Burrhus pour ſon expérience dans les armes, & pour la ſévérité de ſes mœurs ; Séneque pour ſon éloquence & le tour agréable de ſon eſprit.* Si quis verò quantus quantus ſit Tacitus, quàm ſenſibus validus, quàm fecundandis ingeniis locuples velit intelligere, hanc Cl. Racine tragœdiam, cui nomen fecit *Britannicus*, legat; quantúmque in veterum imitatione ſit emolumenti diſcat mirabundus. Ne quis tamen noſtram hac in re operam deſideret, quæ Cl. Racine a Tacito ſit mutuatus, diligentiùs perſequemur in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 2.

[4] In partibus Pallantem] Adulterum Pallantem partium ſuarum fautorem habebat. De inceſtis Agrippinæ nuptiis dictum Annal. XII, 1 & ſeqq. de exitioſâ Neronis adoptione Annal. XII, 25 & 26.

[5] Infra servos ingenium] Ferocius erat Neroni ingenium quàm ut ſervis parêret.

in eam

in eam honores cumulabantur, ſignumque more militiæ petenti tribuno dedit, *optimæ matris* [1]. Decreti & a ſenatu « duo » lictores, flaminium Claudiale [2] », ſimul Claudio « cenſorium » funus [3] », & mox « conſecratio [4] ». A. U. C. 807. J. C. 54.

III. Die funeris, laudationem ejus Princeps exorſus eſt. Dum « antiquitatem generis [5], conſulatus, ac triumphos [6] » majorum » enumerabat, intentus ipſe & ceteri. « Libera- » lium » quoque « artium [7] » commemoratio, « & nihil, re- » gente eo, reipublicæ triſte ab externis accidiſſe », pronis animis audita. Poſtquam ad « providentiam ſapientiamque » flexit, nemo riſui temperare [8], quamquam oratio a Senecâ compoſita, multum cultûs præferret: ut fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis ejus auribus accommodatum. Adnotabant ſeniores, quibus otioſum eſt vetera & præſentia contendere, « primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, Neronem » alienæ facundiæ eguiſſe ». Nam dictator Cæſar [9] ſummis oratoribus æmulus; & Auguſto prompta ac profluens [10], quæ

[1] Optimæ matris] Sueton. in Ner. IX. *Primo imperii die ſignum excubanti tribuno dedit, optimam matrem.* Signum vulgò dicimus *le mot du guet*. Vide infrà Hiſt. I, 38. & Supplement. Annal. VIII, 68.

[2] Flaminium Claudiale] Duo lictores ab ſenatu Agrippinæ decreti; & facta eſt Claudii Flaminica. Tiberius olim ne unum quidem lictorem Liviæ decerni paſſus erat. Alia tempora, alii mores. Et in adulationem ſemper effuſa ætas ſequens. Flamines Claudii paſſim memorantur in veteribus lapidibus.

[3] Censorium funus] De hoc funere dictum ſuprà Annal. IV, 15. not. 2.

[4] Consecratio] Quem vivum ſpreverant, veneno exanimatum conſecrabant. Proh divi! Multi exſtant nummi hujus conſecrationis teſtes.

[5] Antiquitatem generis] De quâ ſatis dictum Annal. XI, 24.

[6] Consulatus, ac triumphos] Suetonius in Tiber. I. numerat *duodetriginta conſulatus, dictaturas quinque, triumphos ſeptem, duas ovationes.* Regnatrice domo, accrevere honores.

[7] Liberalium quoque artium] Claudius in liberalibus artibus & doctrinis exercitatus. Tito Livio hortante, hiſtoriam Romanam a Cæſaris cæde libris XLIII ſcripſit: Græcas quoque compoſuit hiſtorias Τυῤῥηνικῶν viginti, Καρχηδονιακῶν octo, aliaque plurima, quæ recitat Suetonius in Claud. XLI & XLII.

[8] Risui temperare] Hebetis ignavique Principis providentiam ac ſapientiam ridebant.

[9] Dictator Cæsar] De Julii Cæſaris eloquentiâ multa & egregia habet Suetonius in Jul. LV. Ciceronem ipſum laudat de Cæſare ita ſcribentem: *Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt! Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior!*

[10] Augusto prompta ac profluens] Sueton. in Aug. LXXXVI. *Genus eloquendi ſecutus eſt elegans & temperatum: vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipſe dicit, fætoribus. Præcipuamque curam*

A. U. C. 807. J. C. 54.

deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat [1], quâ verba expenderet, tum validus ſenſibus, aut conſultò ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi [2] non corrupit. Nec in Claudio [3], quotiens meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis, vividum animum in alia detorſit. Cælare, pingere [4], cantus aut regimen equorum exercere: & aliquando carminibus pangendis, ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.

IV. Ceterum peractis triſtitiæ imitamentis, curiam ingreſſus, & « de auctoritate patrum, & conſenſu militum » præfatus, « conſilia ſibi & exempla capeſſendi egregiè imperii » memoravit: « nec juventam armis civilibus, aut domeſticis » diſcordiis imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupi» dinem ultionis adferre ». Tum formam futuri principatûs præſcripſit, ea maximè declinans, quorum recens [5] flagrabat invidia. « Non enim ſe negotiorum omnium judicem [6] fore,

duxit, ſenſum animi quàm apertiſſimè exprimere. Quod quò faciliùs efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpoſitiones verbis addere, neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent.

[1] Artem quoque callebat] Sueton. in Tiber. LXX. *Artes liberales utriuſque generis* oratorii & poetici *ſtudioſiſſimè coluit. In oratione latinâ ſecutus eſt Corvinum Meſſalam, quem ſenem adoleſcens obſervaverat. Sed affectatione & moroſitate nimiâ obſcurabat ſtylum: ut aliquantò ex tempore quàm a curâ præſtantior haberetur.* Tiberio *exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti* Auguſtum non perperciſſe teſtatur idem Suetonius in Aug. LXXXVI.

[2] Vim dicendi] Sueton. in Caio, LIII. *E diſciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promptus: utique ſi perorandum in aliquem eſſet, irato & verba & ſententiæ ſuppetebant: pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore conſiſteret, & exaudiretur a procul ſtantibus. Peroraturus ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur: lenius comptiuſque ſcribendi genus adeò contemnens, ut Senecam tum maximè placentem, commiſſiones meras componere, & arenam eſſe ſine calce diceret.*

[3] In Claudio] Quem neque infacundum, neque indoctum, immo etiam pertinaciter liberalibus ſtudiis deditum fuiſſe tradit Suetonius in Claud. XL. Hæc quidem de Cæſarum eloquentiâ collegiſſe haud piget, ut quàm valida ſit rebus exprimendis Taciti brevitas pateat.

[4] Cælare, pingere] De his leviuſculis diſciplinis, quæ vix nobilem juvenem, nedum Principem, decent, vide Suetonium in Ner. XX & LIII. Nec tamen gravioribus ſtudiis inhabilis erat Nero. *Sed a philoſophiâ eum mater avertit; monens, imperaturo contrariam eſſe: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quò diutiùs in admiratione ſuî detineret*, Sueton. in Ner. LII. Hæc quomodo & quâ utilitate verſibus reddiderit Cl. Racine, vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 3.

[5] Quorum recens] Imperitante Claudio.

[6] Negotiorum omnium judicem] Hæc, ceteraque peccaverat Claudius.

A. U. C. 807. J. C. 54.

»ut, clauſis unam intra domum [1] accuſatoribus & reis, pau»corum potentia graſſaretur. Nihil in penatibus ſuis venale, »aut ambitioni pervium: diſcretam domum & rempublicam [2]. »Teneret antiqua munia [3] ſenatus. Conſulum tribunalibus »Italia & publicæ provinciæ [4] adſiſterent. Illi patrum aditum »præberent: ſe mandatis exercitibus conſulturum».

V. Nec defuit fides. Multaque arbitrio ſenatûs conſtituta ſunt: « Ne quis ad cauſam orandam mercede aut donis eme»retur [5]. Ne deſignatis quidem quæſtoribus edendi gladiatores [6] »neceſſitas eſſet». Quod quidem, adverſante Agrippinâ, « tam»quam acta Claudii ſubverterentur », obtinuere patres: qui in palatium [7] ob id vocabantur, ut adſtaret abditis a tergo foribus velo diſcreta, quod viſum arceret, auditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum cauſam gentis apud Neronem orantibus, eſcendere ſuggeſtum [8] Imperatoris, & præſidere ſimul parabat; niſi, ceteris pavore defixis, Seneca

[1] Clausis unam intra domum] *Subornatis*, inquit Illuſtr. Huetius, *accuſatoribus ex eâdem domo, quâ rei.* Malim ita intelligere, non ſe negotiorum omnium judicem fore, ut, clauſis unam intra Principis domum accuſatoribus & reis, clamque cauſam perorantibus, omnia paucorum libertorum arbitrio permittantur, eorumque potentia graſſetur.

[2] Domum et rempublicam] Diſcreta fore quæ ad domum Principis, quæ ad rempublicam pertinerent.

[3] Teneret antiqua munia] Contrà verò *cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe* traxerat Claudius. Suprà Annal. XI, 5.

[4] Italia et publicæ provinciæ] Italia & provinciæ, quas Auguſtus populo Romano attribuerat (vide Notas & Emendationes ad Annal. I, 76.) tribunalibus conſulum aſſiſterent. Conſules patrum aditum præberent. Se tantùm ſibi commiſſis provinciis mandatiſque exercitibus conſulturum. Orationem illam ita acceptam habuit ſenatus, ut eam columnæ argenteæ inſcribendam, & quotannis, cùm conſules magiſtratum inirent, legendam decreverit, teſte Dione LXI. pag. 690. Si plura volueris de jure ſenatûs in Italiâ, vide Polybium VI. cap. 11.

[5] Mercede aut donis emeretur] Sub Claudii principatu nihil publicæ mercis tam venale fuerat, quàm oratorum perfidia. Vide ſuprà Annal. XI, 5, 6 & 7.

[6] Edendi gladiatores] De hac neceſſitate dictum ſuprà Annal. XI, 22. Eam revocavit Domitianus, Sueton. in Domit. IV.

[7] Qui in palatium] Patres in palatium vocabantur, ut Agrippina, dominationis avida, ipſa adſtaret, non quidem conſpicua, ſed velo, tapeteve, ita diſcreta, ut latitaret fores abditas, aut ſecretas, intra & velum, quod viſum arceret, auditum non adimeret. Quinetiam legatis Armeniorum cauſam orantibus, ſuggeſtum Imperatoris conſcendere, ſimulque præſidere parabat, niſi ceteris indignantibus, ſed pavore defixis, Seneca admonuiſſet Neronem, ut venienti matri occurreret.

[8] Escendere suggestum] Ita Mſſ. Flor. Farneſ. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus *aſcendere*. Utrumque æquè dicitur: illud antiquius.

A. U. C. 807. J. C. 54.

admonuiſſet, « venienti matri occurreret ». Ita ſpecie pietatis, obviam itum dedecori.

VI. Fine anni [1], turbidis rumoribus, « prorupiſſe rurſum »Parthos, & rapi Armeniam », allatum eſt, « pulſo Rha»damiſto [2] », qui ſæpe regni ejus potitus, dein profugus, tum quoque bellum deſeruerat. Igitur in Urbe ſermonum avidâ, « quemadmodum Princeps, vix ſeptemdecim annos »egreſſus, ſuſcipere eam molem, aut propulſare poſſet? quod »ſubſidium in eo, qui a femina regeretur? num prœlia quo»que & oppugnationes urbium, & cetera belli, per magiſtros »adminiſtrari poſſent », anquirebant. Contra alii, « meliùs »eveniſſe » diſſerunt, « quàm ſi invalidus ſenectâ & ignaviâ »Claudius, militiæ ad labores vocaretur, ſervilibus juſſis ob»temperaturus. Burrum tamen & Senecam multarum rerum »experientiâ cognitos: & Imperatori quantùm ad robur deeſſe [3]? »cùm octavodecimo ætatis anno Cn. Pompeius, nonodecimo [4] »Cæſar Octavianus, civilia bella ſuſtinuerint. Pleraque in ſum»mâ fortunâ auſpiciis & conſiliis, quàm telis [5] & manibus »geri. Daturum planè documentum, honeſtis, an ſecus amicis »uteretur, ſi ducem amotâ invidiâ egregium, quàm ſi pecu»nioſum & gratiâ ſubnixum per ambitum deligeret ».

VII. Hæc atque talia vulgantibus, Nero & « juventutem »proximas per provincias quæſitam ſupplendis Orientis legio»nibus admovere, legioneſque ipſas propiùs Armeniam col»locari » jubet. « Duoſque veteres reges Agrippam [6] & An-

[1] Fine anni] Verè quidem fine anni. Annos enim ſeptemdecim egreſſus eſt Nero XVIII. Kal. Januarias, ſeu die 15 Decembris.

[2] Pulso Rhadamisto] De illo dictum ſuprà Annal. XII, 48 & 51.

[3] Quantum ad robur deesse] Unus aut alter annus deerat. Nec in Principibus anni, ſed animus ſpectandus.

[4] Nonodecimo] Velleius Paterculus II, 61. *Caius Cæſar, decimum nonum annum ingreſſus, mira auſus, ac ſumma conſecutus, privato conſilio, majorem ſenatu pro republicâ animum habuit.* De Pompeio vide Stemma Cæſar. num. 7.

[5] Quam telis] Magis quàm telis. Genus dicendi Tacito & hiſtoricis familiare.

[6] Agrippam] Is eſt Agrippa II, de quo dictum ſuprà Annal. XII, 23. olim Chalcidis rex; tunc Philippi & Lyſaniæ tetrarchias potiebatur. Hoc quoque primo Neronis anno Agrippæ dominatio aucta eſt parte Galilææ, ſcilicet Tiberiade, Tarichæis, Juliade, urbe Perææ & vicis quatuordecim. Vide Joſephum, Antiq. Jud. XX, 8. & Stemma Herodum, num. 9. in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

A. U. C. 807. J. C. 54.

»tiochum [1] expedire copias, quîs Parthorum fines ultro in»trarent, ſimul pontes per amnem Euphraten jungi. Et mi»norem Armeniam Ariſtobulo [2], regionem Sophenen So»hemo [3] cum inſignibus regiis» mandat. Exortuſque in tempore æmulus Vologeſo [4], filius Vardanes. Et abſceſſere Armeniâ Parthi, tamquam differrent bellum.

VIII. Sed apud ſenatum omnia in majus celebrata ſunt, ſententiis eorum, qui «ſupplicationes [5], & diebus ſupplica»tionum veſtem Principi triumphalem, utque ovans Urbem »iniret, effigieſque ejus pari magnitudine ac Martis Ultoris [6], »eodem in templo», cenſuere: præter ſuetam adulationem læti, quòd Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuerat: videbaturque locus virtutibus patefactus [7]. Copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam, & legatum ejus Quadratum Ummidium [8], remaneret; par civium ſociorumque numerus Corbuloni eſſet, additis cohortibus aliſque, quæ apud Cappadociam hiemabant. Socii reges, prout bello conduceret, parêre juſſi. Sed ſtudia eorum in Corbulonem promptiora

[1] Antiochum] Regem Commagenæ, de quo plura diximus Annal. XII, 55.

[2] Aristobulo] Herodis, regis olim Chalcidis, filio. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 8. & de Bello Jud. II, 13. Vide loc. cit. Stemma Herodum, num. 27.

[3] Sophenen Sohemo] Sohemus idem prorſus mihi videtur, ac Sohemus, quem Joſephus Antiq. Jud. XX, 8. ait ſucceſſiſſe fratri ſuo Azizo, Emeſorum regi. Scilicet Sohemo, Iturææ rege, mortuo anno U. C. DCCCII, aut etiam paulo antè, Ituræa addita eſt provinciæ Syriæ, ut dictum eſt Annal. XII, 23. Datum verò Azizo, Sohemi filio, Emeſorum regnum. Azizo defuncto anno U. C. DCCCVII, ſucceſſit Sohemus frater. At Nero, ut adversùs irruentes Parthos Armeniam certiùs defenderet, Armeniam minorem Ariſtobulo dedit; Sohemo Sophenen, quæ pars eſt Armeniæ majoris occidua, & Armeniæ minori finitima: urbs ejus princeps erat Carcathiocerta. Vide loc. cit. Stemmata Herodum & Sohemorum, num. 13. 5 & 6.

[4] Vologeso] Veteres, ut videtur, dixere *Vologeſes*, *Vologeſi*, *Vologeſo*, *Vologeſen*. De Vologeſo ſæpe dictum libro priore. Vide & Canonem regum Parthorum in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 1.

[5] Supplicationes] Vide Annal. II, 32.

[6] Martis Ultoris] Cujus ædes erat in VIII Urbis regione, & foro Auguſti.

[7] Locus virtutibus patefactus] Multarum virtutum, nec veteribus imperatoribus impar fuit Corbulo. Non modò ſupplices reges, regumque liberos obſides Romam miſit: at naturæ ſolers indagator omnes illas regiones anxiâ curâ perquiſivit, & Romanis notas fecit. Vide Plinium II, 70, V, 24. VI, 8.

[8] Quadratum Ummidium] Præſidem Syriæ, de quo dictum Annal. XII, 45.

A. U. C. 807. J. C. 54.

erant : qui, ut famæ inſerviret, quæ in novis cœptis validiſſima eſt, itinere properè confecto, apud Ægæas [1], civitatem Ciliciæ, obvium Quadratum habuit, illuc progreſſum, ne, ſi ad accipiendas copias Syriam intraviſſet Corbulo, omnium ora in ſe verteret, corpore ingens, verbis magnificus, & ſuper experientiam ſapientiamque, etiam ſpecie inanium validus [2].

IX. Ceterùm uterque Vologeſen regem nuntiis monebant, « pacem quàm bellum mallet; datiſque obſidibus, ſolitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret ». Et Vologeſes, quò bellum ex commodo pararet, an ut æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoveret, tradit nobiliſſimos ex familiâ Arſacidarum. Accepitque eos centurio Hiſterius, ab Ummidio miſſus fortè prior, eâ de causâ adito rege. Quod poſtquam Corbuloni cognitum eſt; « ire » præfectum cohortis Arrium Varum, « & reciperare obſides » jubet. Hinc ortum inter præfectum & centurionem jurgium, ne diutiùs externis ſpectaculo eſſet, arbitrium rei obſidibus legatiſque, qui eos ducebant, permiſſum. Atque illi ob recentem gloriam, & inclinatione quadam etiam hoſtium, Corbulonem prætulere. Unde diſcordia inter duces : querente Ummidio, « prærepta, quæ ſuis conſiliis patraviſſet » ; teſtante contrà Corbulone, « non priùs converſum regem ad offerendos obſides, quàm ipſe dux bello delectus, ſpes ejus ad metum mutaret ». Nero, quò componeret diverſos, ſic evulgari juſſit : « Ob res a Quadrato & Corbulone proſpere geſtas, laurum faſcibus Imperatoriis [3] addi ». Quæ in alios conſules egreſſa, conjunxi.

X. Eodem anno Cæſar « effigiem Cn. Domitio [4] patri,

[1] Apud Ægæas] Ægææ, quæ plurimis Ægæ dicuntur, urbs maritima Ciliciæ campeſtris, nunc *Aiaskala*.

[2] Specie inanium validus] Egregiè dictum. Non modò experientiâ & ſapientiâ, ſed etiam ludicrarum & inanium rerum ſpecie præcellebat Corbulo. Aliqua inanium ſpecies ſummos viros decet : placet populo : probos oblectat : moroſis levem dat criminandi materiem.

[3] Laurum faſcibus Imperatoriis] Olim Auguſto dictatura & vigintiquatuor faſces decreti, Dio LIV. pag. 521. Poſtea conſularem, dum viveret, poteſtatem, & duodecim faſces accepit, Dio LIV. pag. 527. Ob victoriam lauro ornatos faſces paſſim memorant ſcriptores. Vide Plin. XV, 30.

[4] Cn. Domitio] Domitius, Ne-

A. U. C. 807. J. C. 54.

» conſularia inſignia Aſconio Labeoni » , quo tutore uſus erat petivit a ſenatu : ſibique « ſtatuas argento vel auro ſolidas » , adversùs offerentes prohibuit. Et quamquam cenſuiſſent pa- » tres, ut principium anni inciperet menſe Decembri » , quo ortus erat Nero, veterem religionem Calendarum Januariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti ſunt inter reos Carinas Celer, ſenator, ſervo accuſante ; aut Julius Denſus, equeſter, cui favor in Britannicum crimini dabatur.

A. U. C. 808. J. C. 55.

XI. Claudio Nerone, L. Antiſtio conſulibus [1], cùm in acta Principum jurarent magiſtratus, « in ſua acta [2] collegam » Antiſtium jurare » prohibuit : magnis patrum laudibus, ut juvenilis animus, levium quoque rerum gloriâ ſublatus, majores continuaret [3]. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum [4], quem ob adulterium Meſſalinæ ordine remotum, reddidit ſenatui, « clementiam ſuam [5] » obſtringens crebris orationibus ; quas Seneca, teſtificando quàm honeſta præciperet, vel jactandi ingenii [6], voce Principis vulgabat.

XII. Ceterùm infracta paullatim potentia matris, delapſo Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum *Acte* [7] fuit : ſimul adſumptis in conſcientiam Othone & Claudio Senecione, adoleſcentulis decoris : quorum Otho, familiâ conſulari [8], Se-

ronis pater. De hoc deteſtabili homine dictum in Stemmate Cæſarum, num. 34.

[1] L. Antistio consulibus] Nero Claudius Auguſtus & L. Antiſtius Vetus conſulatum iniere anno Urbis conditæ DCCCVIII. Jeſu Chriſti 55.

[2] In sua acta] Ceteri magiſtratus in Neronis priorumque Cæſarum acta juravêre : Antiſtius, conſulatûs collega, non in Principis, ſed in priorum Cæſarum acta juravit. De hoc uſu dictum Annal. I, 7. In vetere figlinâ apud Muratori, Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. CCCV.

NERO. CLAVD. CAES
L. ANT. VETVS. COS

[3] Majores continuaret] Ad res majores adſpiraret. At anceps & lubricum laudum genus. Optimos animos inflammant : bonos deterunt : malos peſſumdant.

[4] Plautium Lateranum] Quem inter Meſſalinæ adulteria annumeratum vidimus, Annal. XI, 30.

[5] Clementiam suam] Ideo Seneca ſub finem hujus anni, aut initio ſequentis, duos libros *de Clementiâ* ſcripſit. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 11.

[6] Vel jactandi ingenii] Intellige, *causâ.*

[7] Cui vocabulum Acte] Quam, ex Aſiâ emptam, ita deperiit Nero, ut in familiam Attali referret ; & cùm vellet illi nubere, ſubmiſit viros conſulares *qui regio genere ortam pejerarent*, Sueton. in Ner. XXVIII. Dio LXI. pag. *692.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 12.

[8] Otho familia consulari] Otho poſtea Imperator, de quo plura infrà Hiſt. I & II.

A. U. C. 808. J. C. 55.

necio, liberto Cæſaris[1] patre genitus, ignarâ matre, dein fruſtra obnitente, penitus inrepſerant per luxum & ambigua ſecreta: ne ſeverioribus quidem Principis amicis adverſantibus, mulierculâ, nullâ cujuſquam injuriâ, cupidines Principis explente: quando uxore ab Octaviâ, nobili quidem & probitatis ſpectatæ, fato quodam, an quia prævalent inlicita[2], abhorrebat: metuebaturque ne in ſtupra feminarum inluſtrium prorumperet, ſi illâ libidine prohiberetur.

XIII. Sed Agrippina « libertam æmulam, nurum ancil- »lam[3] », aliaque eumdem in modum muliebriter fremere. Neque pænitentiam filii, aut ſatietatem opperiri: quantóque fœdiora exprobrabat, acriùs accendere: donec vi amoris ſubactus, exueret obſequium in matrem, ſeque Senecæ[4] permitteret. Ex cujus familiaribus Annæus Serenus[5], ſimulatione amoris adversùs eamdem libertam, primas adoleſcentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut quæ Princeps furtim muliercula tribuebat, ille palam largiretur. Tum Agrippina, verſis artibus, per blandimenta juvenem adgredi, « ſuum »potiùs cubiculum ac ſinum » offerre « contegendis, quæ »prima ætas, & ſumma fortuna expeterent ». Quin & fatebatur « intempeſtivam ſeveritatem »[6], & ſuarum opum[7] quæ haud procul Imperatoriis aberant, copias tradebat: ut

[1] Liberto Cæsaris] Liberto Claudii Cæſaris.

[2] Prævalent inlicita] Fortè & artibus Agrippinæ, quæ priorem paremve verebatur.

[3] Nurum ancillam] Agrippina fremere libertam eſſe æmulam, ancillam fieri nurum. Bene & Cornelianâ brevitate. Sunt qui *nurum* de Octaviâ intelligant. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 13.

[4] Seque Senecæ] Quàm ergo a ſcriptis diſcrepabant Senecæ conſilia! Proh philoſophiæ probra!

[5] Annæus Serenus] De quo Plinius XXII, 23. Fungi *familias nuper interemêre, & tota convivia, Annæum Serenum, præfectum Neronis vigilum, & tribunos, centurioneſque. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?* Sereno, ſibi amiciſſimo, librum *de Tranquillitate animi* inſcripſit Seneca. Quantùm verò mortem ejus doluerit teſtis eſt epiſtola LXIII. *Annæum Serenum, cariſſimum mihi, tam immodicè flevi, ut (quod minimè velim) inter exempla ſim eorum quos dolor vicit. Hodie tamen factum meum damno, & intelligo maximam mihi cauſam ſic lugendi fuiſſe, quod nunquam cogitaveram, mori eum ante me poſſe. Hoc unum mihi occurrebat, minorem eſſe, & multò minorem: tamquam ordinem fata ſervarent.*

[6] Intempestivam severitatem] Fatebatur Agrippina ſe adversùs Neronem intempeſtivè ſeveram fuiſſe.

[7] Suarum opum] Omnes Claudiorum opes, Imperatoriis haud valdè impares, potiebatur Agrippina.

nimia

nimia nuper coërcendo filio, ita rurſum intemperanter demiſſa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, & proximi amicorum metuebant, orabantque « cavere inſidias mulieris ſem»per atrocis, tum & falſæ ». Fortè illis diebus Cæſar, inſpecto ornatu, quo Principum [1] conjuges ac parentes effulſerant, deligit veſtem & gemmas, miſitque donum matri: nullâ parcimoniâ [2], cùm præcipua & cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina « non his inſtrui cultus ſuos, ſed ceteris »arceri » proclamat, « & dividere filium, quæ cuncta ex ipsâ »haberet ». Nec defuere qui in deterius referrent.

A. U. C. 808. J. C. 55.

XIV. Et Nero, infenſus iis, quibus ſuperbia muliebris [3] innitebatur, demovet Pallantem curâ rerum [4], quîs a Claudio impoſitus, velut arbitrum regni agebat. Ferebaturque, degrediente eo, magnâ proſequentium multitudine, non abſurdè dixiſſe: « Ire Pallantem, ut ejuraret [5] ». Sanè pepigerat Pallas, « ne cujus facti in præteritum interrogaretur, pareſque ra»tiones [6] cum republicâ haberet ». Præceps poſt hæc Agrippina, ruere in terrorem & minas, neque Principis auribus abſtinere, quominus teſtaretur, « adultum jam eſſe Britan»nicum, veram dignamque ſtirpem ſuſcipiendo patris im»perio, quod inſitus & adoptivus, per injurias matris exer»ceret. Non abnuere ſe, quin cuncta infelicis domûs mala »patefierent, ſuæ in primis nuptiæ [7], ſuum veneficium. Id ſolum

[1] Principum] Priorum Principum Auguſti, Tiberii, Caii, Claudii, conjuges ac parentes, quarum ſupellex inter Imperatorias gazas adſervabatur.

[2] Nulla parcimonia] Hæc matri ſuæ elargiebatur Nero nullâ parcimoniâ, tantóque ampliore liberalitate, quòd ipſe prior, nec rogatus, res præcipuas & aliis Principum conjugibus parentibuſve ſummè cupitas deferret. At proclamat Agrippina cultus ſuos his donis non inſtrui, ſed ſe per hanc ipſam liberalitatem ceteris Imperatoriis theſauris arceri, & filium matrem inter & pellices dividere, quæ ex ipſâ haberet.

[3] Superbia muliebris] Superbia Agrippinæ.

[4] Cura rerum] A rationibus erat Pallas, Sueton. in Claud. XXVIII. At poſt inceſtas Agrippinæ & Claudii nuptias fuit velut regni arbiter; cunctaque ejus imperio actitata.

[5] Ut ejuraret] Non inſulsè dixit Nero ire Pallantem, ut regni imperium ejuraret, eoque ſe abdicaret.

[6] Pareſque rationes] Ut, nullis adminiſtratæ rei nummariæ rationibus redditis, pares tamen cum republicâ tum accepti, tum expenſi, rationes haberet.

[7] Suæ in primis nuptiæ] Inceſtæ nuptiæ, de quibus dictum Annal. XII, 5, 6 & 7. Veneficium, quo interemptus eſt Claudius, Annal. XII, 66 & 67.

A. U. C. 808. J. C. 55.

» diis & ſibi proviſum, quòd viveret privignus [1]. Ituram cum » illo in caſtra. Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis » rurſus Burrus [2] & exſul Seneca, truncâ ſcilicet manu [3], & » profeſſoriâ linguâ, generis humani regimen expoſtulantes ». Simul intendere manus, aggerere probra : « conſecratum Clau» dium, infernos Silanorum manes [4] » invocare, « & tot inrita » facinora ».

XV. Turbatus his Nero, & propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare ſecum, modò matris violentiam, modò ipſius indolem, ut quidem experimento [5] nuper cognitam, quo tamen favorem latè quæſiviſſet. Feſtis Saturno diebus [6] inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium [7], evenerat ea ſors Neroni.

[1] Privignus] Britannicus.

[2] Inde debilis rursus Burrus] *Rurſus* redundare videtur. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 14.

[3] Trunca scilicet manu] Hinc audiretur Germanici filia, quæ Britannici jura repeteret : inde verò ignavus Burrus & exſul Seneca, ille truncâ manu, hic profeſſoriâ linguâ, generis humani regimen expoſtulantes. Burrus *truncâ manu* eſſe dicitur ob umbraticam ignavamque militiam ; alludit Agrippina ad imbelles illos cives, qui *causâ detrectandi ſacramenti, pollices* ſibi amputabant, Sueton. in Auguſt. XXIV. Unde, quod ad gentis noſtræ gloriam & incitamentum haud ſiluerim, teſte Ammiano Marcellino XV, 12, *Ad militandum omnis* Gallorum *ætas aptiſſima : & pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus & labore adſiduo, multa contempturus & formidanda : nec eorum aliquando quiſquam, ut in Italiâ, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit, quos localiter Murcos appellant.*

[4] Silanorum manes] Lucii & Junii Silanorum, de quibus dictum ſuprà cap. 1.

[5] Ut quidem experimento] Fortè *levi quidem experimento.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII. 15.

[6] Festis Saturno diebus] Ex his verbis totum iſtius narrationis ordinem, paucis deprehenſum, accipimus. Nero Imperium ſuſceperat anno priore, tertium ante idus Octobris, ſeu 13 Octobr. Annal. XII, 69. Sub finem menſis, per totum Novembrem, ac fortè Decembris initio, ea optimi Principis indicia edidit, de quibus ſupra Annal. XIII, 4 & 5. Circa medium Decembrem in amorem Actes, libertæ, delapſus eſt. Annal. XIII, 12. Hoc audito, infremit Agrippina. Saturnalia cœpere XVI. Kal. Januarii, ſeu 17 Decembris, & per quinque dies actitata; tunc generoſum, ſed fatale carmen, de quo Annal. XIII, 15, cecinit Britannicus. Propinquus erat dies, quo quartumdecimum ætatis annum explebat : natus enim erat pridie Idus Februarias, anno U. C. DCCXCIV. Sueton. in Claud. XXVII. Cœpto anno U. C. DCCCVIII, atrocior in dies Agrippina, odioſior videbatur Britannicus. Nero, matrem veritus, Britannicum exoſus, eum veneno interemit menſe Januario, vel Februario, cùm nondum quartumdecimum ætatis annum expleverat.

[7] Regnum lusu sortientium] Sortiebantur talis. Sic Horatius I. Od. IV, 18.

Nec regna vini ſortiere talis.

Hæc regna a Saturno data, & ridicula imperia, γελοῖα ἐπιτάγματα, quæ a rege injungebantur, merito irridet Lucianus Saturnal. IV. Tom. III. pag. 387 & 388.

A. U. C. 808. J. C. 55.

Igitur ceteris diverſa, nec ruborem allatura: ubi Britannico juſſit, « exſurgeret, progreſſuſque in medium cantum aliquem »inciperet», inriſum ex eo ſperans pueri, ſobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis; ille conſtanter exorſus eſt carmen [1], quo « evolutum eum ſede patriâ rebuſque »ſummis», ſignificabatur. Unde orta miſeratio manifeſtior, quia diſſimulationem nox & laſcivia [2] exemerat. Nero, intellectâ invidiâ, odium intendit. Urgentibuſque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur; « pararique venenum» jubet, miniſtro Pollione Julio, prætoriæ cohortis tribuno, cujus curâ attinebatur [3] damnata veneficii, nomine *Locuſta* [4], multâ ſcelerum famâ. Nam ut proximus quiſque Britannico neque fas, neque fidem penſi haberet, olim proviſum erat. Primum venenum ab ipſis educatoribus accepit, tranſmiſitque, exſolutâ alvo, parum validum, ſive temperamentum inerat, ne ſtatim ſæviret. Sed Nero, lenti ſceleris impatiens, minitari tribuno, jubere « ſupplicium veneficæ, quòd, dum rumorem reſpiciunt, dum parant defenſiones, ſecuritatem morarentur». Promittentibus dein « tam præcipitem necem, quàm ſi ferro »urgeretur», cubiculum Cæſaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum.

XVI. Mos habebatur, Principum liberos, cum ceteris idem ætatis nobilibus, ſedentes veſci [5] in aſpectu propinquorum, propriâ & parciore menſâ. Illic epulante Britannico,

[1] Exorsus est carmen] Ennii interpretes divinant Britannicum ex Andromachâ Ennii ceciniſſe:

O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altiſono cardine templum:
Vidi ego te, adſtante ope barbaricâ,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore, inſtructum regificè.
Hæc omnia vidi inflammari.

[2] Et lascivia] Saturnalium & luſûs laſcivia.

[3] Attinebatur] Nempe cuſtodiæ appoſitus fuerat tribunus, ut jam ſuprà vidimus Annal. I, 6.

[4] Nomine Locusta] Vetus Scholiaſtes Juvenalis Satyr. I, 71. ait *Locuſtam ex Galliis matronam veneficam* a Nerone accitam fuiſſe, *quoniam magnæ famæ erat:* & Principi ita acceptam, *ut etiam eum doceret venena miſcere.*

[5] Sedentes vesci] Malè *cubantes* exhibet Suetonius in Tit. II. Ipſo teſte in Aug. LXVII. Auguſtus *neque cenavit unà* cum nepotibus, *niſi ut in imo lecto adſiderent.* Feminas quoque *cum cubantibus viris ſedentes* olim cenitaſſe docet Valerius Maximus II, 1. num. 2.

A. U. C. 808. J. C. 55.

quia cibos potuſque ejus delectus ex miniſtris guſtu explorabat [1], ne omitteretur inſtitutum, aut utriuſque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc, ac præcalida, & libata guſtu potio traditur Britannico. Dein, poſtquam fervore aſpernabatur, frigidâ in aquâ adfunditur venenum; quod ita cunctos ejus artus pervaſit, ut vox pariter & ſpiritus raperentur. Trepidatur a circumſedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, reſiſtunt defixi, & Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis, & neſcio ſimilis, « ſolitum ita », ait, « per comitialem morbum, quo » primùm ab infantiâ adflictaretur Britannicus, & redituros » paullatim viſus ſenſuſque ». At Agrippinæ is pavor, ea conſternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuiſſe [2], ac ſororem Britannici Octaviam, conſtiterit: quippe ſibi ſupremum auxilium ereptum, & parricidii exemplum intelligebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnes affectus abſcondere didicerat. Ita poſt breve ſilentium, repetita convivii lætitia.

XVII. Nox eadem [3] necem Britannici & rogum conjunxit, proviſo antè funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen Martis ſepultus eſt [4], adeò turbidis imbribus, ut vulgus iram deûm portendi crediderit adversùs facinus, cui plerique etiam hominum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias, & inſociabile regnum æſtimantes. Tradunt plerique eorum temporum ſcriptores, « crebris ante exitium diebus,

[1] Gustu explorabat] De his prægustatoribus dictum ſuprà Annal. XII. 66.

[2] Ignaram fuisse] Gnaram reamque facit acrior, quàm verior, Juvenalis Satyr. VI, 32.

Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum,
Privigno datum.

[3] Nox eadem] Inde ſuſpecta mihi videntur, quæ habet Dio LXI. pag. 692. Britannici vultum fuiſſe veneno lividum: Neronem, ut id celaret, eum gypſo oblini curaviſſe: at, cùm funus per forum efferretur, tantam imbrium vim decidiſſe, ut gypſum, adhuc humidum, penitus ablutum fuerit: tum ſcelus, famâ jam vulgatum, omnium oculis patuiſſe.

[4] Sepultus est] Ut Germanici, Annal. III, 4, ſic Britannici reliquiæ illatæ fuiſſe videntur tumulo Auguſti, qui erat in campo Martis, ubi nunc palatium & horti Marchionis *Correa*. Manent adhuc rudera, quæ tribus tabulis exhibet Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. II. Tab. LXI, LXII & LXIII.

inluſum iſſe [1] pueritiæ Britannici Neronem : ut jam non præmatura, neque ſæva mors videri queat, quamvis inter ſacra menſæ, ne tempore quidem ad complexum ſorori dato, ante oculos inimici properata ſit, in illum ſupremum Claudiorum ſanguinem, ſtupro priùs, quàm veneno, pollutum. Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id a majoribus inſtitutum referens, « ſubtrahere oculis acerba funera [2], neque laudationibus, aut pompâ detinere. Ceterùm & ſibi amiſſo fratris auxilio, reliquas ſpes in republicâ ſitas : & tantò magis fovendum patribus populoque Principem, qui unus ſupereſſet e familiâ, ſummum ad faſtigium genitâ ». Exin largitione potiſſimos amicorum auxit.

A. U. C. 808. J. C. 55.

XVIII. Nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adſeverantes [3], « quòd domos, villas [4], id temporis, quaſi prædam diviſiſſent ». Alii neceſſitatem adhibitam credebant a Principe, ſceleris ſibi conſcio, & veniam ſperante, ſi largitionibus validiſſimum quemque obſtrinxiſſet. At matris ira nullâ munificentiâ leniri ; ſed amplecti Octaviam, crebra cum amicis ſecreta habere ; ſuper ingenitam avaritiam, undique pecunias, quaſi in ſubſidium, corripiens, tribunos & centuriones comiter excipere : nomina & virtutes nobilium, qui etiam tum ſupererant, in honore habere ; quaſi quæreret ducem & partes. Cognitum id Neroni, « excubiaſque militares », quæ, ut conjugi Imperatoris ſolitum, & matri ſervabantur, « & Germanos [5] » ſuper eumdem honorem cuſtodes additos « degredi » jubet. Ac ne cœtu ſalutantium frequentaretur, ſeparat domum, matremque transfert in eam, quæ Antoniæ [6]

[1] Inlusum isse] Neronem ſtupro illuſiſſe pueritiæ Britannici. Poſt tantam contumeliam nec præmatura, nec ſæva videri poteſt mors Britannici : immo læta potiùs, quòd ad id dedecus haud ultrà pateret.

[2] Acerba funera] Nempe immatura. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 17.

[3] Gravitatem adseverantes] Burrum maximè ac Senecam juventæ Neronis rectores, graves prudenteſque viros, ſed adversùs fortunam invalidos.

[4] Domos, villas] Britannici.

[5] Et Germanos] Jampridem Principum cuſtodes, ſuprà Annal. I, 24. Hiſpanorum cuſtodias olim adhibuerat Julius Cæſar, Sueton. in Jul. LXXXVI.

[6] Antoniæ] Antoniæ majoris, ut videtur, Neronis aviæ. Alia erat Antonia minor, avia Agrippinæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 32 & 42. Do-

A. U. C. 808. J. C. 55.

fuerat: quotiens ipſe illuc ventitaret, ſeptus turbâ centurionum, & poſt breve oſculum digrediens.

XIX. Nihil rerum mortalium tam inſtabile ac fluxum eſt, quàm fama potentiæ, non ſuâ vi nixæ. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo ſolari, nemo adire, præter paucas feminas, amore an odio, incertum. Ex quibus erat Junia Silana [1], quam matrimonio C. Silii a Meſſalinâ depulſam, ſuprà retuli [2], inſignis genere, formâ, laſciviâ, & Agrippinæ diu percara: mox occultis inter eas offenſionibus, quia Sextium Africanum [3], nobilem juvenem, a nuptiis Silanæ deterruerat Agrippina, « impudicam & vergentem annis » dictitans; non ut Africanum ſibi ſeponeret, ſed ne opibus & orbitate Silanæ maritus potiretur. Illa, ſpe ultionis oblatâ, parat accuſatores ex clientibus ſuis, Iturium & Calviſium, non vetera, & ſæpius jam audita deferens, « quòd Britan- » nici mortem lugeret », aut « Octaviæ injurias evulgaret »: ſed « deſtinaviſſe eam, Rubellium Plautum [4], per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Auguſto, ad res novas extollere; conjugioque ejus potiri, ac rempublicam rurſus invadere »: hæc Iturius & Calviſius Atimeto, Domitiæ [5], Neronis amitæ, liberto, aperiunt. Qui lætus oblatis (quippe inter Agrippinam & Domitiam infenſa æmulatio exercebatur) Paridem hiſtriónem, libertum & ipſum Domitiæ, impulit « ire » properè, crimenque atrociter deferre ».

XX. Provecta nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur; cùm ingreditur Paris, ſolitus alioquin id temporis luſus Principis intendere. Sed tunc compoſitus ad mæſ-

mus illa Antoniæ fortè fuit in parte palatii, ut conjicere licet ex Valerio Maximo IV, 3. num. 3.

[1] Junia Silana] Juxta Lipſium ſoror erat M. Junii Silani, qui memoratur in Stemmate Cæſarum, num. 57. At cùm nulla ſit hujus conſanguinitatis mentio in Scriptoribus, divinari non debet. Alii plurimi fuere Junii Silani, ex quibus naſci potuit.

[2] Supra retuli] Annal. XI, 12.

[3] Sextium Africanum] Opinatur Lipſius hunc Sextium nepotem eſſe Juli Antonii, de quo dictum eſt in Stemmate Cæſarum, num. 29. At divinatio eſt. Nec probari poteſt. De Africano adhuc infrà Annal. XIV, 46.

[4] Rubellium Plautum] Rubellii Blandi & Juliæ, Tiberii neptis, filium. Vide Stemma Cæſarum, num. 76.

[5] Domitiæ] De illâ vide Stemma Cæſarum, num. 40.

A.U.C. 808. J.C. 55.

titiam, expoſitoque indicii ordine, ita audientem exterret, ut non tantùm matrem Plautumque interficere, ſed Burrum etiam demovere præfecturâ deſtinaret, tamquam Agrippinæ gratiâ provectum, & vicem reddentem. Fabius Ruſticus [1] auctor eſt, « ſcriptos eſſe ad Cæcinam Tuſcum codicillos, mandatâ ei prætoriarum cohortium curâ : ſed ope Senecæ dignationem Burro retentam ». Plinius [2] & Cluvius [3] nihil dubitatum de fide præfecti referunt : ſanè Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitiâ floruit. Nos conſenſum auctorum ſecuti, quæ diverſa prodiderint, ſub nominibus ipſorum trademus [4]. Nero trepidus, & interficiendæ matris avidus, non priùs differri potuit, quàm Burrus necem ejus promitteret, ſi facinoris coargueretur : « Sed cuicumque, nedum parenti, defenſionem tribuendam : nec accuſatores adeſſe, ſed vocem unius ex inimicâ domo adferri. Refutare tenebras [5], & vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati & inſcitiæ propiora ».

XXI. Sic lenito Principis metu, & luce ortâ, itur ad Agrippinam, ut noſceret objecta, diſſolveretque, vel pœnâ lueret. Burrus iis mandatis, Senecâ coram, fungebatur. Aderant & ex libertis, arbitri ſermonis. Deinde a Burro, poſtquam crimina & auctores expoſuit, minaciter actum. Agrippina, ferociæ memor, « Non miror », inquit, « Silanam numquam edito partu, matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi, quàm ab impudicâ adulteri, mutantur. Nec, ſi Iturius & Calviſius, adeſis omnibus fortunis, noviſſimam ſuſcipiendæ accuſationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii, aut Cæſari conſcientia ſubeunda eſt. Nam Domitiæ inimicitiis gratias

[1] Fabius Rusticus] Eloquentiſſimus rerum recentium auctor dicitur, in Vit. Agric. X.

[2] Plinius] Non modò naturæ, ſed ſuorum etiam temporum hiſtoriam ſcripſerat. Vide præfationem Hiſt. nat.

[3] Cluvius] Vir conſularis, poeta & hiſtoricus nobilis. De illo Suetonius in Ner. XXI. Laudatur adhuc infrà Hiſt. IV, 43.

[4] Trademus] Mallem *tradimus*.

[5] Refutare tenebras] Tenebras, & noctem convivio vigilatam, omniaque temeritati & inſcitiæ propiora accuſationem refutare. Id enim temporis delegiſſe accuſatores, ne a ſobriis & vigilantibus falſitas agnoſceretur, ut rectè explicat Illuſtr. Huetius.

A. U.C. 808. J. C. 55.

»agerem, ſi benevolentiâ mecum in Neronem meum certaret. »Nunc per concubinum Atimetum, & hiſtrionem Paridem, »quaſi ſcenæ fabulas componit. Baiarum ſuarum piſcinas [1] ex»tollebat, cùm meis conſiliis adoptio, & proconſulare jus, »& deſignatio conſulatûs, & cetera adipiſcendo imperio præ»pararentur. Aut exſiſtat, qui cohortes in Urbe tentatas, qui »provinciarum fidem labefactatam, denique ſervos, vel libertos, »ad ſcelus corruptos arguat. Vivere ego, Britannico potiente »rerum, poteram: at ſi Plautus [2], aut quis alius, rempublicam »judicaturus obtinuerit, deſunt ſcilicet mihi accuſatores, qui »non verba, impatientiâ caritatis aliquando incauta, ſed ea »crimina objiciant, quibus, niſi a filio, abſolvi non poſſim». Commotis qui aderant, ultroque ſpiritus ejus mitigantibus, « colloquium filii » expoſcit: ubi nihil pro innocentiâ, quaſi diffideret; nec beneficiis, quaſi exprobraret, diſſeruit; ſed ultionem in delatores, & præmia amicis obtinuit.

XXII. Præfectura annonæ [3] Fenio Rufo, cura ludorum, qui a Cæſare parabantur, Arruntio Stellæ; Ægyptus C. Balbillo permittuntur [4]. Syria P. Anteio deſtinata: & variis

[1] Baiarum suarum piscinas] Baiæ, nunc *Caſtello di Baia*, in Campaniâ, ſinuque Puteolano. Ibi ſplendidiſſimæ Romanorum villæ, piſcinæ plurimæ, quarum de granditate queritur Plinius XVIII, 2. *Bina tunc jugera populo Romano ſatis erant, nullique majorem modum attribuit* Romulus: *quo ſervos Neronis, contemptis hujus ſpatii viridariis, piſcinas juvat habere majores: gratumque, ſi non aliquem & culinas.* In iis piſcinis muræнas maximè habuere Romani, ſed tantâ inſaniâ, ut de ipſo Hortenſio, oratore, familiari ſuo, narret Varro de Re Ruſtic. III, 17. non minorem curam ejus fuiſſe *de ægrotis piſcibus, quàm de minùs valentibus ſervis. Itaque minùs laborabat, ne ſervus æger, quàm aquam frigidam biberent ſui piſces.* Vedium Pollionem muræнas ſuas humano ſanguine ſaginaſſe horrentes diximus in Notis ad Annal. XII, 60. Ut moribus, ita quoque voluptatibus melior *Antonia Druſi*, quæ *murænæ, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam nonnulli Baulos*, haud procul Baiis, *videre concupiverunt*, Plin. IX, 55. Verbum *extollebat* jam ita acceptum vidimus Annal. XI, 1. Quantis impendiis piſcinas extollerent Romani diſce ex Plinio IX, 54.

[2] Si Plautus] Rubellius Plautus, de quo dictum cap. 19.

[3] Præfectura annonæ] Præfecti annonæ erat curare ne quis annonam publicam fraudaret, eamve cariorem aut viliorem faceret. Vide Ulpianum, Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 12. de lege Juliâ de Annonâ.

[4] C. Balbillo permittuntur] Ob Agrippinæ amicitiam. C. Balbillus, fuit teſte Senecâ Quæſt. Natur. IV, 2. *virorum optimus, in omni litterarum genere rariſſimus.* Citiſſimum ejus in Ægyptum adventum celebrat Plinius XIX. in præf. *Quod miraculum majus, herbam, linum ex quo vela conficiuntur, eſſe quæ admoveat Ægyptum Italiæ: in tantum, ut*

mox

A. U. C. 808. J. C. 55.

mox artibus eluſus, ad poſtremum in Urbe retentus eſt. At Silana in exſilium acta. Calviſius quoque & Iturius relegantur [1]. De Atimeto ſupplicium ſumptum, validiore apud libidines Principis Paride [2], quàm ut pœnâ afficeretur. Plautus ad præſens [3] ſilentio tranſmiſſus eſt.

XXIII. Deferuntur dehinc « conſenſiſſe Pallas, ac »Burrus, ut Cornelius Sulla [4] claritudine generis, & adſi»nitate Claudii», cui per nuptias Antoniæ [5], gener erat, « ad imperium vocaretur ». Ejus accuſationis auctor exſtitit Pætus quidam, exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus [6], & tum vanitatis manifeſtus [7]. Nec tam grata Pallantis innocentia, quàm gravis ſuperbia fuit: quippe nominatis libertis ejus, quos conſcios haberet, reſpondit; « nihil umquam ſe domi, »niſi nutu, aut manu ſignificaſſe, vel ſi plura demonſtranda »eſſent ſcripto uſum, ne vocem conſociaret [8] ». Burrus, quamvis reus, inter judices ſententiam dixit. Exſiliumque accuſatori inrogatum, & tabulæ exuſtæ ſunt, quibus obliterata ærarii monimenta [9] retrahebat.

Galerius a freto Siciliæ Alexandriam ſeptimâ die pervenerit, *Babilius*, melius Balbillus, *ſextâ*, *ambo præfecti*. Aſſuetudine eviluit miraculum. Frequens in Inſcriptionibus nomen, BALBILLVS.

[1] Relegantur] At poſtea pœnâ exſoluti; & Silana Tarentum regreſſa, ut dicetur Annal. XIV, 12. Quid ſit diſcriminis inter exſilium, relegationem, deportationem, vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 22.

[2] Paride] Poſtea occiſo, quaſi gravi adverſario, Sueton. in Ner. LIV. Interfectum, quòd Neronem ſaltationem docere non potuiſſet, tradit Dio LXIII, pag. 723.

[3] Ad præsens] At deinde interemptus Annal. XIV, 59.

[4] Cornelius Sulla] Antoniæ maritus. Vide Stemma Cæſarum, num. 107.

[5] Antoniæ] Æliæ Petinæ & Claudii filiæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 105.

[6] Sectionibus famosus] Sectores bona damnatorum proſcriptorumve mercabantur, & eorum pretia vel in ærarium referebant, vel iis, quibus debebantur pecuniæ, penſitabant. Inde Aſconius in Verrem I, 20. *Sectorem autem dicit* Tullius, *æſtimatorem redemptoremque bonorum damnati, atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt ſecutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſemel infert pecuniam vel ærario, vel ſociis.* Deinde ibid. cap. 23. verba illa explicans, *Quæ ſectorem exſpectant repetundarum*, ait: *Cauſa ita ſe habet ut, ſi convictus reus ſit atque damnatus, pecuniam reddat, æſtimatâ lite, hoc eſt, in pretium redactis omnium ſurtis, quam ſummam pecuniæ, proſcriptis ejus bonis, ſectores curabant. Sectores autem dicti ſunt, qui ſpem lucri ſui ſecuti, bona condemnatorum ſemel auctionabantur, proque his pecunias penſitabant ſingulis: ac poſtea pro compendio ſuo ſingulas quaſque res pecuniâ populo vendituri.*

[7] Vanitatis manifestus] Id eſt *mendacii.* Sic Tullius, Tuſculan. III, 1, *Vanitati veritas cedit.*

[8] Consociaret] Cum libertis ipſe libertus. Proh hominis impudentiam!

[9] Ærarii monimenta] Exuſtæ ſunt

A. U. C. 808. J. C. 55. XXIV. Fine anni, ſtatio cohortis[1], adſidere ludis ſolita, demovetur, quò major ſpecies libertatis eſſet; utque miles, theatrali licentiæ non permixtus, incorruptior ageret, & plebes daret experimentum, an, amotis cuſtodibus, modeſtiam retineret. Urbem Princeps luſtravit[2] e reſponſo haruſpicum, quòd Jovis ac Minervæ ædes[3] de cælo tactæ erant.

A. U. C. 809. J. C. 56. XXV. Q. Volusio, P. Scipione conſulibus[4], otium foris, fœda domi laſcivia, quâ Nero itinera Urbis, & lupanaria, & diverticula, veſte ſervili in diſſimulationem ſuî compoſitus, pererrabat[5], comitantibus, qui raperent ad venditionem expoſita, & obviis vulnera inferrent: adversùs ignaros adeò, ut ipſe quoque exciperet ictus, & ore præferret[6]. Deinde, ubi « Cæſarem eſſe, qui graſſaretur », pernotuit, augebantur injuriæ adversùs viros feminaſque inſignes, & qui-

tabulæ, quibus Pætus vetera & obliterata debita revocabat, & exigebat.

[1] Statio cohortis] Prætoriæ. Vide Annal. I. 77.

[2] Urbem princeps lustravit] In his luſtrationibus cantabantur carmina, ſingulis portis victimæ mactabantur. Claudius quantò hebetior, tantò ſuperſtitioſus, eas cærimonias diligentiſſimè obſervavit. Vide Sueton. in Claud. XXII. Ejus principatu, incerto anno ob ſuffectos conſules, *Bubo funebris, & maximè abominatus* publicis præcipuè auſpiciis, *Capitolii cellam ipſam intravit Sex. Palpelio Hiſtro, L. Pedanio coſſ. propter quod Nonis Martiis Urbs luſtrata eſt eo anno*, Plin. X, 12. Quantâ verò curâ fierent hæ obſecrationes docet idem Plinius XXVIII, 2. *Vidimus certis precationibus obſecraſſe ſummos magiſtratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præpoſterum dicatur, de ſcripto præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari qui attendat, alium verò præponi qui faveri linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.*

[3] Jovis ac Minervæ ædes] In monte Capitolino.

[4] P. Scipione consulibus] Q. Voluſius Saturninus & P. Cornelius Scipio conſules fuere anno Urbis conditæ dcccix. Jeſu Chriſti 56. Q. Voluſius filius eſt L. Voluſii, de quo dicetur infrà cap. 30.

[5] Pererrabat] Hanc laſciviam, Principe indignam, memorat Sueton. in Ner. XXVI. *Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec ſine pernicie tamen. Si quidem redeuntes a cenâ verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere aſſueverat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintanâ domi conſtitutâ, ubi partæ & ad licitationem dividendæ prædæ pretium aſſumeretur. Ac ſæpe in ejuſmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, propè ad necem cæſus. Quare numquam poſtea ſe publico illud horæ ſine tribunis commiſit, procul & occultè ſubſequentibus.* Vide & Dionem LXI. pag. 693.

[6] Ore præferret] Medicamenta adhibebat, de quibus Plinius XIII, 22. *Alii* ferulæ, quam thapſiam quidam vocavere, *folia, caulem, radicem tundunt in pilâ, & ſuccum in ſole coactum dividunt in paſtillos. Nero Cæſar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis graſſationibus converberatam faciem illinens ſibi cum thure, ceráque, &, ſecuto die, contra famam cutem ſinceram circumferens.*

A. U. C. 809. J. C. 56.

dam, permiſſâ ſemel licentiâ ſub nomine Neronis, inulti, propriis cum globis, eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur. Julius quidem Montanus, ſenatorii ordinis, ſed qui nondum honorem capeſſiſſet [1], congreſſus fortè per tenebras cum Principe, quia vi attentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quaſi exprobraſſet, mori adactus eſt. Nero autem metuentior in poſterum, milites ſibi, & plerofque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica, & quaſi privata ſinerent: ſi a læſis validiùs ageretur, arma inſerebant. Ludicram quoque licentiam, & fautores hiſtrionum velut in prœlia convertit [2], impunitate & præmiis, atque ipſe occultus, & plerumque coram proſpectans: donec diſcordi populo, & gravioris motûs terrore, non aliud remedium repertum eſt, quàm ut hiſtriones Italiâ pellerentur [3], mileſque theatro rurſum adſideret.

XXVI. Per idem tempus actum in ſenatu « de fraudibus » libertorum », efflagitatumque « ut adversùs malè meritos, » revocandæ libertatis jus patronis daretur [4] ». Nec deerant qui cenſerent. Sed conſules relationem incipere non auſi, ignaro Principe, perſcripſere tamen conſenſum ſenatûs, « Ille » jam auctor conſtitutionis fieret, ut inter paucos [5] & ſenten- » tiæ adverſos » : quibuſdam coalitam libertate irreverentiam eò prorupiſſe frementibus [6], « ut æquo cum patronis jure

[1] Nondum honorem capessisset] Junior adhuc, & tantùm laticlavius. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 25.

[2] In prœlia convertit] Sueton. in Ner. XXVI. *Interdiu quoque clam geſtatoriâ ſellâ delatus* Nero *in theatrum, ſeditionibus pantomimorum ex parte proſcenii ſuperiori, ſignifer ſimul ac ſpectator aderat. Et cùm ad manus ventum eſſet, lapidibuſque & ſubſelliorum fragminibus decerneretur, multa & ipſe jecit in populum, atque etiam prætoris caput conſauciavit.*

[3] Italia pellerentur] Jam pulſi a Tiberio, ut dictum eſt ſuprà Annal. IV, 14.

[4] Jus patronis daretur] Id jam ſancitum Claudii lege diximus in Supplemento Annal. X, 29. At, ut hujus Principis leges plurimæ, ita quoque invalidæ. Ars tota viſque legum ac legiſlatorum in eo ſita, ut perpaucæ ſint leges; violatio rara, numquam impunita.

[5] Ut inter paucos] Quoniam pauci erant qui refragarentur, & patrum ſententiæ adverſarentur.

[6] Frementibus] Quibuſdam ſenatoribus frementibus, irreverentiam, libertate coalitam, eò prorupiſſe, ut liberti æquo cum patronis jure agerent; ſi quid patroni pro jure ſuo contra libertos ſtatuerent, ſententiam eorum conſultarent; verberibus etiam manus ultro intenderent, impudenter vel meritam pœnam diſſuadentes. Quid

A. U. C 809. J. C. 56.

»agerent, ſententiam eorum conſultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impudenter vel pœnam ſuam diſſuadentes. Quid enim aliud læſo patrono conceſſum [1], quàm »ut viceſimum ultra lapidem [2], in oram Campaniæ libertum »releget? Ceteras actiones promiſcuas & pares eſſe. Tribuendum aliquod telum, quod ſperni nequeat. Nec grave manumiſſis, per idem obſequium retinendi libertatem [3], per »quod adſecuti ſint. At criminum manifeſtos, meritò ad ſervitutem retrahi; ut metu coërceantur, quos beneficia non »mutaviſſent».

XXVII. Disserebatur contrà; «Paucorum culpam »ipſis exitioſam eſſe debere: nihil univerſorum juri derogandum: quippe latè fuſum id corpus. Hinc plerumque tribus, »decurias [4], miniſteria [5] magiſtratibus & ſacerdotibus, cohortes etiam in Urbe [6] conſcriptas: & plurimis equitum, »pleriſque ſenatoribus, non aliunde originem trahi. Si ſepararentur libertini, manifeſtam fore penuriam ingenuorum: »non fruſtra majores, cùm dignitatem ordinum dividerent, »libertatem in communi poſuiſſe [7]. Quin & manumittendi

enim aliud, &c. Quomodò deſperato huic loco ſimus opitulati vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 26.

[1] Concessum] Fortè ab Auguſto, qui libertorum patronorumque jura conſtituit. Vide Dionem LV. pag. 557.

[2] Vicesimum ultra lapidem] Viginti millia ab Urbe. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 26.

[3] Retinendi libertatem] Haud vulgare dicendi genus, minimè tamen barbarum. Sic adhuc infrà Annal. XV, 5. *Vologeſi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi.*

[4] Decurias] Id ne accipias de judicum decuriis; quod rectè monuit Lipſius. Aliæ plurimæ erant decuriæ ſcribarum, cerariorum, librariorum, &c, quorum memoria exſtat in vetere marmore apud Gori, Inſcript. Antiq. Tom. I. pag. 308.

[5] Ministeria] Lictores, viatores, præcones, aliique multi magiſtratuum & ſacerdotum miniſtri.

[6] Cohortes etiam in Urbe] Cohortes Vigilum. Quodque illuſtrius, liberti in Germaniâ & Illyrico, imperitante Auguſto, militavêre. Inde Suetonius in Aug. XXV. *Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum causâ, & ſi tumultus in graviore annonâ metueretur, bis uſus eſt: ſemel ad præſidium coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni.* Vide & Dionem LV. pag. 569. & LVI. pag. 586.

[7] Libertatem in communi posuisse] Servius Tullius dignitatem ordinum ita diviſerat, ut libertini a tribubus ruſticis repellerentur, in quatuor verò tribus urbanas conjicerentur: ſed libertatem in communi poſuerat. Poſtea præter communem libertatem permiſſum, ut libertini, qui filium quinquennio majorem haberent, aut prædium prædiave ruſtica pluris H S triginta millium, monetæ Gallicæ librarum 5835, poſſiderent, in tribus ruſticas recipi

»duas ſpecies [1] inſtitutas, ut relinqueretur pænitentiæ, aut »novo beneficio locus. Quos vindictâ patronus non liberaverit, »velut vinculo ſervitutis attineri. Diſpiceret quiſque merita, »tardéque concederet, quod datum non adimeretur». Hæc ſententia valuit. Scripſitque Cæſar ſenatui, «privatim expen»derent cauſam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: »in commune nihil derogarent». Nec multò pòſt, ereptus amitæ libertus [2] Paris, quaſi jure civili; non ſine infamiâ Principis, cujus juſſu perpetratum ingenuitatis judicium [3] erat.

A. U. C. 809. J. C. 56.

XXVIII. Manebat nihilominus quædam imago reipublicæ. Nam inter Vibullium prætorem & plebei tribunum Antiſtium ortum certamen, quòd immodeſtos fautores hiſtrionum, & a prætore in vincula ductos, tribunus «omitti»

poſſent. De his omnibus & aliis quæ libertinos ſpectant, vide Sigonium de Jure Antiq. II, 14.

[1] Manumittendi duas species] Utriuſque ſpeciei meminit Seneca de Vitâ Beatâ XXIV, *Juſtæ libertatis, an inter amicos datæ*. Juſta libertas ſervis vindictâ, cenſu, aut teſtamento data; nec revocari poterat. Libertas inter amicos, in convivio, aut per epiſtolam data, revocari poterat; & libertus in ſervitutem retrahi. Sic relictus pænitentiæ, aut novo beneficio locus. Auguſtus Tiberium & rempublicam ſapienter monuerat, ne plures manumitterentur, ſicque Urbs omnigenâ turbâ impleretur, *μήτ' ἀπελευθερῶσι πολλὺς, ἵνα μὴ παντοδαπῦ ὄχλυ τὴν πόλιν πληρώσωσι*, Dio LVI. pag. 591. At hac in re, quod ſæpe Principes, peccavit Auguſtus, ut optima ſuaderet moriens, cum ipſe aliter feciſſet. Id acerrimè & eloquentiſſimè dolet Dionyſius Halicarnaſſ. Antiq. Rom. IV, 24. pag. 227 & 228. At malum, quo nullum umquam fuit Urbi exitialius, audacter graſſari cœpit ſub Claudii principatu, Plin. XXXIII, 2. ejuſque libertis imperitantibus, factum eſt inſanabile.

[2] Amitæ libertus] Domitiæ, Neronis amitæ, de quâ ſupra cap. 19.

[3] Ingenuitatis judicium] Non vitio Cornelianæ brevitatis, ſed ob mores noſtros a Romanis moribus prorsùs alienos, locus iſte perobſcurus videretur, niſi, vir ſummus, Cujacius, obſervat. XVIII, 23. lucem adfudiſſet. Nunc plana claraque ſunt omnia. Domitia, Neronis amita, Paridem, acceptâ ab eo pecuniâ pro libertate, manumiſerat; atque ita diu fuit Domitiæ libertus. Pòſt juſſu Principis dixit ſe eſſe ingenuum, & veritati ingenuitatis nihil officere manumiſſionem. Vicit non ſine infamiâ Principis, datamque pecuniam repetiit, ut accipimus ex Digeſt. XII. Tit. IV. de condictione cauſâ datâ. leg. 3. num. 5. ex Ulpiano. *Julianus libro undecimo Digeſtorum ſcribit, competere manumiſſo repetitionem. Neratius etiam libro Membranarum refert Paridem Pantomimum a Domitiâ Neronis filiâ*, corrige *amitâ*, *decem, quæ ei pro libertate dederat, repetiſſe per judicem; nec fuiſſe quæſitum, an Domitia ſciens liberum accepiſſet. Decem* de generali pecuniæ ſummâ accipe. Non poſſunt eſſe decem millia nummorum, quæ forent tantum Gallicæ monetæ libræ 1945. De immani ſervorum pretio vide infrà Anecdota de Nerone.

A. U. C. 809. J. C. 56.

juſſiſſet[1] : comprobavere patres, incuſatâ « Antiſtii licentiâ ». Simul prohibiti tribuni « jus prætorum & conſulum præripere, aut vocare ex Italiâ[2] cum quibus lege agi poſſet ». Addidit L. Piſo, deſignatus conſul, « ne quid intra domum[3] pro poteſtate animadverterent : neve multam ab iis dictam, quæſtores ærarii in publicas tabulas, ante quatuor menſes, referrent; medio temporis contradicere liceret : deque eo conſules ſtatuerent ». Cohibita arctiùs & ædilium poteſtas[4], ſtatutumque « quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ inrogarent ». Eò Helvidius Priſcus, tribunus plebis, adversùs Obultronium Sabinum, ærarii quæſtorem, contentiones proprias exercuit, « tamquam jus haſtæ adversùs inopes inclementer augeret ». Dein Princeps curam tabularum publicarum a quæſtoribus ad præfectos tranſtulit.

XXIX. VARIE habita, ac ſæpe immutata ejus rei forma[5]. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere præfectos : dein, ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero prætorum, qui præeſſent. Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæſtores rurſum impoſuit; iiſque, ne metu offenſionum ſegniùs conſulerent, extra ordinem honores promiſit. Sed deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero præturâ perfunctos, & experientiâ probatos delegit.

[1] OMITTI JUSSISSET] Pro tribuniciâ ſuâ auctoritate, eos e vinculis emiſſos omitti juſſerat.

[2] VOCARE EX ITALIA] Non vocatio, ſed prenſio tantùm erat juris tribunicii, ut exemplis probatur apud Gellium XIII, 12. Immo primo ab Urbe milliario finiebatur tribunorum plebis auctoritas, ut patet ex Livio III, 20. *Neque enim provocationem eſſe longius ab Urbe mille paſſuum : & tribunos, ſi eò adveniant in aliâ turbâ Quiritium, ſubjectos fore conſulari imperio.*

[3] NE QUID INTRA DOMUM] Tribunorum plebis domus ne noctu quidem claudebatur, ut præſens ſemper & quovis tempore eſſet tribuniciæ interceſſionis auxilium. Non tamen intra domum, ubi aut iræ, aut libidini locus, ſed publicè & pro tribunali animadvertêre.

[4] ÆDILIUM POTESTAS] Tum curulium, tum plebis ædilium erat annonam, res ſacras, loca publica, ludos curare : præcavere ne in rebus venalibus fraudes fierent, caſve factas redhibitionibus emendare.

[5] EJUS REI FORMA] Quæ de ærario ſummatim habet Tacitus, fuſiùs explicata vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 29. Ibi multa de reipublicæ & imperii opibus.

A. U. C. 809. J. C. 56.

XXX. Damnatus iiſdem conſulibus Vipſanius Lenas, « ob Sardiniam provinciam avarè habitam ». Abſolutus Ceſtius Proculus repetundarum, cedentibus accuſatoribus. Clodius Quirinalis, « quòd præfectus remigum, qui Ravennæ haberen» tur, velut infimam nationum, Italiam luxuriâ ſævitiâque ad» flictaviſſet », veneno damnationem antevertit. C. Aminius Rebius, ex primoribus peritiâ legum, & pecuniæ magnitudine, cruciatus ægræ ſenectæ, miſſo per venas ſanguine, effugit: haud creditus ſufficere ad conſtantiam ſumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. At L. Voluſius [1] egregiâ famâ conceſſit; cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, inoffenſa tot Imperatorum malitia fuit.

A. U. C. 810. J. C. 57.

XXXI. Nerone ſecundùm, L. Piſone conſulibus [2], pauca memoriâ digna evenere: niſi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, quîs molem amphitheatri [3] apud campum Martis Cæſar exſtruxerat, volumina implere: cùm ex dignitate populi Romani repertum ſit, res inluſtres annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare. Ceterùm coloniæ Capua

[1] L. Volusius] Cujus filius hoc anno conſul erat, ut diximus, cap. 25. Vide quoque dicta Annal. XII, 22. De L. Voluſii ſenectâ duo memoranda refert Plinius VII, 14. *Nuper etiam L. Voluſio Saturnino, in Urbis præfecturâ, exſtincto, notum e Corneliâ, Scipionum gentis, Voluſium Saturninum, qui fuit conſul, genitum poſt LXII. annum.* Mox cap. 48. *M. Perpenna & nuper L. Voluſius Saturninus, omnium quos in conſulatu ſententiam rogaverant, ſuperſtites fuere.* Laudatur quoque ob Agriculturæ ſcientiam a Columellâ de Re Ruſtic. I, 7. *Sed & ipſe noſtrâ memoriâ veterem conſularem, virumque opulentiſſimum L. Voluſium aſſeverantem audivi, patris familias feliciſſimum fundum eſſe, qui colonos indigenas haberet, & tamquam in paternâ poſſeſſione natos, jaminde a cunabulis longâ familiaritate retineret.* De L. Voluſio, primo adcumulatore opum, quibus domus illa immensùm viguit, dictum eſt Annal. III, 30. Ad eum Plinii & Columellæ dicta minimè probabiliter trahunt Cll. Crenius & Schoettgenius.

[2] L. Pisone consulibus] Nero Claudius Auguſtus II & L. Calpurnius Piſo conſules fuere anno Urbis conditæ dcccx. Jeſu Chriſti 57. Ex Muſeo Albano, apud Muratori, Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. cccv.

NERONE CLAVDIO CAESARE
AVG. GERMANICO II
L. CALPVRNIO PISONE COS.

[3] Molem amphitheatri] Illud amphitheatrum ludoſque incruentos laudat Suetonius in Ner. XII. *Munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni ſpatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem.* Plinius quoque XIX, 1. *Vela nuper colore cæli, ſtellata, per rudentes iere etiam in amphitheatro Principis Neronis.* Ibi fuit *trabs e larice, longa pedes* cxx. *bipedali craſſitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo* arboris, *faſtigium ad cacumen æſtimantibus*, Plin. XVI, 40.

A. U. C. 810. J. C. 57.

atque Nuceria [1], additis veteranis, firmatæ ſunt : plebeíque congiarium [2] quadringeni nummi [3] viritim dati, & ſeſtertiûm quadringenties [4] ærario inlatum eſt ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintæ & viceſimæ [5] venalium mancipiorum remiſſum, ſpecie magis quàm re [6] : quia cùm venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus adcreſcebat. Edixit Cæſar, « ne quis magiſtratus, aut procurator, » qui provinciam obtineret, ſpectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet ». Nam antè non minùs tali largitione, quàm corripiendis pecuniis, ſubjectos adfligebant; dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant [7].

XXXII. Factum & ſenatuſconſultum [8] ultioni juxtà & ſecuritati, « ut ſi quis a ſuis ſervis interfectus eſſet, ii quoque, » qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter » ſervos ſupplicia penderent ». Redditur ordini Lurius Varius, conſularis,

[1] Capua atque Nuceria] De Capuâ dictum Annal. IV, 57. Nuceria, nunc *Nocera*. Auguſtum coloniam deduxiſſe Capuam ſcribit Plinius XVIII, 11.

[2] Plebeique congiarium] Hujus congiarii memoria exſtat in nummo ex ære magno apud Harduinum Select. Opera, pag. 722. NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. capite Neronis laureato. Ex adversâ parte CONGIAR. II. DAT. POP. SC. *Congiarium ſecundum datum populo. Senatûs conſulto.* Nero togatus diſtribuit congiarium populo. De congiariis plura dicentur in Notis & Emendationibus ad Dialog. de Oratoribus cap. 17.

[3] Quadringeni nummi] Monetæ Gallicæ libræ 77.

[4] Sestertium quadringenties] Quadringenties centena millia ſeſtertiûm, monetæ Gallicæ libræ 7,782,010.

[5] Quintæ et vicesimæ] Ut inter Gallica vectigalia appellatur *le vingtieme* : ſic quoque Romani dixere viceſimam, *le vingtieme*; quintam & viceſimam, *le vingt-cinquieme*. Sed de his plura in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 31.

[6] Specie magis quam re] Sic emendari ſenſus ipſe poſtulat. Ita quoque emendabat Illuſtr. Huetius. Malè in Mſſ. & editis libris, *ſpecie magis quàm vi*. Unde eruditus Petavius aliquid deeſſe ſuſpicabatur.

[7] Ambitu propugnant] Quæ inexplebili corripiendarum pecuniarum libidine deliquerant, ambitioſâ ludorum largitione non excuſabant tantùm, ſed propugnabant : & pecunias in utilitatem propriam derivatas ſe impendiſſe in populorum oblectamenta & imperii ſplendorem jactitabant.

[8] Senatusconsultum] Senatuſconſulti ſeveritatem excuſat Ulpianus, Digeſt. XXIX. Tit. V. de Senatuſconſulto Silaniano & Claudiano. Leg. 1. *Cùm aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi, periculo capitis ſui, cuſtodiam domini, tam a domeſticis, quàm ab extraneis, præſtare ſervi cogantur, ideo ſenatuſconſulta introducta ſunt de publicâ quæſtione a familiâ necatorum habendâ.* Illud verò ſenatuſconſultum dicitur Silanianum, quod primò ſub Auguſto, Dolabellâ & Silano coſſ. anno U. C. dcclxiii, latum. Claudianum, quod per Neronem, a Claudio adoptatum, eſt renovatum : dictum quoque Neronianum a Nerone; Piſonianum, a Piſone collegâ. De his dicetur adhuc infrà Annal. XIV, 42.

A. U. C. 810. J. C. 57.

conſularis, avaritiæ criminibus [1] olim perculſus. Et Pomponia Græcina, inſignis femina, Plautio, qui ovans ſe de Britanniis retulit [2], nupta, ac « ſuperſtitionis externæ [3] » rea, mariti judicio permiſſa. Iſque priſco inſtituto, propinquis coram, de capite famâque conjugis cognovit, & inſontem nuntiavit. Longa huic Pomponiæ ætas, & continua triſtitia fuit. Nam poſt Juliam, Druſi filiam [4], dolo Meſſalinæ interfectam, per quadraginta annos [5], non cultu niſi lugubri, non animo niſi mæſto egit. Idque illi, imperitante Claudio, impune [6], mox ad gloriam vertit.

XXXIII. Idem annus plures reos habuit: quorum P. Celerem, accuſante Aſiâ, quia abſolvere nequibat Cæſar, traxit [7], ſenectâ donec mortem obiret. Nam Celer, interfecto, ut memoravi [8], Silano proconſule, magnitudine ſceleris cetera flagitia obtegebat. Coſſutianum Capitonem [9] Cilices detule-

[1] Avaritiæ criminibus] Avaritia, haud ita vetus in republicâ malum, teſte Tullio Offic. II, 21. ſed citò adultum omnia corripuit, provincias Urbemque exhauſit. Fruſtra monebat Juvenalis VIII, 87.

Exſpectata diu tandem provincia cùm te
Rectorem accipiat, pone iræ ſrena modumque,
Pone & Avaritiæ.

Unde idem indignans Satyr. I, 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis. Probitas laudatur & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, menſas,
Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.

[2] Se de Britanniis retulit] Sic Virgilius, Æneid. VII, 286.

Ecce autem Inachiis ſeſe referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, auraſque invecta tenebat.

De Plautii ovatione diximus in Supplemento Annal. XI, 5.

[3] Superstitionis externæ] Hac odioſâ nuncupatione deſignari Chriſtianam religionem opinor. Eadem eſt Lipſii, Rhenani, Ryckii & Erneſti ſententia. Tum enim vel in ipſâ Neronis domo percrebuit religio, ut accipimus ex D. Paulo ad Philipp. IV, 22. *Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.* Vide & Epiſt. ad Romanos, XVI. De jure vitæ & necis, quod olim competebat maritis in uxores ſceleribus pollutas, multa habet Heineccius, Antiquit. Roman. Juriſprud. I, 10. num. 6.

[4] Juliam, Drusi filiam] Druſi & Liviæ filiam. Vide Stemma Cæſarum num. 74. De dolo ſcelereque Meſſalinæ dictum in Suppl. Annal. IX, 48.

[5] Per quadraginta annos] Ergo obiit Pomponia Græcina anno U. C. DCCCXXXVI. J. C. 83.

[6] Impune] Ob Plautii virtutem & Britannicam expeditionem mox ſuſcipiendam.

[7] Traxit] Nero P. Celeris cauſam protraxit, donec reus ſenectâ mortem obiret.

[8] Ut memoravi] Suprà cap. 1.

[9] Cossutianum Capitonem] De quo jam actum ſuprà Annal. XI, 6. Ejus cauſa acta, adhuc adoleſcente Quinctiliano, ut ipſe teſtatur, Inſtit. Orator. VI, 1. In exemplum quoque eam protulit Juvenalis VIII, 91.

Reſpice quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine juſto
Et Capito & Numitor ruerint, damnante ſenatu,
Piratæ Cilicum.

A. U. C. 810. J. C. 57.

rant, « maculoſum fœdumque, & idem jus audaciæ in pro»vinciâ ratum, quod in Urbe exercuerat ». Sed pervicaci accuſatione conflictatus, poſtremò defenſionem omiſit, ac lege repetundarum damnatus eſt [1]. Pro Eprio Marcello [2], a quo Lycii res repetebant, eò uſque ambitus [3] prævaluit, ut quidam accuſatorum ejus exſilio mulctarentur, « tanquam inſonti pe»riculum feciſſent ».

A. U. C. 811. J. C. 58.

XXXIV. Nerone tertiùm conſule, ſimul iniit conſulatum [4] Valerius Meſſala, cujus proavum, oratorem Corvinum [5], divo Auguſto, abavo Neronis [6], collegam in eo magiſtratu fuiſſe, pauci jam ſenum meminerant : ſed nobili familiæ honor auctus eſt, oblatis in ſingulos annos quingenis ſeſtertiis [7], quibus Meſſala paupertatem innoxiam ſuſtentaret. Aurelio quoque Cottæ, & Haterio Antonino, annuam pecuniam ſtatuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes diſſipaſſent. Ejus anni principio, mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanoſque de obtinendâ Armeniâ bellum [8], acriter ſumitur : quia nec Vologeſes ſinebat fratrem Tiridaten dati a ſe regni expertem eſſe, aut alienæ id potentiæ donum habere : & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. Ad hæc Armenii ambiguâ fide utraque arma invitabant, ſitu terrarum, ſimilitudine morum Parthis propiores, connubiiſque permixti, ac libertate ignotâ, illuc magis ad ſervitium inclinantes.

[1] Damnatus est] Senatorium ordinem amiſit, ut dicetur infrà Annal. XIV, 48. leviore quidem pœnâ, cùm exſilium, deportationem, verbera etiam iis, qui repetundarum rei eſſent, lex minitaretur. Vide eruditum Gravinam, *Origines Juris Civilis*. pag. 695. & ſeqq.

[2] Eprio Marcello] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 33.

[3] Ambitus] Id eſt, gratia: Gallicè *la faveur*.

[4] Iniit consulatum] Nero Claudius Auguſtus III, & Valerius Meſſala conſulatum iniere anno Urbis conditæ dcccxi. Jeſu Chriſti 58.

[5] Proavum, oratorem Corvinum] Auguſtus III & M. Meſſala Corvinus, Valerii proavus, conſules fuerant anno U. C. dccxxiii. A. C. 31.

[6] Abavo Neronis] Ex matre ſuâ Agrippinâ, Germanici filiâ, Auguſtum abavum habebat Nero. Vide Stemma Cæſarum, num. 93 & 35.

[7] Quingenis sestertiis] Quingena ſeſtertia ſunt monetæ Gallicæ libræ 97,265. Idem laudat Suetonius in Ner. X.

[8] De obtinenda Armenia bellum] Belli initia vidimus Annal. XII, 50.

XXXV. Sed Corbuloni plus molis adverſùs ignaviam militum, quàm contra perfidiam hoſtium erat. Quippe Syriâ tranſmotæ legiones, pace longâ ſegnes, munia Romanorum ægerrimè tolerabant. Satis conſtitit fuiſſe in eo exercitu veteranos, qui non ſtationem, non vigilias iniſſent; vallum foſſamque quaſi nova & mira viſerent: ſine galeis, ſine loricis, nitidi & quæſtuoſi [1], militiâ per oppida expletâ. Igitur dimiſſis, quibus ſenecta, aut valetudo adverſa erat, ſupplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adjectaque ex Germaniâ legio, cum equitibus alariis, & peditatu cohortium: retentuſque omnis exercitus ſub pellibus, quamvis hieme ſævâ adeò, ut obducta glacie, niſi effoſſa humus, tentoriis locum non præberet. Ambuſti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati ſunt. Adnotatuſque miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita prærigiuiſſe manus, ut oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent [2]. Ipſe cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adeſſe: laudem ſtrenuis, ſolatium invalidis, exemplum omnibus oſtendere. Dehinc quia duritiam cæli militiæque multi abnuebant, deſerebantque, remedium ſeveritate quæſitum eſt. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia proſequebatur, ſed qui ſigna reliquerat, ſtatim capite pœnas luebat: idque uſu ſalubre, & miſericordiâ melius apparuit. Quippe pauciores illa caſtra deſeruere, quàm ea in quibus ignoſcebatur.

A. U. C. 811. J. C. 58.

XXXVI. Interim Corbulo, legionibus intra caſtra habitis, donec ver adoleſceret, diſpoſitiſque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores auderent, prædicit.

[1] Nitidi et quæstuosi] Corpore veſteque nitidi, quæſtûs avidi, & in his ditiſſimis oppidis commercio intenti.

[2] Truncis brachiis deciderent] Frigore deciduos manuum digitos, exanimatos homines in Belgio ſe vidiſſe anno 1468 teſtatur egregius ſcriptor, veterumque æmulus, de Comines, *Mémoires*, II, 14. In Galliâ plurimis, non modò gregariis militibus, ſed etiam nobilibus viris, tum pedum, tum manuum digitos decidiſſe vidit anno 1569 Nicolaus Couſtureau, *Vie de Louis de Bourbon, Duc de Montpenſier*, pag. 53. Sævam quoque hiemem, quam in Perſide Solimani II. exercitus perpeſſus eſt anno 1534, vide apud Leunclavium, Hiſt. Muſulman. Col. 772.

A. U. C. 811. J. C. 58.

Curam præſidiorum Pactio Orphito, primipili honore [1] perfuncto, mandat. Is quamquam incautos barbaros, & bene gerendæ rei caſum offerri ſcripſerat, « tenere ſe munimentis, » & majores copias opperiri » jubetur. Sed rupto imperio, poſtquam paucæ e proximis caſtellis turmæ advenerant, pugnamque imperitiâ poſcebant, congreſſus cum hoſte funditur. Et damno ejus exterriti qui ſubſidium ferre debuerant, ſua quiſque in caſtra trepidâ fugâ rediere. Quod graviter Corbulo accepit: increpitumque Pactium, & præfectos, militeſque, « tendere omnes extra vallum [2] » juſſit: inque eâ contumeliâ detenti, nec niſi precibus univerſi exercitûs exſoluti ſunt.

XXXVII. At Tiridates ſuper proprias clientelas [3], ope Vologeſi fratris adjutus, non furtim jam, ſed palam bello infenſare Armeniam, quoſque fidos nobis rebatur depopulari; & ſi copiæ contrà ducerentur, eludere; huc quoque & illuc volitans, plura famâ, quàm pugnâ exterrere. Igitur Corbulo, quæſito diu prœlio, fruſtra habitus, & exemplo hoſtium circumferre bellum coactus, diſpartit vires, ut legati præfectique diverſos locos pariter invaderent: ſimul regem Antiochum [4] monet, « proximas ſibi præfecturas petere ». Nam Pharaſmanes, interfecto filio Rhadamiſto, « quaſi proditore ſuî, quò fidem in nos teſtaretur, vetus adversùs Armenios odium promptiùs exercebat. Tuncque primùm illecti Iſichi [5], gens

[1] Primipili honore] Id eſt primi centurionis dignitate. Vide quæ dicta ſunt Annal. II, 11.

[2] Tendere omnes extra vallum] Ut ſocietate & contactu indignos. Hæc enim militaris pœna, olimque aſperiùs exercita. Teſte enim Livio, X, 4. *Cohortes, quæ ſigna amiſerant, extra vallum ſine tentoriis deſtitutas, invenit* dictator Valerius Maximus. Quantum diſciplinæ auſteritate profecerit Corbulo docet Frontinus, Strategemat. IV, 2 num. 3. *Domitius Corbulo, duabus legionibus & pauciſſimis auxiliis, diſciplinâ correctâ, Parthos ſuſtinuit.* Haud ſiluerim dictum optimi ducis apud eumdem Frontinum IV, 7. num. 2. *Domitius Corbulo dolabrâ, id eſt operibus, hoſtem vincendum eſſe dicebat.*

[3] Super proprias clientelas] Armeniorum aliorumque populorum ſibi addictorum clientelas.

[4] Regem Antiochum] Antiochum, Commagenæ regem, de quo ſuprà cap. 7.

[5] Isichi] Populi ſoli Tacito memorati. Videntur tamen occidentales inter & ſeptemtrionales Armeniæ fines habitaſſe. Plinio VI, 4, memoratur flumen *Iſis*, unde fortè gentis nomen. *Iſis*, nunc *le Tchorok*, influit in Pontum Euxinum, *la Mer noire*, Ortum versùs.

A. U. C. 811. J. C. 58.

haud aliàs ſocia Romanis, avia Armeniæ incurſavit. Ita conſilia Tiridati in contrarium vertebant. Mittebatque oratores, qui ſuo Parthorumque nomine expoſtularent, « cur datis nuper obſidibus, redintegratâque amicitiâ, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ poſſeſſione depelleretur? Ideo nondum ipſum Vologeſen commotum, quia cauſâ, quàm vi agere mallent. Sin perſtaretur in bello; non defore Arſacidis virtutem fortunamque, ſæpius jam clade Romanâ expertam ». Ad ea Corbulo, ſatis comperto, Vologeſen defectione Hyrcaniæ [1] attineri, ſuadet Tiridati « precibus Cæſarem adgredi : poſſe illi regnum ſtabile, & res incruentas contingere, ſi omiſsâ ſpe longinquâ & ſerâ, præſentem potioremque ſequeretur ».

XXXVIII. Placitum dehinc, « quia commeantibus invicem nuntiis, nihil in ſummam pacis proficiebatur, colloquio ipſorum tempus locumque deſtinari ». « Mille equitum præſidium » Tiridates « affore ſibi » dicebat : « quantum Corbuloni cujuſque generis militum adſiſteret, non ſtatuere, dum, poſitis loricis & galeis, in faciem pacis [2], veniretur ». Cuicumque mortalium, nedum veteri & provido duci, barbaræ aſtutiæ patuiſſent. « Ideo arctum inde numerum finiri, & hinc majorem offerri, ut dolus pararetur. Nam equiti, ſagittarum uſu exercito, ſi detecta corpora objicerentur, nihil profuturam multitudinem ». Diſſimulato tamen intellectu, « rectiùs de his, quæ in publicum conſulerentur, totis exercitibus coram diſſertaturos » reſpondit. Locumque delegit, cujus pars altera colles erant clementer adſurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto, prior Corbulo ſocias cohortes & auxilia regum pro cornibus, medio ſextam legionem conſtituit; cui accita per noctem aliis ex caſtris, tria millia tertianorum [3] permiſcuerat, unâ cum

[1] Hyrcaniæ] *Le Mazanderan & le Corcan.*

[2] In faciem pacis] In pacis, non verò belli faciem, veniretur.

[3] Tertianorum] Tertiæ legionis.

A. U. C. 811. J. C. 58.

aquilâ, quaſi eadem legio[1] ſpectaretur. Tiridates, vergente jam die, procul adſtitit, unde videri magis, quàm audiri poſſet. Ita ſine congreſſu dux Romanus abſcedere militem ſua quemque in caſtra jubet.

XXXIX. Rex, ſive fraudem ſuſpectans, quia plura ſimul in loca ibatur, ſive ut commeatus noſtros Pontico mari[2], & Trapezunte[3] oppido adventantes interciperet, properè diſcedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur præſidiis noſtris inſeſſos: & Corbulo, ne inritum bellum traheretur, utque Armenios ad ſua defendenda cogeret, exſcindere parat caſtella. Sibique, quod validiſſimum in eâ præfecturâ[4], cognomento *Volandum*[5], ſumit; minora Cornelio Flacco legato, & Inſteio Capitoni, caſtrorum præfecto, mandat. Tum circumſpectis munimentis, & quæ expugnationi idonea, proviſis, hortatur milites, « ut » hoſtem vagum, neque paci aut prœlio paratum, ſed perfidiam » & ignaviam fugâ confitentem, exuerent ſedibus, gloriæque » pariter & prædæ conſulerent ». Tum quadripartito exercitu, hos in teſtudinem conglobatos[6], ſubruendo vallo inducit; alios ſcalas mœnibus admovere, multos tormentis faces & haſtas incutere jubet. Libratoribus funditoribuſque attributus locus, unde eminus glandes torquerent; ne qua pars ſubſidium laborantibus ferret, pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitûs fuit, ut intra tertiam diei partem,

[1] Quasi eadem legio] Quaſi una tantùm legio ſpectaretur & adeſſet.

[2] Pontico mari] Nunc *le Pont-Euxin*, vulgò *la Mer noire.*

[3] Trapezunte] Nunc *Tarabozan*, vulgò *Trébizonde.* Illud oppidum memorat Plinius VI, 4. *Trapezus liberum, vaſto monte clauſum.*

[4] In ea præfectura] De Armeniæ præfecturis Plinius VI, 9. *Dividitur, (quod certum eſt) in præfecturas, quas* στρατηγίας *vocant, quaſdam ex iis vel ſingula regna quondam, barbaris nominibus* CXX.

[5] Volandum] Hoc Caſtellum uni Tacito dictum. Ex ejus narratione ea caſtella videntur fuiſſe in Heniochiis, ſeu Moſchicis, montibus, in quibus oritur amnis, Cyrus, nunc *le Kur.* Hic verò aliis indicta memorat Tacitus, ut & Plinius VI, 8. In hoc ſinu *multa aliter, ac veteres, proditurum me non eo inficias, anxiâ perquiſita curâ, rebus nuper in eo ſitu geſtis a Domitio Corbulone, regibuſque inde miſſis ſupplicibus, aut regum liberis obſidibus.*

[6] In testudinem conglobatos] Conſtipatis clipeis teſtudinem imitabantur Romani; cujus deſcriptionem ex inſigni Dionis loco intellectu facilem vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 39.

A. U. C. 811. J. C. 58.

nudati propugnatoribus muri, obices portarum ſubverſi, capta eſcenſu [1] munimenta, omneſque puberes trucidati ſint, nullo milite amiſſo, paucis admodum vulneratis: & imbelle vulgus ſub coronâ venum datum [2]: reliqua præda victoribus ceſſit. Pari fortunâ legatus ac præfectus uſi ſunt, tribuſque unâ die caſtellis expugnatis, cetera terrore, & alia ſponte incolarum, in deditionem veniebant: unde orta fiducia caput gentis Artaxata [3] adgrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ ſi amnem Araxen [4], qui mœnia adluit, ponte tranſgrederentur, ſub ictum dabantur: procul, & latioribus vadis tranſiere.

XL. At Tiridates, pudore & metu, ne, ſi conceſſiſſet obſidioni, nihil opis in ipſo videretur; ſi prohiberet, impeditis locis, ſeque & equeſtres copias inligaret: ſtatuit poſtremò oſtendere aciem, & dato die [5] prœlium incipere, vel ſimulatione fugæ, locum fraudi parare. Igitur repentè agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce noſtro, qui viæ pariter & pugnæ compoſuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, ſiniſtro ſexta incedebat, mediis decumanorum [6] delectis: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur: quibus juſſerat, « ut inſtantibus cominus » reſiſterent, refugos non ſequerentur ». In cornibus pedites ſagittariique, & cetera manus equitum ibat, productior cornu in ſiniſtro per ima collium, ut ſi hoſtis intraviſſet, fronte ſimul & ſinu exciperetur. Adſultare ex diverſo Tiridates, non

[1] Escensu] Id eſt *aſcenſu*; Gallicè *d'aſſaut*.

[2] Sub corona venumdatum] Quo de more Gellius VII, 5. *Sicuti*, *inquit* Cælius Sabinus *juriſperitus*, *antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta veniebant, & idcirco dicebantur ſub coronâ venire. Namque ut ea corona ſignum erat captivorum venalium, ita pileus impoſitus demonſtrabat ejuſmodi ſervos venumdari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret. Eſt autem alia rationis hujus opinio, cur dici ſolitum ſit captivos ſub coronâ venumdari, quòd milites, cuſtodiæ cauſâ, captivorum venalium greges circumſtarent: eaque circumſtatio militum corona appellata ſit. Sed id magis verum eſt quod ſuprà dixi.*

[3] Artaxata] Manent rudera prope *Koirvirab*, ut dictum Annal. II, 56.

[4] Araxen] Nunc *l'Aras*. Vide Annal. XII, 51.

[5] Dato die] Sero hujus diei oſtendit aciem, die poſtero prœlium incepturus.

[6] Mediis decumanorum] Delecti decumanorum, ſeu decimæ legionis, medium agmen obtinebant.

A. U. C. 811. J. C. 58.

uſque ad jactum teli, ſed tum minitans, tum ſpecie trepidantis, ſi laxare ordines & diverſos conſectari poſſet. Ubi nihil temeritate ſolutum, nec ampliùs [1], quàm decurio equitum audentiùs progreſſus, & ſagittis confixus, ceteros ad obſequium exemplo firmaverat, propinquis jam tenebris abſceſſit.

XLI. Et Corbulo, caſtra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obſidioque circumdaret, agitavit, conceſſiſſe illuc Tiridaten ratus. Dein poſtquam exploratores attulere « longinquum regis iter, & Medi » an Albani [2] peterentur, incertum », lucem opperitur: præmiſſaque levis armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani, portis ſponte patefactis, ſe ſuaque Romanis permiſere: quod ſalutem ipſis tulit. Artaxatis ignis immiſſus, deletaque & ſolo adæquata ſunt: quia nec teneri ſine valido præſidio, ob magnitudinem mœnium, nec id nobis virium erat, quod firmando præſidio, & capeſſendo bello divideretur: vel ſi integra & incuſtodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quòd capta eſſent. Adjicitur miraculum, velut numine oblatum. Nam cuncta extrà, tectis tenus ſole inluſtria fuere; quod mœnibus cingebatur, ita repentè atrâ nube coopertum, fulguribuſque diſcretum eſt, ut, quaſi infenſantibus deis, exitio tradi crederetur. Ob hæc conſalutatus *imperator* [3] Nero: ex ſenatuſconſulto « ſupplicationes » habitæ [4]: « ſtatuæque & arcus, & continui » conſulatus Principi: utque inter feſtos referretur dies, quo

[1] Nec amplius] Ubi Tiridates vidit nihil temeritate ſolutum eſſe; ſed, uno tantum decurione equitum audentiùs progreſſo, ſtatimque ſagittis confixo, ceteros Romanos exemplo ad obſequium firmatos, propinquis jam tenebris abſceſſit. Turmæ equitum dividebantur in decurias, ſeu decem equites, quibus præerat decurio.

[2] Medi an Albani] Medos petiit Tiridates, ut patet ex Annal. XIV, 26.

[3] Consalutatus imperator] Plurimi hac de re exſtant nummi apud Harduinum, Select. opera. pag. 722. Inſignis inter omnes nummus argenteus e Cimelio Regio NERO CAESAR AVGVSTVS capite laureato. In averſâ parte ARMENIAC. id eſt *Armeniacus*. Victoria gradiens cum palmâ & coronâ.

[4] Supplicationes habitæ] In his ſupplicationibus omnes ædes ſacræ aperiebantur, circa omnia pulvinaria obſecrabantur dii. Quod ſatis compertum, & paſſim in Livio aliiſque hiſtoricis occurrit.

» patrata

A. U. C. 811. J. C. 58.

»patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de eâ eſſet», aliaque in eamdem formam decernuntur, adeo modum egreſſa, ut C. Caſſius de ceteris honoribus adſenſus, «ſi pro beni»gnitate fortunæ diis grates agerentur, ne totum quidem »annum [1] ſupplicationibus ſufficere» diſſeruerit: «eóque opor»tere dividi ſacros & negotioſos dies, quîs divina colerent, »& humana non impedirent».

XLII. Variis deinde caſibus jactatus, & multorum odia meritus reus, haud tamen ſine invidiâ Senecæ damnatur. Is fuit P. Suilius [2], imperitante Claudio, terribilis ac venalis, & mutatione temporum, non, quantùm inimici cuperent, demiſſus: quique ſe nocentem videri, quàm ſupplicem mallet. Ejus opprimendi gratiâ repetitum credebatur ſenatuſconſultum, pœnaque Cinciæ legis [3], adversùs eos, qui pretio cauſas oraviſſent: nec Suilius queſtu aut exprobratione abſtinebat, præter ferociam animi, extremâ ſenectâ liber, & Senecam increpans, «infenſum amicis Claudii, ſub quo juſtiſſimum exſilium per»tuliſſet. Simul ſtudiis inertibus, & juvenum imperitiæ ſue»tum, livere his, qui vividam & incorruptam eloquentiam »tuendis civibus exercerent. Se quæſtorem Germanici [4]; il»lum domûs ejus adulterum [5] fuiſſe. An gravius exiſtimandum, »ſponte litigatoris, præmium honeſtæ operæ adſequi, quàm »corrumpere cubicula Principum feminarum? Quâ ſapientiâ, »quibus philoſophorum præceptis, intra quadriennium regiæ »amicitiæ, ter millies ſeſtertiûm [6] paraviſſet? Romæ teſta»menta & orbos [7], velut indagine ejus capi. Italiam &

[1] Totum quidem annum] De hoc immodico feſtorum dierum numero diximus in Supplemento Annal. IX. 44.

[2] P. Suilius] De quo dictum Annal. IV, 31. XI, 1. & ſeqq.

[3] Pœnaque Cinciæ legis] De hoc ſenatuſconſulto & lege Cinciâ dictum eſt ſuprà Annal. XI, 5 & 7.

[4] Quæstorem Germanici] Suprà Annal. IV, 31.

[5] Domus ejus adulterum] Senecam adulterii cum Juliâ, Germanici filiâ, accuſaverat Meſſalina, eumque in exſilium egerat, ut diximus in Supplemento Annal. IX, 24.

[6] Ter millies sestertiûm] Monetæ Gallicæ libras 58,365,075. In Mſ. Reg. legitur *ſex millies ſeſtertiûm*, ſed ut videtur librarii errore. Priorem enim ſummam habet quoque Dio LXI. pag. 694. ἑπτακισχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων (δραχμῶν).

[7] Et orbos] Orbitatis pretia videbimus infrà, in libro de Moribus German. XX.

A. U. C. 811. J. C. 58.

»provincias, immenſo fenore hauriri[1]. At ſibi labore quæſitam, »& modicam pecuniam eſſe. Crimen, periculum, omnia potiùs »toleraturum, quàm veterem, ac olim partam dignationem »ſubitæ felicitati ſubmitteret.

XLIII. Nec deerant, qui hæc iiſdem verbis, aut verſa in deterius, Senecæ deferrent. Repertique accuſatores, « di»reptos ſocios, cùm Suilius provinciam Aſiam regeret, ac »publicæ pecuniæ peculatum » detulere. Mox, quia inquiſitionem annuam impetraverant, brevius viſum, ſuburbana crimina[2] incipi, quorum obvii teſtes erant. Ii, « acerbitate »accuſationis Q. Pomponium[3] ad neceſſitatem belli civilis »detruſum : Juliam Druſi filiam[4], Sabinamque Poppæam[5] »ad mortem actas ; & Valerium Aſiaticum[6], Luſium Satur»ninum[7], Cornelium Lupum circumventos ; jam equitum »Romanorum agmina damnata, omnemque Claudii ſævitiam » Suilio objectabant. Ille, « nihil ex his ſponte ſuſceptum, ſed »Principi paruiſſe » defendebat, donec eam orationem Cæſar cohibuit, « compertum ſibi » referens « ex commentariis pa»tris ſui, nullam cujuſquam accuſationem ab eo coactam ». Tum « juſſa Meſſalinæ » prætendi, & labare defenſio. « Cur »enim neminem alium delectum, qui ſævienti impudicæ vo»cem præberet ? Puniendos rerum atrocium miniſtros, ubi »pretia ſcelerum adepti, ſcelera ipſa aliis delegent ». Igitur ademptâ bonorum parte (nam filio & nepti pars concedebatur[8],

[1] Immenso fenore hauriri] Quanto fenore Italiam & provincias tum hauſerit Seneca accipiamus ex Dione LXII. pag. 701. Vel ipſis Britannis invitis quadringenties ſeſtertiûm, monetæ Gallicæ libras 7,782,010, crediderat : quod cùm aſperiùs, flagrantioribuſque uſuris, repeteret, rebellionis cauſa exſtitit. De fenore dictum ſatis in Notis & Emendationibus ad Annal. VI, 15.

[2] Suburbana crimina] In Urbe lociſque ſuburbanis patrata.

[3] Q. Pomponium] Is erat moribus inquies, ut dictum Annal. VI, 18. Vide & Dionem LIX. pag. 644 & 661. Partes Camilli Scriboniani, quem memoravimus in Supplemento Annal. IX, 35. ſecutus videtur Pomponius.

[4] Juliam Drusi filiam] De ejus morte vide Supplementum Annal. IX, 48.

[5] Sabinamque Poppæam] Suprà memoratam Annal. XI, 2 & 4. Vide & Supplementum Annal. XI, 5.

[6] Valerium Asiaticum] De illo ibidem.

[7] Lusium Saturninum] Hunc alioſque plurimos, ſenatores, equites, conſanguineos, a Claudio interfectos memorat Seneca in ἀποκολοκυντώσει verſ. ſin.

[8] Pars concedebatur] Dimidia pars concedebatur. Vide Cujacium, Obſerv. VI, 23.

A. U. C. 811. J. C. 58.

eximebanturque etiam quæ teſtamento matris, aut aviæ acceperant) in inſulas Baleares [1] pellitur: non in ipſo diſcrimine, non poſt damnationem fractus animo. Ferebaturque copiosâ & molli vitâ ſecretum illud toleraviſſe. Filium ejus Nerulinum adgreſſis accuſatoribus per invidiam patris, & crimina repetundarum, interceſſit Princeps, tamquam ſatis expletâ ultione.

XLIV. Per idem tempus Octavius Sagitta, plebei tribunus, Pontiæ, mulieris nuptæ, amore vecors, ingentibus donis adulterium, & mox ut omitteret maritum, emercatur; ſuum matrimonium promittens, ac nuptias ejus pactus. Sed ubi mulier vacua fuit [2], nectere moras, « adverſam patris » voluntatem » cauſari, repertâque ſpe ditioris conjugis, promiſſa exuere. Octavius contrà modò conqueri, modò minitari, « famam perditam, pecuniam exhauſtam » obteſtans: denique ſalutem, quæ ſola reliqua eſſet, arbitrio ejus permittens. Ac poſtquam ſpernebatur, « noctem unam ad ſolatium » poſcit, « quâ delinitus, modum in poſterum adhiberet ». Statuitur nox. Et Pontia conſciæ ancillæ cuſtodiam cubiculi mandat. Ille, uno cum liberto, ferrum veſte occultum infert. Tum, ut adſolet in amore & irâ, jurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio [3], & pars tenebrarum libidine ſepoſita [4]. Et queſtu [5] incenſus, nihil metuentem ferro tranſverberat, & accurrentem ancillam vulnere abſterret, cubiculoque prorumpit. Poſterâ die manifeſta cædes, haud ambiguus percuſſor: quippe manſitaſſe unà convincebatur. Sed libertus « ſuum » illud facinus » profiteri, « ſe patroni injurias ultum eſſe ». Commoveratque quoſdam magnitudine exempli: donec ancilla,

[1] In Insulas Baleares] Nunc *Majorque* & *Minorque*.

[2] Vacua fuit] Omiſſo marito. *Vacua* tunc mulier dicebatur, quòd vacationem haberet ex lege Juliâ Poppæâ. Vide eruditum Briſſonium in Lexico Juris: verbo, *Vacatio*.

[3] Satisfactio] Terentius, Eunuchus I Act. I, 14.

In amore hæc omnia inſunt vitia: injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ;
Bellum, pax rurſum.

[4] Libidine seposita] Meliùs *libidini*.

[5] Et questu] Obſervare liceat minimè laudandam eſſe hanc orationis negligentiam, *Et Pontia* ... & *irâ* .... & *pars* ... & *queſtu* ... & *accurrentem*. At vitioſum puto, & *queſtu*. Vide Notas & Emendation. ad Annal. XIII, 44.

A. U. C. 811. J. C. 58.

ex vulnere reſecta, verum aperuit: poſtulatuſque apud conſules a patre interfectæ, poſtquam tribunatu abierat [1], ſententiâ patrum, & lege de ſicariis condemnatur [2].

XLV. Non minùs inſignis, eo anno, impudicitia, magnorum reipublicæ malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppæa [3], T. Ollio patre genita, ſed nomen avi materni ſumpſerat, inluſtri memoriâ Poppæi Sabini [4], conſulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, honoribus nondum functum [5], amicitia Sejani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honeſtum animum. Quippe mater ejus [6], ætatis ſuæ feminas pulchritudine ſupergreſſa, gloriam pariter & formam dederat. Opes claritudini generis ſufficiebant. Sermo comis, nec abſurdum ingenium: modeſtiam præferre, & laſciviâ uti: rarus in publicum egreſſus; idque velatâ parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat. Famæ numquam pepercit, maritos & adulteros non diſtinguens: neque affectui ſuo, aut alieno obnoxia, unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Criſpini, equitis Romani, ex quo filium genuerat [7], Otho [8] pellexit juventâ ac luxu, & quia flagrantiſſimus in amicitiâ Neronis habebatur. Nec mora, quin adulterio matrimonium jungeretur.

XLVI. Otho, ſive amore incautus, laudare «formam

[1] Tribunatu abierat] Non antea, ob magiſtratùs dignitatem.

[2] Lege de sicariis condemnatur] Lege Corneliâ de ſicariis condemnatur, & in exſilium deportatur, infrà Hiſt. IV, 44. De ipſâ lege Corneliâ vide Gravinam, *Origines Juris Civilis*, pag. 721 & ſeqq.

[3] Sabina Poppæa] De quâ vide ſuprà Tom. I. pag. 467, Stemma Cæſarum, num. 37.

[4] Poppæi Sabini] Is videtur eſſe C. Poppæus Sabinus, qui conſulatum geſſit anno U. C. dcclxii.

[5] Honoribus nondum functum] Magnis magiſtratùs honoribus nondum functum. Quæſturam, teſte Suetonio in Ner. XXXV. obtinuerat quâ ad magiſtratus aditus.

[6] Mater ejus] De quâ ſuprà Annal. XI, 1. Noſque diximus in Supplemento Annal. XI, 5.

[7] Filium genuerat] *Ruſinum Criſpinum*, quem *impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piſcaretur, ſervis ipſius demandavit* Nero, Sueton. in Ner. XXXV.

[8] Otho] Poſtea Imperator. Amorem verò Othonis & Poppææ aliter narrat Tacitus Hiſt. I, 13. Id reputanti mihi viſum eſt, Tacitum, qui priùs Hiſtorias ſcripſit, certiora edoctum, hæc in Annalibus tradidiſſe.

A. U. C. 811. J. C. 58.

» elegantiamque uxoris » apud Principem ; ſive ut accenderet, ac, ſi eâdem feminâ potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Sæpe auditus eſt conſurgens e convivio Cæſaris, « ſe ire ad illam, ſibi conceſſam » dictitans « nobilitatem, » pulchritudinem, vota omnium, & gaudia felicium ». His atque talibus inritamentis, non longa cunctatio interponitur. Sed accepto aditu, Poppæa primùm per blandimenta & artes valeſcere, « imparem cupidini ſe, & formâ Neronis captam » ſimulans : mox, acri jam Principis amore, ad ſuperbiam vertens, ſi ultra unam alteramque noctem attineretur, « nuptam » eſſe ſe » dictitans, « nec poſſe matrimonium amittere, de» vinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret. Illum » animo & cultu magnificum : ibi ſe ſummâ fortunâ digna » viſere. At Neronem pellice ancillâ, & adſuetudine Actes » devinctum, nil e contubernio ſervili, niſi abjectum & ſordi» dum traxiſſe ». Dejicitur familiaritate ſuetâ, pòſt congreſſu & comitatu, Otho : & ad poſtremum, ne in Urbe æmulatus ageret [1], provinciæ Luſitaniæ præficitur : ubi uſque ad civilia arma, non ex priore infamiâ, ſed integre ſanctéque egit, procax otii, & poteſtatis temperantior.

XLVII. HACTENUS Nero flagitiis & ſceleribus velamenta quæſivit. Suſpectabat maximè [2] Cornelium Sullam, ſocors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & ſimulatorem interpretando. Quem metum Graptus, ex libertis Cæſaris, uſu & ſenectâ a Tiberio uſque domum Principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Milvius [3] in eo

[1] NE... ÆMULATUS AGERET] Meliùs, *æmulus*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 46. Suetonius in Othon. III. Poppæam Sabinam *adeò dilexit* Otho, *ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo.* Aliam adhuc æmulationis cauſam affert Dio LXI. pag. 694. Othoni enim Neronem allocuto, Sic me Cæſarem videas, reſpondit Nero, Te ne conſulem quidem videbo. Οὕτω με καίσαρα ἴδοις... Οὐδὲ ὕπατόν σε ὄψομαι.

[2] SUSPECTABAT MAXIME] Nero Cornelium Syllam, Antoniæ, Britannici ſororis, maritum, maximè ſuſpectum habebat, quòd ſocors ejus ingenium in contrarium traheret, cumque callidum & ſimulatorem eſſe interpretaretur. Vide Stemma Cæſarum, num. 107.

[3] PONS MILVIUS] Nunc periit. Æſtate adhuc videntur ejus rudera. Erat prope locum, qui nuncupatur *Torretta* ; & pluſquàm duobus millibus pedum, Orientem versùs diſtabat a ponte, qui nunc dicitur, *Ponte Molle.*

A. U. C. 811. J. C. 58.

tempore, celebris[1] nocturnis inlecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quò ſolutiùs Urbem extra laſciviret. Igitur « regredienti per viam Flaminiam[2] compoſitas inſidias, fatoque evitatas, quoniam diverſo itinere Salluſtianos in hortos[3] remeaverit, auctoremque ejus doli Sullam, ementitur: quia fortè, redeuntibus miniſtris Principis, quidam, per juvenilem licentiam, quæ tunc paſſim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque ſervorum quiſquam, neque clientium Sullæ agnitus: maximéque deſpecta, & nullius auſi capax natura ejus, a crimine abhorrebat: perinde tamen, quaſi convictus eſſet, cedere patriâ, & Maſſilienſium mœnibus[4] coërceri jubetur.

XLVIII. Iisdem conſulibus auditæ Puteolanorum[5] legationes, quas diverſas ordo plebeſque[6] ad ſenatum miſerant: illi « vim multitudinis », hi « magiſtratuum & primi » cujuſque[7] avaritiam » increpantes. Cúmque ſeditio ad ſaxa & minas ignium progreſſa, necem & arma perliceret, C. Caſſius adhibendo remedio delectus: quia ſeveritatem ejus non tolerabant, precante ipſo, ad Scribonios fratres ea cura tranſfertur, datâ cohorte prætoriâ: cujus terrore, & paucorum ſupplicio, rediit oppidanis concordia.

[1] Celebris] Sic quoque Annal. II, 88. dictum *celebris*, pro *celeber* nocturnis illecebris ac libidinibus.

[2] Viam Flaminiam] Ex hoc loco aliiſque plurimis manifeſtum eſt, ut optimè animadvertit Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. pag. 6. viam Flaminiam, non, ut vulgò creditur, ad portam *del popolo*, ſed ad portam, quæ appellatur *Pinciana*, fuiſſe directam.

[3] Sallustianos in hortos] Eorum locum obtinent horti, qui nunc dicuntur *Villa Belloni* & *Villa Veroſpi*. Cùm foderetur in villâ *Veroſpi* anno 1745, ibi repertæ egregiæ antiquitatis reliquiæ. De Salluſtio, a quo nomen accepere dictum eſt Annal. III, 30. Tunc erant Principum, ut videre eſt in Digeſt. libr. XXX. Tit. de Legatis & Fideicommiſſis. leg. 39.

[4] Massiliensium mœnibus] Nunc *Marſeille*, in Galliâ Narbonenſi.

[5] Puteolanorum] Nunc *Pozzuolo*, in Campaniâ.

[6] Ordo plebesque] Puteolanorum ordo & populus. In veteri lapide apud Capaccium, *Puteolana Hiſtoria*, pag. 6, memoratur SPLENDIDISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM. Et in alterâ inſcriptione pag. 7. PLACERE. HVIC. ORDINI. Sic infrà Hiſt. II, 52 memoratur quoque *ordo* Mutinenſis. Ille duumvirorum, decurionum ordo in coloniis ac municipiis idem erat, ac Romæ ſenatores, nec ei adſcripti niſi coloniæ aut municipii cives, qui centum millium nummûm, monetæ Gallicæ librarum 19,453, cenſum haberent. Vide Cl. Gori Inſcript. Antiq. Tom. II. pag. 192.

[7] Et primi cujusque] Sic Tullius II. in Verrem, LXVII. laudat *Centuripinum* (Centorvi *in Siciliá*) *magiſtratum & decemprimos*.

A. U. C. 811. J. C. 58.

XLIX. Non referrem vulgatiſſimum ſenatuſconſultum, quo « civitati Syracuſanorum [1] egredi numerum, edendis gla-»diatoribus finitum [2], permittebatur »; niſi Pætus Thraſea [3] contrà dixiſſet, præbuiſſetque materiem obtrectatoribus arguendæ ſententiæ. « Cur enim, ſi rempublicam egere libertate »ſenatoriâ crederet, tam levia conſectaretur? quin de bello »aut pace, de vectigalibus & legibus quibuſque aliis res Roma-»na continetur, ſuaderet diſſuaderetve? Licere patribus, quo-»tiens jus dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent, ex-»promere, relationemque in ea poſtulare. An ſolum emen-»datione dignum, ne Syracuſis ſpectacula largiùs ederentur? »Cetera per omnes imperii partes perinde egregia, quàm ſi »non Nero, ſed Thraſea regimen eorum teneret? Quòd ſi ſumma »diſſimulatione tranſmitterentur, quantò magis inanibus abſ-»tinendum »? Thraſea contrà, rationem poſcentibus amicis, «non præſentium ignarum », reſpondebat, « ejuſmodi conſulta »corrigere: ſed patrum honori dare, ut manifeſtum fieret, ma-»gnarum rerum curam non diſſimulaturos, qui animum etiam »leviſſimis adverterent ».

L. Eodem anno, crebris populi flagitationibus, immodeſtiam publicanorum [4] arguentis, dubitavit Nero « an cuncta

[1] Civitati Syracusanorum] Adhuc nomen retinet, *Syracuſe*, urbs Siciliæ clariſſima, quam eruditiſſimis operibus illuſtravere clariſſimi viri Vincentius Mirabella & Jacobus Bonanni, *Delle Antiche Siracuſe*, quos conſulas, ſi volueris, de Siracuſano theatro & amphitheatro, Tom. I pag. 77. Tom. II. pag. 97 & 101.

[2] Edendis gladiatoribus finitum] Teſte Dione LIV. pag. 522. Auguſtus *edixerat .... ne quis munus gladiatorium injuſſu ſenatûs, aut ſæpius duabus quotannis vicibus, aut plurium quàm centum & viginti gladiatorum exhiberet.* Προσαπειπὼν... μήθ' ὁπλομαχίαν, μήτ' ἄλλως εἰ μὴ ἡ βουλὴ ψηφίσαιτο, μήτ' αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν, ποιεῖν. Tiberius, lætitiæ parcus, *ludorum ac munerum impenſas* adhuc *corripuit, mercedibus ſcenicorum reciſis, paribuſque gladiatorum ad certum numerum redactis*, Sueton. in Tiber. XXXIV. Quæ fortè illuſtrat vetus inſcriptio apud Urſatum, *Monumenta Patavina*, I, 5. pag. 217. T. ANCHARIVS PRISC. FIL. AEDILIS. QVAESTOR. ADSEDENTE. PATRE. GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA. ADIECTA. VENATIONE.... LEGITIMA EDIDIT.

[3] Pætus Thrasea] Vir optimus, & egregiæ libertatis, ſæpe infrà memorandus.

[4] Immodestiam publicanorum] De eorum immodeſtiâ queritur quoque Ulpianus, Digeſt. lib. XXXIX. Tit. 4. de Publicanis & Vectigalibus. Leg. 12. *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat.* Publicanos Gallicè dicimus *les Traitans*, de quibus ingenioſiùs, quam veriùs, dixit Cl. de Monteſquieu, *Eſprit des*

A. U. C. 811. J. C. 58.

» vectigalia omitti juberet; idque pulcherrimum donum [1] generi » mortalium daret ». Sed impetum ejus, multùm priùs laudatâ « magnitudine animi », attinuere ſenatores, « diſſolutionem » imperii » docendo, « ſi fructus, quibus reſpublica ſuſtine- » retur, deminuerentur. Quippe, ſublatis portoriis [2], ſequens [3], » ut tributorum abolitio [4] expoſtularetur. Pleraſque vectiga- » lium ſocietates [5], a conſulibus & tribunis plebis conſtitutas, » acri etiam populi Romani tum libertate. Reliqua mox ita » proviſa, ut ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter » ſe congruerent. Temperandas planè publicanorum cupidines, » ne per tot annos ſine querelâ tolerata, novis acerbitatibus » ad invidiam verterent ».

LI. Ergo edixit Princeps, « ut leges cujuſque publici [6],

Loix, XIII, 20. *Tout eſt perdu lorſque la profeſſion lucrative des Traitans parvient encore par ſes richeſſes à être une profeſſion honorée.* Coërceatur quidem publicanorum immodeſtia: at eorum modeſtiam, opeſque honeſtè partas, ab honoribus ne amoveas. Sabinus, Veſpaſiani Imperatoris pater, publicanus fuit in Aſiâ. Ibi enim *publicum quadrageſimæ egit. Manebantque imagines a civitatibus ei poſitæ ſub hoc titulo* ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Id eſt, *ob publicum egregiè actum.* Sueton. in Veſpaſian. I.

[1] Pulcherrimum donum] Graviſſima nobiliſſimaque quæſtio, quam ut lector dirimat, adeat Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 50, ubi de tributis ac vectigalibus imperii Romani fuſiùs diſſeram.

[2] Sublatis portoriis] *Portoria* Romani appellabant, quæ nos vulgò dicimus *les Douanes*, *les Péages*, *&* *les Droits d'entrée.*

[3] Sequens] Conſequens eſſe.

[4] Tributorum abolitio] Tributa, nunc vulgo dicimus, *la Taille*, *la Capitation*, *Dixiemes*, *Vingtiemes*, *&c.* Vectigalia, *les Douanes*, *les Péages*, *les Droits d'entrée*, *les Droits de Gabelle*, *les Droits d'engagement*: inde vectigales agri. Videtur Neronem non agros vectigales, ſed alterâm vectigalium partem, *Douanes*, *Péages*, *Droits d'entrée*, *de Gabelle*, omitti voluiſſe, idque *pulcherrimum donum generi mortalium* datum dixiſſe Tacitum, quòd inde vires opeſque commercii intenderentur. Reſtitere ſenatores, ne *tributorum abolitio expoſtularetur*; quæ ſine imperii diſſolutione fieri non poſſet. Verè enim Ulpianus, Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 18. de Quæſtionibus. leg. 1. *In* tributis *eſſe reipublicæ nervos nemini dubium eſt.*

[5] Vectigalium societates] Ut dictum ſuprà Annal. IV, 6. *Frumenta*, *&* *pecuniæ vectigales*, *cetera publicorum fructuum*, *ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur.* Unde Tullius pro Plancio XXIII. *Huic obeſſe putas patrem publicanum: qui ordo quanto adjumento ſit in honore quis neſcit? Flos enim equitum Romanorum*, *ornamentum civitatis*, *firmamentum reipublicæ*, *publicanorum ordine continetur.* Vectigalium ſocietates luſtro finiebantur: Gallicè, *les Baux des Fermes Romaines ſe renouvelloient tous les cinq ans.* Vide Calliſtratum, Digeſt. libr. XLIX. Tit. 14. de Jure Fiſci. leg. 3.

[6] Cujusque publici] Publicum illud Gallicè dicimus *impôt.* Sic Seneca Ep. CXIX. *Jam ego paraveram fiſcos: circumſpiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem*, *quod publicum agitarem*, *quas accerſerem merces.* Edixit Nero, ut leges cujuſque vectigalis occultæ ad id tempus, in publicum proponerentur. Cl. de Monteſquieu, publicanis infenſior, odiosè nec ſatis accuratè

» occultæ

A. U. C. 811. J. C. 58.

»occultæ ad id tempus, proſcriberentur: omiſſas petitiones, »non ultra annum reſumerent. Romæ prætor [1], per provin»cias, qui pro prætore, aut conſule eſſent, jura adversùs pu»blicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas ſer»varetur, niſi in iis, quæ veno exercerent». Aliaque admodum æqua, quæ brevì ſervata, dein fruſtra habita ſunt. Manet tamen abolitio quadrageſimæ quinquageſimæque [2], & quæ alia exactionibus inlicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud tranſmarinas provincias frumenti ſubvectio [3]. Et « ne »cenſibus negotiatorum naves [4] adſcriberentur, tributumque »pro illis penderent», conſtitutum.

LII. Reos ex provinciâ Africâ, qui proconſulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum [5], & Pompo-

vertit, *Eſprit des Loix*, XIII, 19. *Néron ordonna que les loix faites contre les publicains, qui avoient été juſques-là tenues ſecrettes, ſeroient publiées ... qu'il y auroit un Préteur pour juger leurs prétentions ſans formalité.*

[1] Romæ prætor] Legem prætoris habet Ulpianus, Digeſt. libr. XXXIX. Tit. 4. de Publicanis & Vectigalibus. Leg. 1. *Prætor ait: Quod publicanus ejus publicani* (corrige *publici*) *nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum, ſi id reſtitutum non erit, in duplum, aut ſi poſt annum agetur, in ſimplum judicium dabo. Item ſi damnum, injuria, furtumve factum eſſe dicetur, judicium dabo. Si id, ad quos ea res pertinebit, non exhibebitur, in dominos ſine noxæ deditione judicium dabo.*

[2] Quadrageſimæ quinquageſimæque] Hæc eſt quadrageſima litium, ut rectè monuit eruditus Cujacius, Obſervat. VI, 28. probatque Cl. Petr. Burmannus, Diſſert. de Vectigalibus cap. 5. pag. 87. Quinquageſima aliæque exactiones citæ, vel, Claudio imperitante, repertæ, vel ex Caii principatu remanſerant, de quo Suetonius in Caio XI. *Vectigalia nova atque inaudita ...exercuit. Nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis quæ totâ Urbe venirent, certum ſtatumque exigebatur. Pro litibus, atque judiciis ubicunque conceptis quadrageſima ſummæ, de quâ litaretur, .. Ex gerulorum, diurnis quæſtibus pars octava &c.* Alia erat quadrageſima mercium, de quà Quintilianus, Declamation. CCCLIX. *Præter inſtrumenta itineris omnes res quadrageſimam publicano debeant.* Hanc minimè abolevit Nero: remiſit quidem Galba, ut conſtat ex ejus nummis QVADRAGENS. REMISSAE. Id eſt *Quadrageſimæ remiſſæ.* Sed non penitus ſuſtulit. Poſtea ſæpe occurrit in ſcriptoribus: meminit quoque Symmachus Epiſt. V, 62 & 63. Vide Cl. Burmannum, libr. cit. pag. 86. De quinquageſimâ adhuc dicetur in Notis & Emendationibus ad Annal. XIII, 51.

[3] Frumenti subvectio] In Urbem, ad caſtra, in horrea publica frumentum ſubvehebant provinciæ tranſmarinæ: quod temperatum, nec ita aſpere exercitum. Hac in re quot, quámque nefaria in quæſtum reperta vide apud ipſum Tacitum in Vit. Agric. XIX.

[4] Negotiatorum naves] Ne negotiatorum, qui annonam Urbis adjuvabant, naves in tabulas cenſuum referrentur, tributumque pro illis penderetur. Vide quæ de his mercatoribus & naviculariis jam obſervavimus ſuprà Annal. XII, 55. not. 4.

[5] Sulpicium Camerinum] Quem, ex Urbis primoribus ἄνδρα τῶν πρώτων, a Nerone cum filio poſtea interfectum memorat Dio LXIII. pag. 723. Noſ-

A. U. C. 811. J. C. 58.

nium Silvanum, abſolvit Cæſar: Camerinum adversùs privatos & paucos, ſævitiæ magis quàm captarum pecuniarum crimina objicientes. Silvanum magna vis accuſatorum circumſteterat, poſcebatque « tempus evocandorum teſtium » : reus « illico defendi » poſtulabat. Valuitque pecunioſâ orbitate & ſenectâ, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaſerat.

LIII. Quietæ ad id tempus res in Germaniâ fuerant, ingenio ducum, qui, pervulgatis triumphi inſignibus, majus ex eo decus ſperabant, ſi pacem continuaviſſent. Paullinus Pompeius, & L. Vetus [1], eâ tempeſtate exercitui præerant. Ne tamen ſegnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos [2] a Druſo aggerem coërcendo Rheno, abſolvit : Vetus Moſellam atque Ararim [3], factâ inter utrumque foſsâ, connectere parabat, ut copiæ per mare [4], dein Rhodano & Arare ſubvectæ, per eam foſſam, mox fluvio Moſellâ, in Rhenum, exin Oceanum decurrerent; ſublatiſque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis Septemtrioniſque litora fierent. Invidit operi Ælius Gracilis, Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, « ne legiones alienæ provinciæ [5] » inferret, ſtudiaque Galliarum adfectaret : formidoloſum id » Imperatori » dictitans; quo plerumque prohibentur conatus honeſti.

que diximus in Supplemento Annal. XVI, 55. Vide & Plinium, Epiſt. I, 5.

[1] PAULLINUS POMPEIUS, ET L. VETUS] Paullinus Germaniæ inferiori, Vetus ſuperiori præerat.

[2] ANTE TRES ET SEXAGINTA ANNOS] Mortuus eſt Druſus anno U. C. DCCXLV. Ergo anno U. C. DCCCVIII. aggerem abſolverat Paullinus. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 53. Antea foſſam fecerat Druſus, de quâ dictum Annal. II, 8. Cùm adhuc, ob arenarum cumulos, eruptionem in Gallias minitaretur Rhenus, inchoavit Druſus aggerem, quo frenarentur aquæ, & in Druſianam foſſam molliùs flecterentur. Agger ille erat ad oppidum Doreſtadium, *Wich Durſtede.* Eum diruit, Rhenumque per Gallias effudit Civilis, ut dicerur infrà Hiſt. V, 19. Vide Cl. Alting, Notit. Germaniæ Inf. Part. I. pag. 3. & Parte alterâ, pag. 44.

[3] MOSELLAM ATQUE ARARIM] Moſella, *la Moſelle*: Arar, *la Saone*: Rhodanus, *le Rhoſne.* Maris Mediterranei & Oceani commercia, toties tentata, ſemper omiſſa, ingentibus impenſis, ſed majore gloriâ fecit LUDOVICUS MAGNUS. Quod opus omnino regium dicimus *le Canal Royal*, vel *le Canal de Languedoc.*

[4] PER MARE] Mediterraneum.

[5] ALIENÆ PROVINCIÆ] Belgicæ ſcilicet : ut Moſellam & Ararim, ductâ inter duos illos fluvios foſſâ, conjungeret,

A. U. C. 811. J. C. 58.

LIV. Ceterùm continuo exercituum otio, fama inceſſit, ereptum jus legatis ducendi in hoſtem. Eóque Friſii [1] juventutem ſaltibus aut paludibus, imbellem ætatem per lacus admovêre ripæ [2], agroſque vacuos, & militum uſui ſepoſitos, inſedêre, auctore Verrito & Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur [3]. Jamque fixerant domos, ſemina arvis intulerant, utque patrium ſolum exercebant; cùm Vibius Avitus [4], acceptâ a Paullino provinciâ [5], minitando « vim Romanam, niſi abſcederent Friſii veteres in »locos, aut novam ſedem a Cæſare impetrarent», perpulit Verritum & Malorigem preces ſuſcipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quæ barbaris oſtentantur, intravere Pompeii theatrum [6], quo magnitudinem populi viſerent. Illic per otium (neque enim ludicris [7] ignari oblectabantur) dum « conſeſſum caveæ, diſ»crimina ordinum, quis eques, ubi ſenatus» percunctantur, advertêre quoſdam cultu externo in ſedibus ſenatorum [8] : & « quinam forent» rogitantes, poſtquam audiverant, « earum

[1] Frisii] Oram maris Rhenum inter & Amiſiam habitabant.

[2] Ripæ] Rheni, inter *Weſel* & *Duſſeldorf.*

[3] In quantum Germani regnantur] Nempe cum libertate plurimâ. Vide infrà de Moribus German. XI.

[4] Vibius Avitus] Videtur idem eſſe de quo Plinius XXXIV, 7. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIII, 54. Ac poſt tot bella, Julii Cæſaris rapinas, immenſa tributa, adhuc ſuperſtites Gallorum opes, quibus noſtræ vix nunc ſufficiant, mirare.

[5] A Paullino provincia] Germaniâ inferiore.

[6] Pompeii theatrum] De quo dicentur plura Annal. XIV, 20.

[7] Ludicris] Ludis operiſque theatricis.

[8] Cultu externo in sedibus senatorum] Id accidiſſe ſub Claudii principatu ſcribit Suetonius in Claud. XXV. *Germanorum legatis in orcheſtrâ ſedere permiſit, ſimplicitate eorum & fiduciâ motus, quod in popularia deducti, cùm animadvertiſſent Parthos & Armenios ſedentes in ſenatu, ad eadem loca ſponte tranſierant, nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem ſuam prædicantes.* Ni fortè id ſub utroque Imperatore contigerit. Libentius tamen Tacito aſſentiar. Id olim virtuti & amicitiæ Romanæ datum, illuſtri exemplo docet Juſtinus XLIII, 5. *Urbem Romanam a Gallis captam, incenſamque ... publico funere Maſſilienſes proſecuti ſunt : aurumque & argentum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemptam pacem cognoverant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorum in ſenatu datus, & fœdus æquo jure percuſſum.* Anno U. C. DCCX, idem honoris, Hyrcano ejus liberis ac legatis tribuit dictator Julius Cæſar, teſte Joſepho, Antiq. Judaic. XIV, 10. Hac urbanitate, reipublicæ magis quàm Imperio decorâ, abſtinuit Auguſtus, & *Romæ legatos liberarum ſociarumque gentium vetuit in orcheſtrâ conſidere*, Sueton. in Aug. XLIV.

A. U. C. 811. J. C. 58.

»gentium legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitiâ »Romanâ præcellerent, NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT »FIDE ANTE GERMANOS ESSE», exclamant, degrediunturque, & inter patres conſidunt : quod comiter a viſentibus exceptum, quaſi impetûs antiqui, & bonâ æmulatione. Nero civitate Romanâ ambos donavit. «Friſios decedere agris» juſſit. Atque illis adſpernantibus, auxiliaris eques repentè immiſſus, neceſſitatem attulit, captis cæſiſve, qui pervicaciùs reſtiterant.

LV. EOSDEM agros [1] Anſibarii [2] occupavere, validior gens [3], non modo ſuâ copiâ, ſed adjacentium populorum miſeratione : quia pulſi a Chaucis, & ſedis inopes, tutum exſilium orabant. Aderatque iis clarus per illas gentes, & nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, « vinctum ſe rebellione »Cheruſcâ [4], juſſu Arminii », referens; « mox Tiberio & Ger»manico [5] ducibus, ſtipendia meruiſſe; & quinquaginta an»norum [6] obſequio id quoque adjungere, quòd gentem ſuam »ditioni noſtræ ſubjiceret. Quotam partem campi [7] jacere, »in quam pecora & armenta militum aliquando tranſmitte»rentur? Servarent ſanè receptos gregibus, inter hominum »famam; modò ne vaſtitatem & ſolitudinem mallent, quàm »amicos populos. Chamavorum quondam [8] ea arva, mox

[1] EOSDEM AGROS] In ripâ Rheni inter *Weſel* & *Duſſeldorf*.

[2] ANSIBARII] Quos, antequam a Chaucis pellerentur, Amiſiam inter & Viſurgim, Chaucis & Angrivariis interjectos medioſque fuiſſe opinatur Cl. Spener, Notit. Germ. Antiq. IV, 3. pag. 281.

[3] VALIDIOR GENS] Non validior omnibus Friſiis, ſed iis tantùm qui agros in Rheni ripâ occupaverant.

[4] REBELLIONE CHERUSCA] Quâ periit Varus, ut dictum ſæpe Annal. I & II.

[5] TIBERIO ET GERMANICO] Miſſis ut Varianam cladem ulciſcerentur.

[6] QUINQUAGINTA ANNORUM] Rotundè dictum. Variana enim clades contigit anno U. C. DCCLXII. Vel etiam anno U. C. DCCLXIII, ut eruditè probat Cl. Gibert, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVII. pag. 71 & ſeqq.

[7] QUOTAM PARTEM CAMPI] Quò tantam partem campi ſeponere, in quam pecora & armenta militum aliquando tranſmitterentur? Servarent ſanè campos, *receptos*, ſeu ſepoſitos, *gregibus*, *intra hominum famam*, id eſt, iis tantùm in regionibus, quas habitarent milites. At ne vaſtitatem & ſolitudinem mallent, quàm amicos populos.

[8] CHAMAVORUM QUONDAM] Fuiſſe quoque Menapiorum videtur ex Cæſare de Bello Gall. IV, 4. Unde fortè pro *Chamavorum* emendandum *Menapiorum* cenſet Cl. Spener, Notit. German. Antiq. pag. 245. Sic quoque pro *Tubantum* conjectabat *Sugambrorum* Cluverius. At in tot ac tantis populorum

»Tubantum, & pòſt Uſipiorum fuiſſe. Sicuti cælum diis, ita terras »generi mortalium datas: quæque vacuæ [1], eas publicas eſſe». Solem deinde reſpiciens, & cetera ſidera vocans, quaſi coram interrogabat, «vellentne contueri inane ſolum? potiùs mare »ſuperfunderent adversùs terrarum ereptores.

A. U. C. 811. J. C. 58.

LVI. Et commotus his Avitus «patienda meliorum »imperia. Id diis, quos implorarent, placitum [2], ut arbitrium »penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent; neque »alios judices, quàm ſeipſos paterentur». Hæc in publicum Anſibariis reſpondit; ipſi Boiocalo, «ob memoriam amicitiæ »daturum agros»: quod ille, ut proditionis pretium, aſpernatus addidit: «Deeſſe nobis terra, in quâ vivamus; in quâ »moriamur, non poteſt»: atque ita, infenſis utrimque animis, diſceſſum. Illi Bructeros, Tencteros [3], ulteriores etiam nationes ſocias bello vocabant. Avitus, ſcripto ad Curtilium Manciam [4] ſuperioris exercitûs legatum, «ut Rhenum tranſ»greſſus, arma a tergo oſtenderet»; ipſe legiones in agrum Tencterûm [5] induxit, excidium minitans, niſi cauſam ſuam diſſociarent. Igitur abſiſtentibus his, pari metu exterriti Bructeri; & ceteris quoque aliena pericula deſerentibus, ſola Anſibariorum gens retro ad Uſipios & Tubantes [6] conceſſit: quorum terris exacti, cùm Cattos, dein Cheruſcos petiſſent, errore longo, hoſpites, egeni, hoſtes, in alieno, quod juventutis erat, cæduntur. Imbellis ætas in prædam diviſa eſt.

LVII. Eadem æſtate, inter Hermunduros Cattoſque

mutationibus vix quid certi definiri poteſt. De Uſipetibus, vel Uſipiis, jam dictum ſuprà Annal. I, 51. Plura dicentur infrà de Moribus German. cap. 32 & 33.

[1] Quæque vacuæ] At vacuæ minimè erant, quæ paſcendis pecoribus & armentis militum ſerviebant, ut rectè obſervat Grotius, de Jure Belli & Pacis II, 2. num. 17. Juſtaque Romanis negandi cauſa.

[2] Placitum] Sic Virgilius, Æneid. VI, 851.

Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes; paciſque imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

[3] Bructeros Tencteros] Vicinos Anſibariis populos, de quibus plura infrà de Moribus German. cap. 32 & 33.

[4] Curtilium Manciam] Qui L. Veteri in Germaniâ ſuperiore ſucceſſerat.

[5] In agrum Tencterum] Circa Lupiam, *la Lippe*, & Ruram, *Ruhr*, fluvios.

[6] Ad Usipios et Tubantes] De quibus jam dictum Annal. I 51.

A. U. C. 812. J. C. 58.

certatum magno prœlio, dum flumen [1], gignendo ſale fecundum, & conterminum, vi trahunt; ſuper libidinem cuncta armis agendi, religione inſitâ, « eos maximè locos propinquare » cælo, preceſque mortalium a deis nuſquam propiùs audiri. » Inde indulgentiâ numinum, illo in amne, illiſque ſilvis [2], » ſalem provenire, non, ut alias apud gentes, eluvie maris areſ- » cente, ſed undâ ſuper ardentem arborum ſtruem fusâ, ex » contrariis inter ſe elementis, igne atque aquis concretum ». Sed bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitioſius fuit, quia « victores diverſam aciem Marti ac Mercurio [3] » ſacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur. Et minæ quidem hoſtiles in ipſos vertebant. Sed civitas Juhonum [4], ſocia nobis, malo improviſo adflicta eſt. Nam ignes terrâ editi [5], villas, arva, vicos, paſſim corripiebant, ferebanturque in ipſa conditæ nuper Coloniæ mœnia: neque exſtingui

[1] Dum flumen] Flumen Salam, nunc quoque *Sala*. In Hermunduris oritur, haud procul urbe *Egra*, & in Albim influit. Adjacere ei Kiſſingam, prope quam adhuc ſal excoquitur, teſtis eſt Cl. Eccardus, de Origine Germanorum, pag. 341.

[2] In amne, illisque silvis] Hæc illuſtrat Plinius XXXI, 7. *Galliæ Germaniæque ardentibus lignis aquam ſalſam infundunt .... Quercus optima, ut quæ per ſe cinere ſincero vim ſalis reddat: alibi Corylus laudatur: ita infuſo liquore ſalſo carbo etiam in ſalem vertitur. Quicumque ligno confit ſal, niger eſt.* Varro quoque, de Re Ruſtic. I, 7. *In Galliâ tranſalpinâ intus ad Rhenum, cùm exercitum ducerem, aliquot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur; ubi agros ſtercorarent candidâ foſſiciâ cretâ: ubi ſalem, nec foſſicium, nec maritimum haberent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo uterentur.*

[3] Marti ac Mercurio] Deorum illorum cultum teſtantur plurima Germanorum monumenta. Sed de his plura in libro de Moribus German. IX.

[4] Civitas Juhonum] Juhones habitaſſe inter Radantiam, *Redniz*, & Mœnum, *le Mein*; coloniam nuper conditam eſſe Norimbergam, *Nuremberg*, vel Forchemium, *Forcheim*, opinatur Cl. Eccardus, de Germanorum origine, pag. 343. Veteriſque *Juhonum* nominis memoriam exſtare in caſtro *Giech*, & in vicino monte *Gickel*. Contra verò Alting, Notit. German. Inf. Antiq. pag. 83. & Spener, Notit. German. Antiq. pag. 215. contendunt nullam fuiſſe unquam civitatem *Juhonum*, nullam coloniam, nullos *Juhones*: ſed pro *Juhonum* emendandum eſſe *Ubiorum*, quorum coloniam nuper conditam vidimus, Annal. XII, 27. Certè valde dubium eſt *Juhonum* nomen. Nam in Mſſ. Flor. Agr. & Guelf. Harl. Jeſ. ſcriptum, *Vibonum*, In Mſ. Reg. & Editione principe *Jubionum*. In Mſ. Bodl. *Jubonum*. Puteolanus primus edidit *Juhonum*. Perperam tentavit Ryckius *Æduorum*. Haud feliciores, qui *Juhones* in Friſiis locavere.

[5] Ignes terra editi] Tales ignes olim in Lemno inſulâ, ætate ſuâ in agro Ebroicenſi, *le territoire d'Evreux*, fuiſſe ſcribit illuſtriſſimus Huetius. Sæpius recentiúſque, annis nempe 1706, 1717, 1724 & 1754, in agro Tarviſino, vulgò Italis *Marca Trivigiana*, exarſere. Vide Cl. Zaccharia, *Storia letteraria d'Italia* Vol. IX. pag. 482.

poterant; non ſi imbres caderent, non fluvialibus aquis, aut quo alio humore: donec inopiâ remedii, & irâ cladis, agreſtes quidam eminus ſaxa jacere, dein, reſidentibus flammis, propiùs ſuggreſſi, ictu fuſtium, aliiſque verberibus, ut feras abſterrebant: poſtremo tegmina corpori derepta injiciunt, quantò magis profana, & uſu polluta, tantò magis oppreſſura ignes.

A. U. C. 811. J. C. 53.

LVIII. Eodem anno Ruminalem arborem [1] in comitio, quæ octingentos & quadraginta ante annos [2] Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & areſcente trunco deminutam, prodigii loco habitum eſt, donec in novos fetus revireſceret.

[1] Ruminalem arborem] Ficum, dictam *Ruminalem*, quòd Veteres mammam dicerent *rumam*, vel *rumin*. Comitium verò pars erat fori Romani. Rem totam fusè explicat Plinius XV, 18. *Colitur ficus arbor in foro ipſo ac Comitio Romæ nata, ſacro fulguribus ibi conditis: magiſque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris appellata: quoniam ſub eâ inventa eſt lupa inſantibus præbens rumen, (ita vocabant mammam:) miraculo ex ære juxtà dicato, tamquam in comitium ſponte tranſiſſet, Atto Navio augure. Illic areſcit: rurſuſque curâ ſacerdotum ſeritur. Fuit & ante Saturni ædem, Urbis anno* CCLX. *ſublata, ſacro a Veſtalibus facto, cum Silvani ſimulacrum ſubverteret.* Videtur ex Plinii verbis, dum vetus arbor areſceret alias fuiſſe ſatas; & ſervatum ſemper nomen *Ruminalis*, vel *Romularis* arboris. Ejus quoque truncum celebrat Ovidius Faſt. II, 408.

Arbor erat; remanent veſtigia: quæque vocatur
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

Arte potiùs Navii auguris, quàm ſponte, a Germalo in Comitium tranſlatam crede. De Germalo, ficuque ruminali, vide Varronem de Ling. Lat. IV, pag. 16. Livium I, 4. & X. 23.

[2] Octingentos et quadraginta ante annos] Vel juxta Tacitum Romulus Remuſque annos XXVIII erant nati, cùm Urbem condidere: vel librarii errarunt in numeris & *quadraginta* pro *triginta* ſcripſere. Vulgatum enim apud ceteros auctores Romulum & Remum anno ætatis ſuæ octavo & decimo Urbem condidiſſe.

BREVIARIUM

BREVIARIUM

LIBRI DECIMI QUARTI.

I. *Nero, flagrantior in dies amore Poppææ, Agrippinam, matrem ſuam, interficit.* XI. *Literas ad ſenatum mittit, quibus factum excuſat.* XII. *Decernuntur ſupplicationes. Thraſea, fœditatis impatiens, exit ſenatu.* XIII. *In omnes libidines ſe effundit Nero.* XVII. *Atrox cædes inter colonos Nucerinos & Pompeianos.* XVIII. *Res Cyrenenſium. Mortes inluſtres.* XX. *Quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum.* XXII. *Rubellius Plautus amovetur.* XXIII. *Corbulo in Armeniâ ſtrenuè rem gerit: captis Tigranocertis, regem imponit Tigranen.* XXVII. *Laodicea, tremore terræ prolapſa, propriis opibus revaluit. Coloniarum infrequentiæ malè conſultum.* XXVIII. *Comitia prætorum compoſita.* XXIX. *Gravis clades in Britanniâ accepta, dum Suetonius Paullinus Monam inſulam adgreditur: tota pæne provincia amiſſa; quam tamen mirâ conſtantiâ & unius prœlii ſucceſſu Suetonius retinuit.* XL. *Inſignia ſcelera. Præfectum Urbis ſervus ipſius interficit: Supplicium de familiâ ſumptum.*

XLVI. *Tarquitius Priſcus damnatur. Cenſus per Gallias acti.* XLVII. *Mors Memmii Reguli. Gymnaſium dedicatum.* XLVIII. *Lex Majeſtatis revocata.* LI. *Graveſcentibus publicis malis, vitâ conceſſit Burrus.* LII. *Morte Burri infracta Senecæ potentia: ut criminantium invidiæ occurrat, Neronem adloquitur: ſubdolè reſpondet Princeps.* LVII. *Validior in dies Tigellinus.* LVIII. *Plautum & Sullam interfici curat.* LX. *Nero Octaviam exturbat: Poppææ conjungitur. Seditionem ſuper eâ re populus movet: inde maturatur Octaviæ exitium. In Pandatariâ inſulâ interficitur.*

Geſta hæc annis circiter quatuor.

A. U. C.	J. C.		
DCCCXII.	59.	*Coſſ.*	C. Vipstano Aproniano, L. Fonteio Capitone.
DCCCXIII.	60.	*Coſſ.*	Nerone Claudio Cæſare IV, Cosso Cornelio Lentulo.
DCCCXIV.	61.	*Coſſ.*	Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano.
DCCCXV.	62.	*Coſſ.*	P. Mario Celſo, L. Asinio Gallo.

C. CORNELII
TACITI
ANNALES.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

A. U. C. 812. J. C. 59.

Caio Vipſtano, Fonteio conſulibus[1], diu meditatum ſcelus non ultrà Nero diſtulit, vetuſtate imperii coalitâ audaciâ, & flagrantior in dies amore Poppææ[2], quæ, ſibi matrimonium, & diſcidium Octaviæ[3], incolumi Agrippinâ[4], haud ſperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incuſaret Principem, & « pupillum » vocaret, « qui juſſis alienis[5] obnoxius, non » modò imperii, ſed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri » nuptias ſuas? formam ſcilicet diſplicere, & triumphales » avos[6]? An fecunditatem, & verum animum[7]? timeri, ne uxor » ſaltem injurias patrum, iram populi adversùs ſuperbiam

[1] Fonteio consulibus] Caius Vipſtanus Apronianus & L. Fonteius Capito conſules fuêre anno Urbis conditæ DCCCXII. Jeſu Chriſti 59.

[2] Poppææ] De quâ ſuprà Annal. XIII, 45.

[3] Octaviæ] Neronis conjugis. Vide Stemma Cæſarum, num. 36.

[4] Incolumi Agrippina] Neronis matre. Stemma Cæſarum, num. 93.

[5] Jussis alienis] Matris ſuæ Agrippinæ.

[6] Triumphales avos] Poppæum Sabinum, Poppææ avum maternum, conſularem & triumphali decore præfulgentem vidimus Annal. XIII, 45. Modicus quidem erat originis, ſed Principibus gratus *nullam ob eximiam artem*, *ſed quòd par negotiis*, *neque ſuprà erat*, Annal. VI, 39. Vide & Dionem LIII. pag. 637.

[7] Et verum animum] Diſplicere-ne fecunditatem meam, & meum animum, verum, ac diſſimulare neſcium? timeri ab Agrippinâ, ne injurias patrum, iram populi adversùs ſuperbiam & avaritiam ſuam uxor ſaltem aperiat. Hæc plana ſunt, & ab interpretibus tamen variè exagitata. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 1.

A. U. C. 812. J. C. 59.

»avaritiamque matris aperiat. Quòd ſi nurum Agrippina, non »niſi filio infeſtam, ferre poſſet, reddatur ipſa Othonis con»jugio [1] : ituram quoquò terrarum, ubi audiret potiùs contu»melias Imperatoris, quàm viſeret, periculis ejus immixta». Hæc atque talia, lacrimis & arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat; cupientibus cunctis infringi matris potentiam, & credente nullo, uſque ad cædem ejus duratura filii odia.

II. Tradit Cluvius [2], «ardore retinendæ Agrippinam »potentiæ eò uſque provectam, ut medio diei [3], cùm id tem»poris Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerret ſe ſæ»pius temulento comptam, & inceſto paratam. Jamque laſciva »oſcula, & prænuntias flagitii blanditias, adnotantibus pro»ximis; Senecam contra muliebres inlecebras ſubſidium a fe»minâ petiviſſe : immiſſamque Acten [4] libertam, quæ, ſimul »ſuo periculo, & infamiâ Neronis anxia, deferret, pervul»gatum eſſe inceſtum, gloriante matre; nec toleraturos milites »profani Principis imperium». Fabius Ruſticus [5], «non Agrip»pinæ, ſed Neroni cupitum id» memorat, «ejuſdemque li»bertæ aſtu disjectum». Sed quæ Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere; & fama huc inclinat, ſeu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, ſeu credibilior novæ libidinis meditatio in eâ viſa eſt, quæ puellaribus annis ſtuprum cum Lepido [6], ſpe dominationis, admiſerat, pari cupidine uſque ad libita Pallantis [7] provoluta, & exercita ad omne flagitium patrui nuptiis [8].

1 Othonis conjugio] De quo ſuprà Annal. XIII, 45 & 46.

2 Cluvius] Hiſtoriæ ſcriptor, jam memoratus Annal. XIII, 20.

3 Medio diei] Serò epulabantur Romani; at Juvenis temulentus & Princeps medio diei per vinum & epulas incaleſcebat. Sueton. in Ner. XXVII. *Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat.*

4 Immissamque Acten] Famoſam meretricem, de quâ dictum Annal. XIII, 12.

5 Fabius Rusticus] Hiſtoricus, qui Senecæ amicitiâ floruit, Annal. XIII, 20. Fabio conſentit Suetonius in Ner. XXVIII.

6 Cum Lepido] Cum Æmilio Lepido, Druſillæ marito, cujus ſtupra memorat Dio LIX. pag. 657. Nos ejus fata diximus in Supplemento Annal. VIII, 27. Vide & Stemma Cæſarum, num. 54.

7 Libita Pallantis] Imperatori Claudio a rationibus fuerat Pallas, & velut regni arbiter; de quo ſæpe actum eſt libris ſuperioribus.

8 Patrui nuptiis] Claudii, Agrippinæ patrui. Inceſtas illas nuptias vidimus Annal. XII, 3 & ſeqq.

A. U. C. 812. J. C. 59.

III. Igitur Nero vitare ſecretos ejus congreſſus : abſcedentem in hortos, aut Tuſculanum [1], vel Antiatem in agrum [2], laudare, « quòd otium laceſſeret ». Poſtremò, ubicumque haberetur, prægravem ratus, interficere conſtituit : hactenus conſultans, « veneno, an ferro, vel quâ aliâ vi ». Placuitque primò venenum. Sed inter epulas Principis ſi daretur, referri ad caſum non poterat, tali jam Britannici exitio ; & miniſtros tentare arduum videbatur mulieris, uſu ſcelerum adversùs inſidias intentæ : atque ipſa præſumendo remedia munierat corpus. Ferrum & cædes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; &, ne quis, illi tanto facinori delectus, juſſa ſperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, claſſi apud Miſenum [3] præfectus, & pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ inviſus. Ergo « navem poſſe com» poni » docet [4], « cujus pars, ipſo in mari per artem ſoluta, ef» funderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum, quàm mare; » & ſi naufragio intercepta ſit, quem adeò iniquum, ut ſceleri

[1] Tusculanum] Tuſculum, nunc *Fraſcati.*

[2] Antiatem in agrum] Antium, nunc *Torre d'Anzo.*

[3] Apud Misenum] Nunc *Capo di Miſeno.* De claſſe dictum Annal. IV, 5.

[4] Componi docet] Ipſum inventionis crimen in Neronem trahit Suetonius, horrenda magis, quàm vera, dicere curioſior, in Ner. XXXIV. *Cùm veneno* matrem *ter tentaſſet* Nero, *ſentiretque antidotis præmunitam : lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem, laxatâ machinâ, deciderent, paravit. Hoc conſilio per conſcios parum celato, ſolutilem navem, cujus vel naufragio, vel cameræ ruinâ periret, commentus eſt. Atque in reconciliatione ſimulatâ jucundiſſimis literis Baias evocavit ad ſolennia Quinquatrium : datoque negotio trierarchis, qui Liburnicam, quâ advecta erat, velut fortuito concurſu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Baulos in locum corrupti navigii, machinoſum illud obtulit : hilarè proſecutus, atque in digreſſu papillas quoque exoſculatus, reliquum temporis cum magnâ trepidatione vigilavit, cæptorum operiens exitum. Sed ut diverſa omnia, nandoque evaſiſſe eam, comperit, inops conſilii, Lucium Agerinum, libertum ejus, ſalvam & incolumem cum gaudio nuntiantem, abjecto clam juxtà pugione ut percuſſorem ſibi ſubornatum arripi conſtringique juſſit, matremque occidi : quaſi deprehenſum crimen voluntariâ morte vitaſſet. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus ; ad viſendum interfectæ cadaver accurriſſe, contrectaſſe membra, alia vituperaſſe, alia laudaſſe, ſitique interim obortâ bibiſſe. Neque tamen ſceleris conſcientiam, quamquam & militum & ſenatûs populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut umquam poſtea ferre potuit : ſæpe confeſſus exagitari ſe maternâ ſpecie, verberibus Furiarum, ac tedis ardentibus. Quin & facto per magos ſacro, evocare Manes, & exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleuſiniis ſacris, quorum initiatione impii & ſcelerati voce præconis ſubmoverentur, intereſſe non auſus eſt.* Hæc, longiora licèt, minimè erant omittenda, cùm iis Corneliana narratio maximè niteat, illuſtrique exemplo pateat quantum ſit in ejus Annalibus artis, quantum diligentiæ & acuminis.

A. U. C. 812. J. C. 59.

»adſignet, quod venti & fluctus deliquerint? Additurum »Principem defunctæ templum, & aras, & cetera oſtentandæ »pietati».

IV. Placuit ſolertia, tempore etiam juta, quando Quinquatruum [1] feſtos dies apud Baias [2] frequentabat. Illuc matrem elicit, « ferendas parentum iracundias, & placandum animum » dictitans, quò rumorem reconciliationis efficeret, acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc, obvius in litora (nam Antio adventabat) excipit manu & complexu, ducitque Baulos [3]: id villæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter & Baianum lacum [4] flexo mari alluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur. Quippe ſueverat triremi, & claſſiariorum remigio vehi. Ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur. Satis conſtitit exſtitiſſe proditorem, & Agrippinam, auditis inſidiis, an crederet ambiguam, geſtamine ſellæ Baias pervectam [5]. Ibi blandimentum ſublevavit metum, comiter excepta, ſuperque ipſum [6] collocata. Nam pluribus ſermonibus, modò familiaritate juvenili Nero, & rurſus adductus [7] quaſi ſeria conſociaret, tracto in longum convictu, proſequitur abeuntem arctiùs oculis & pectori hærens [8]; ſive explendâ ſimulatione, ſeu perituræ matris

[1] Quinquatruum] Quinquatrus in honorem Minervæ celebrabantur die decimâ nonâ Martii. In vetere Kalendario XIV KAL. APRILIS. QVINQVATRIA. Nempe quinque diebus ſacra. Ovid. Faſt. III, 713.

Tertia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.

Et Verſ. 810.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro.
Cauſa, quòd eſt illâ nata Minerva die.
Altera, treſque ſuper ſtratâ celebrantur arenâ.
Enſibus exſertis bellica læta Dea eſt.

[2] Apud Baias] Baiæ nomen retinent, *Baja*. Sed maximâ ſui parte mari immerſæ. Vide Capaecium, Hiſtoria Neapolitana, II, 23. pag. 698.

[3] Ducitque Baulos] Olim Hortenſii villam, deinde Antoniæ; Hortenſii piſcinâ percelebrem: unde manet adhuc nomen, *Peſchiera d'Ortenſio*. Vide Plinium IX, 55. & Varronem, de Re Ruſticâ III, 17. Plura adhuc & curioſa reperies apud Capaecium, Hiſtoria Neapolitana, II, 22. pag. 687. Ibi fuiſſe *diverſorium vitiorum* Romanorum te docebit Seneca Ep. LI.

[4] Baianum lacum] Lacus ille erat inter Baulos & Baias. Totus periit, ut ſtagna plurima. Vide Cluverium, Ital. Antiq. IV, 2. pag. 1124.

[5] Baias pervectam] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 4.

[6] Superque ipſum] Honoris causâ; & ut filius matrem venerari videretur.

[7] Adductus] Id eſt, ad gravitatem compoſitus. Sic *adductiùs* dictum pro ſeveriùs, Hiſt. III, 7.

[8] Pectori hærens] Extrema Nero-

A. U. C. 812. J. C. 59.

ſupremus aſpectus, quamvis ferum animum retinebat.

V. Noctem ſideribus inluſtrem [1], & placido mari quietam, quaſi convincendum ad ſcelus, dii præbuere. Nec multùm erat progreſſa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus: ex quîs Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adſtabat; Acerronia [2], ſuper pedes cubitantis reclinis, « pænitentiam filii, & reciperatam matris gratiam », per gaudium memorabat: cùm dato ſigno, ruere tectum loci [3] multo plumbo grave; preſſuſque Crepereius, & ſtatim exanimatus. Agrippina & Acerronia eminentibus lecti parietibus [4], ac fortè validioribus, quàm ut oneri cederent, protectæ ſunt: nec diſſolutio navigii ſequebatur, turbatis omnibus, & quòd plerique ignari, etiam conſcios impediebant. Viſum dehinc remigibus, « unum in latus inclinare, atque ita navem ſub» mergere ». Sed neque ipſis promptus in rem ſubitam conſenſus; & alii, contrà nitentes, dedêre facultatem lenioris in mare jactûs. Verum Acerronia imprudens [5], dum « ſe Agrip» pinam eſſe, utque ſubveniretur matri Principis », clamitat, contis & remis, & quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina ſilens, eóque minùs agnita, unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde occurſu lenunculorum [6], Lucrinum in lacum [7] vecta, villæ ſuæ [8] infertur.

VI. Illic reputans, ideo ſe fallacibus literis accitam, &

nis ad matrem verba retulit Dio LXI. pag. 695. *πρὸς τὸ ϛέρνον προσαγαγὼν, καὶ φιλήσας καὶ τὰ ὄμματα καὶ τὰς χεῖρας, Μῆτέρ τε, εἰπὼν, ἔῤῥωσό μοι καὶ ὑγίαινε· ἐν γάρ σοι κ᾽ ἐγὼ ζῶ, κ᾽ διά σε βασιλεύω.* Agrippinam *pectori admovet, ejuſque oculos & manus exoſculatus, dixit: Vale mihi, mater, ac ſalva eſto. In te vivo, per te regno.*

[1] Noctem sideribus inlustrem] Bene quidem. Hoc enim anno dies XIX Martii, erat quoque dies XIX lunæ.

[2] Acerronia] Dioni LXI. pag. 695. dicitur Ἀκεῤῥωνία Πώλλα.

[3] Tectum loci] Tectum cameræ, ut loquitur Suetonius loc. ſuprà cit.

[4] Eminentibus lecti parietibus] Parietes, ſeu tria lecti lignea latera, Agrippinam cubitantem & Acerroniam ſuper ejus pedes reclinem protexere. Quæ facilè intelliges, ſi veteris lecti formam inſpexeris, inter Admiranda Romanorum Antiquitatum a Petro Sancti Bartolo delineatam. Fol. 72.

[5] Imprudens] Et perfida, quæ vitam, quam proditione ſervatam volebat, meritò amiſit.

[6] Lenunculorum] Navigiolorum. Gallicè dicimus *des Barques.*

[7] Lucrinum in lacum] Hodieque appellatur *Lago Lucrino.* At ferme totus periit anno 1538, monte Cinericio obrutus. Vide Scipionem Mazzellam, *Antichita di Pozzuolo*, cap. 14, pag. 120.

[8] Villæ suæ] Baulis. Vicino loco adhuc nomen, *Sepolchro d'Agrippina.*

A. U. C. 812. J. C. 59.

honore præcipuo habitam; quódque litus juxta, non ventis acta, non ſaxis impulſa navis, ſummâ ſui parte, veluti terreſtre machinamentum concidiſſet; obſervans etiam Acerroniæ necem; ſimul ſuum vulnus aſpiciens: ſolum inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligerentur: miſit libertum Agerinum, qui nuntiaret filio, « benignitate deûm, & fortunâ » ejus evaſiſſe gravem caſum: orare, ut quamvis periculo ma» tris exterritus, viſendi curam differret: ſibi ad præſens quiete » opus ». Atque interim, ſecuritate ſimulatâ, medicamina vulneri, & fomenta corpori adhibet. « Teſtamentum Acerroniæ requiri, bonaque obſignari » jubet: id tantùm non per ſimulationem.

VII. At Neroni, nuntios patrati facinoris opperienti, adfertur « evaſiſſe ictu levi ſauciam; & hactenus adito diſcri» mine, ne auctor dubitaretur [1] ». Tum pavore exanimis, & « jam jamque adfore » obteſtans, « vindictæ properam, ſive » ſervitia armaret, vel militem accenderet, ſive ad ſenatum & » populum pervaderet, naufragium, & vulnus, & interfectos » amicos objiciendo: quod contrà ſubſidium ſibi? niſi quid Bur» rus & Seneca expromerent »: quos ſtatim acciverat, incertum an & antè ignaros [2]. Igitur longum utriuſque ſilentium, ne inriti diſſuaderent; an eò deſcenſum credebant, ut niſi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni eſſet. Pòſt Seneca hactenus promptior, reſpicere Burrum, ac ſciſcitari, « an militi » imperanda cædes eſſet »? Ille « prætorianos toti Cæſarum » domui obſtrictos, memoreſque Germanici, nihil adversùs » progeniem ejus atrox auſuros », reſpondit: « perpetraret » Anicetus promiſſa ». Qui nihil cunctatus, poſcit ſummam ſceleris. Ad eam vocem Nero, « illo ſibi die dari imperium, » auctoremque tanti muneris libertum » profitetur. « Iret

[1] Auctor dubitaretur] Et tanto diſcrimine adito, inſidiarum auctorem non dubitari, vel ignorari.

[2] Incertum an et ante ignaros] Modeſtè, nec pro Senecæ gloriâ inutiliter. Summam enim hujus ſceleris in Poppæam & Senecam trahit Dio LXI. pag. 695. Idque a multis viris fide dignis de Senecâ proditum ait, καὶ αὐτὸν (Νέρωνα) καὶ ὁ Σενέκας, ὡς πολλοῖς καὶ ἀξιοπίστοις ἀνδράσιν εἴρηται, παρώξυνεν. Certè indigna Philoſopho ſunt conſilia, de quibus dictum ſuprà cap. 2: ſcripta, de quibus dicetur infrà cap. 11.

» properè,

» properè, duceretque promptiſſimos ad juſſa ». Ipſe, audito, « veniſſe miſſu Agrippinæ nuntium Agerinum », ſcenam ultro criminis parat : gladiumque, dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus : tum quaſi deprehenſo, « vincla injici » jubet, ut, exitium Principis molitam matrem, & pudore deprehenſi ſceleris ſponte mortem ſumpſiſſe, confingeret.

A. U. C. 812. J. C. 59.

VIII. Interim vulgato Agrippinæ periculo, quaſi caſu eveniſſet, ut quiſque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium objectus [1], hi proximas ſcaphas ſcandere : alii, quantùm corpus ſinebat, vadere in mare ; quidam manus protendere. Queſtibus, votis, clamore diverſa rogitantium, aut incerta reſpondentium, omnis ora compleri : adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem eſſe pernotuit, ut ad gratandum, ſeſe expedire, donec aſpectu armati & minitantis agminis disjecti ſunt. Anicetus villam ſtatione circumdat, refractâque januâ, obvios ſervorum arripit, donec ad fores cubiculi veniret : cui pauci adſtabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. Cubiculo modicum lumen inerat, & ancillarum una : magis ac magis anxiâ Agrippinâ, quòd nemo a filio, ac ne Agerinus quidem. « Aliam fere litore faciem » nunc [2], ſolitudinem ac repentinos ſtrepitus, & extremi mali

[1] Hi molium objectus] Nihil in Italia ac fortè toto orbe Baiano litore gratius. Horat. I, Epiſt. I, 83.

Nullus in orbe ſinus Baiis prælucet amœnis.

Huc ergo cùm Principes, & locupletiſſimi quique Romani villas habere vellent, non litus tantùm, ſed mare molium objectu ædificatum. Unde idem Horatius eleganter æque ac ſapienter, II Od. XVIII, 17.

Tu ſecanda marmora
Locas ſub ipſum funus, & ſepulchri
Immemor, ſtruis domos :
Mariſque Baiis obſtrepentis urgues
Submovere litora,
Parum locuples continente ripâ.

[2] Faciem nunc] Mallem *aliam fores ante rerum faciem, nunc ſolitudinem.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 8. Verùm ut clarior ſit narratio, Agrippinæ extrema paucis retexere haud erit inutile. Quinquatrus apud Baias frequentabat Nero : illuc matrem elicit : adventantem excipit, Baulos ducit, navemque ornatiſſimam offert. Auditis inſidiis, geſtamine ſellæ Baias perventa Agrippina : honorificè amicéque excepta, metum poſuit, & inſidam navem, ut Baulos rediret, conſcendit ante mediam noctem. Patratur facinus. Agrippinam evaſiſſe Neroni affertur circa mediam noctem. Anicetus novi ſceleris ſummam petit & obtinet. Baias adventat circa horam ſecundam poſt mediam noctem : villam ſtatione circumdat, ad cubiculum properat. Servi exterriti diffugiunt, & fores cubiculi deſerunt. Agrippina anxia, quòd nemo a filio, ac ne Agerinus quidem veniret ; ſed contrà aliam eſſe ante fores cubiculi rerum faciem, fœdam ſolitudinem, repentinos ſtre-

» indicia ». Abeunte dehinc ancillâ, « Tu quoque me deſeris », A. U. C. 812. prolocuta, reſpicit Anicetum, trierarcho Herculeo [1], & Oloa- J. C. 59. rito, centurione claſſiario, comitatum. Ac, « ſi ad viſendum » veniſſet, refotam » nuntiaret: « ſin facinus patraturus, nihil » ſe de filio credere; non imperatum parricidium ». Circumſiſtunt lectum percuſſores, & prior trierarchus fuſti caput ejus adflixit. Nam in mortem centurioni ferrum deſtringenti, protendens uterum, « Ventrem feri [2] », exclamavit: multiſque vulneribus confecta eſt.

IX. Hæc conſenſu produntur. Aſpexeritne [3] matrem exanimem Nero, & formam corporis ejus laudaverit, ſunt qui tradiderint, ſunt qui abnuant. Cremata eſt nocte eâdem, convivali lecto [4], & exſequiis vilibus. Neque, dum Nero rerum potiebatur, congeſta & clauſa humus; mox domeſticorum curâ, levem tumulum [5] accepit, viam Miſeni propter, & villam Cæſaris [6] dicta-

pitus, omnia denique extremi mali indicia: ab ancillâ deſeritur, mox a centurione interficitur; eâdemque ipsâ nocte circa horam quintam, convivali lecto comburitur.

[1] Trierarcho Herculeo] Aſconius Pedianus in Verrem I, 20. *Trierarchus, navi triremi præpoſitus. Triremis ternos remorum ordines habet: ita & biremis, & quadriremis, & deinceps dicuntur.* Sic in inſcriptionibus veteribus reperias nomen C. MVSSIDI. CAPITON. MIL. CLASS. PR. MISEN. EX III PIETATE. Id eſt *Caii Muſſidii Capitonis militis Claſſis Prætoriæ Miſenatium ex triremi Pietate*, ſeu quæ appellabatur *Pietas*. Triremis quoque *Hercules*, III HER. memoratur in inſcriptione Ravennæ repertâ, quam vulgavit eruditus Oliverius, *Marmora Piſaurenſia*, pag. 175. In aliis inſcriptionibus occurrit IIII VESTA, id eſt *quadriremis Veſta*. V. VICTORIA, id eſt *quinqueremis Victoria*. Haud tamen diſſimulaverim a Tacito Hiſt. II, 16, memorari *trierarchum liburnicarum*.

[2] Ventrem feri] Aliter, nec ita vividè Dio LXI. pag. 696. τὴν γαστέρα ἀπογυμνώσασα, Παῖε ταύτην, ἔφη, Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν. *Denudato ventre ait: Hunc percute, Anicete, percute, quoniam peperit Neronem.* Nec meliùs Seneca, aut quiſquis tragœdiæ auctor, Octavia, Act. I, 368.

Cædis moriens illa miniſtrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut enſem.
Hic eſt, hic eſt fodiendus, ait,
Ferro, monſtrum qui tale tulit.
Poſt hanc vocem cum ſupremo
Miſtam gemitu
Animam tandem per fera triſtem
Vulnera reddit.

[3] Aspexeritne] Vide Suetonium loco ſuprà cit. cap. 3. Teſte Dione LXI. pag. 696, ſceleris haud ſatis certus, niſi ipſe ſpectator, vidit, & ait: *Neſciebam me tam pulchram matrem habere.* Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον.

[4] Convivali lecto] Lectis diſcumbentes convivabantur Romani. Tali lecto, ne dato quidem feralem pompam adornandi tempore, crematur.

[5] Levem tumulum] Cui adhuc nomen, ut dictum ſuprà, *Sepolchro d'Agrippina.*

[6] Villam Cæsaris] Adhuc viſuntur ejus rudera in monte intra *Porto di Baja* & *Mare morto*: ibique inventa ſtatua marmorea inſcripta, GEN. C. IVL. CAES. *Genio Caii Julii Cæſaris.* Vide Scipionem Mazzellam, *Antichità di Pozzuolo*, cap. 21. pag. 182.

A. U. C. 812. J. C. 59.

toris, quæ ſubjectos ſinus editiſſima proſpectat. Accenſo rogo, libertus ejus, cognomento Mneſter [1], ipſe ferro ſe tranſegit: incertum caritate in patronam, an metu exitii. Hunc ſui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempſeratque. Nam conſulenti ſuper Nerone, reſponderunt Chaldæi, « fore »ut imperaret, matremque occideret » : atque illa, « Occi»dat », inquit, « dum imperet ».

X. Sed a Cæſare perfecto demum ſcelere, magnitudo ejus intellecta eſt: reliquo noctis, modò per ſilentium defixus, ſæpius pavore exſurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tamquam exitium allaturam. Atque eum, auctore Burro, prima centurionum tribunorumque adulatio [2] ad ſpem firmavit, prenſantium manu, gratantiumque, « quòd diſcrimen improviſum, »& matris facinus evaſiſſet ». Amici dehinc adire templa: &, cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam teſtari. Ipſe, diversâ ſimulatione, mæſtus, & quaſi incolumitati ſuæ infenſus, ac morti parentis inlacrimans. Quia tamen non ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obverſabaturque maris illius & litorum gravis aſpectus (& erant, qui crederent, ſonitum tubæ collibus circùm editis, planctuſque tumulo matris audiri) Neapolim [3] conceſſit, literaſque [4] ad ſenatum miſit, quarum ſumma erat.

XI. « Repertum cum ferro percuſſorem Agerinum, ex »intimis Agrippinæ libertis, & luiſſe eam pœnam conſcientiâ, »quâ ſcelus paraviſſet ». Adjiciebat crimina longiùs repetita;

Nondum adultâ luxuriâ, C. *Marius*, *&* C. *Pompeius*, *&* *Cæſar*, *exſtruxerunt quidem villas in regione Baianâ, ſed illas impoſuerunt ſummis jugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito ſpeculari latè longéque ſubjecta. Aſpice quam poſitionem elegerunt, quibus ædificia excitaverunt locis, & qualia: ſcias non villas eſſe, ſed caſtra*. Senec. Ep. LI.

[1] Mneſter] Alius Mneſter hiſtrio, de quo Annal. XI, 36.

[2] Tribunorumque adulatio] Hæc adulatio populum, ſenatum, provincias, noſtraſque Gallias pervaſit. Unde Quinctiliano teſte, Inſtitut. orator. VIII, 5. Dixit *inſigniter Africanus apud Neronem de morte matris: Rogant te, Cæſar, Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter feras.*

[3] Neapolim] *Naples.*

[4] Literaſque] Quodque pudet, a Senecâ ſcriptas. De iis Quinctilianus, Inſtitut. orator. VIII, 5. *Facit quaſdam ſententias ſola geminatio; qualis eſt Senecæ in eo ſcripto, quod Nero ad ſenatum miſit, occiſâ matre, cùm ſe periclitatum videri vellet: Salvum me eſſe adhuc nec credo, nec gaudeo.*

A. U. C. 812. J. C. 59.

« quòd conſortium imperii, juraturaſque in feminæ verba prætorias cohortes, idemque dedecus ſenatùs & populi ſperaviſſet: ac poſteaquam fruſtra optata ſint, inſenſa militibus patribuſque & plebi, diſſuaſiſſet donativum & congiarium [1], periculaque viris inluſtribus inſtruxiſſet. Quanto ſuo labore perpetratum, ne inrumperet curiam, ne gentibus externis reſponſa daret [2] »? Temporum quoque Claudianorum obliquâ inſectatione [3], cuncta ejus dominationis flagitia in matrem tranſtulit, « publicâ ſortunâ exſtinctam » referens: namque & naufragium narrabat. Quod fortuitum fuiſſe, quis adeò hebes inveniretur, ut crederet? aut a muliere naufragâ miſſum cum telo unum, qui cohortes, & claſſes Imperatoris perfringeret? Ergo non jam Nero [4], cujus immanitas omnium queſtus anteibat, ſed adverſo rumore Seneca erat, « quòd oratione tali confeſſionem ſcripſiſſet ».

XII. Miro tamen certamine procerum decernuntur « ſupplicationes apud omnia pulvinaria [5], utque Quinquatrus, quibus apertæ eſſent inſidiæ, ludis annuis celebrarentur: aureum Minervæ ſimulacrum in curiâ, & juxtà Principis imago ſtatueretur: dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet ». Thraſea Pætus [6], ſilentio, vel brevi adſenſu priores adulationes tranſmittere ſolitus, exiit tum ſenatu, ac ſibi cauſam

[1] Donativum et congiarium] Donativum militibus, congiarium populo dabatur, ut dictum ſæpe.

[2] Responsa daret] Hæc tentaſſe Agrippinam vidimus ſuprà Annal. XIII, 5.

[3] Obliqua insectatione] Exſilium, Claudio imperitante, a Senecâ toleratum, manebat ſemper *altâ mente repoſtum*. Fruſtra jactanterque ait idem Seneca, de Conſtantiâ Sapient. XV. *Sapienti injurias non eſſe*. Veriùs & ex conſcientiâ dixit, de Beneficiis I, 1. ita naturâ comparatum eſſe, *ut altiùs injuriæ, quàm merita deſcendant, & illa citò deſluant, has tenax memoria cuſtodiat*.

[4] Non jam Nero] Ergo non jam Nero, qui immanitate ſuâ omnium queſtus vicerat, ſed Seneca adverſo rumore erat & inviſus, quòd tali oratione parricidialem confeſſionem ſcripſiſſet.

[5] Apud omnia pulvinaria] In omnibus templis & apud omnia pulvinaria. Acron in Horat. I Od. XXXVII, 3. *Pulvinaria dicebantur, aut lecti deorum, aut tabulata, in quibus ſtabant numina, ut eminentiora viderentur*.

[6] Thrasea Pætus] Ut ſcriptis Seneca, ita Publius Thraſea Pætus moribus Stoicus, rigiduſque virtutis ſatelles. Mortis contemptu adversùs pericula firmatus, dicere erat ſolitus: Ὁ μὲν Νέρων ἀποκτεῖναί με δύναται, βλάψαι δὲ οὔ. *Nero poteſt me occidere, lædere non poteſt*. Plura vide apud Dionem. LXI, pag. 696.

A. U. C. 812. J. C. 59.

periculi fecit, ceteris libertatis initium non præbuit. Prodigia quoque crebra & inrita interceſſere. Anguem enixa mulier; & alia in concubitu mariti fulmine exanimata: jam ſol repentè obſcuratus [1], & tactæ de cælo quatuordecim Urbis regiones: quæ adeò ſine curâ deûm eveniebant [2], ut multos poſt annos Nero imperium & ſcelera continuaverit. Ceterùm, quò gravaret invidiam matris, eâque demotâ, auctam lenitatem ſuam teſtificaretur, feminas inluſtres Juniam & Calpurniam [3], præfecturâ functos [4] Valerium Capitonem & Licinium Gabolum, ſedibus patriis reddidit, ab Agrippinâ olim pulſos. Etiam Lolliæ Paullinæ [5] cineres reportari, ſepulcrumque exſtrui permiſit: quoſque ipſe nuper relegaverat, Iturium & Calviſium [6], pœnâ exſolvit. Nam Silana [7] fato functa erat, longinquo ab exſilio Tarentum regreſſa, labante jam Agrippinâ, cujus inimicitiis conciderat, vel tum mitigatâ.

XIII. Cunctanti in oppidis Campaniæ, « quonam modo Urbem ingrederetur; an obſequium ſenatûs, an ſtudia plebis reperiret anxio, contrà deterrimus quiſque, quorum non alia regia fecundior exſtitit, « inviſum Agrippinæ nomen, » & morte ejus accenſum populi favorem » diſſerunt. « Iret » intrepidus, & venerationem ſuî coram experiretur ». Simul « prægredi » expoſcunt, & promptiora, quàm promiſerant,

[1] Sol repente obscuratus] Hac temporum notâ nihil illuſtrius. De eâ Plinius II, 70. *Solis defectum, Vipſtano & Fonteio conſulibus, qui fuere ante paucos annos, factum pridie Calendas Maias, Campania horâ diei inter ſeptimam & octavam ſenſit: Corbulo dux in Armeniâ inter horam diei decimam & undecimam prodidit viſum.* Accidit eclipſis die 30 Aprilis poſt meridiem, viſaque in Campaniâ inter horam 1 & 2, ut nos computamus; in Armeniâ inter horam 4 & 5. Vel juxta accuratiores Petavii, Doctrin. Temp. XI, 9. calculos, cœpit eclipſis in Campaniâ 0 39′ a meridie: deſiit horâ 2, 59′ digitorum fuit 9 fere. Illam aliaque portenta memorat Dio LXI. pag. 697.

[2] Sine cura deûm eveniebant] Ἐπικουρίζει quidem & inſanit, qui res humanas ſine curâ Dei volvi opinatur. Verùm fortè tantùm innuit Tacitus in memoratis naturæ eventibus nihil fuiſſe, quòd cæleſtem iram manifeſtò adſtrueret.

[3] Juniam et Calpurniam] De Juniâ Calvinâ dictum ſuprà Annal. XII, 8. De Calpurniâ eodem libro cap. 22.

[4] Præfectura functos] Meliùs *præturâ.*

[5] Lolliæ Paullinæ] Caii Caligulæ uxoris, de quâ plura Annal. XII, 22. Vide & Stemma Cæſarum, num. 89.

[6] Iturium et Calvisium] Memoratos ſuprà Annal. XIII, 22.

[7] Nam Silana] Quam in exſilium actam vidimus Annal. XIII, 22. Tarentum, nunc *Tarente.*

A. U. C. 812. J. C. 59.

inveniunt [1] : obvias tribus [2], feſto cultu ſenatum : conjugum ac liberorum agmina per ſexum & ætatem diſpoſita : exſtructos, quà incederet, ſpectaculorum gradus, quo modo triumphi viſuntur. Hinc ſuperbus, ac publici ſervitii victor, Capitolium adiit, grates exſolvit; ſeque in omnes libidines effudit, quas malè coërcitas qualiſcumque matris reverentia tardaverat.

XIV. Vetus illi copia [3] erat, curriculo quadrigarum inſiſtere; nec minùs fœdum ſtudium citharâ ludicrum in modum canere, cùm cenaret : quod « regibus & antiquis duci»bus [4] factitatum » memorabat : « idque vatum laudibus ce»lebre, & deorum honori datum. Enimvero cantus Apollini »ſacros, talique ornatu adſtare, non modo Græcis in urbi»bus, ſed Romana apud templa, numen præcipuum, & præ»ſcium ». Nec jam ſiſti poterat, cùm Senecæ ac Burro viſum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. Clauſumque valle Vaticanâ ſpatium [5], in quo equos regeret, haud promiſcuo

[1] Inveniunt] Percrebuere tamen quædam dicta ac ſcripta : multis etiam in locis, teſte Dione LXI. pag. 697. affixum.

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.
Nero, Oreſtes, Alcmæon, matricidæ.

Vulgata quoque notiſſima carmina, Sueton. in Ner. XXXIX.

Quis negat Æneæ magnâ de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

[2] Obvias tribus] Obvias populi Romani tribus. Populum Romanum in tribus triginta quinque fuiſſe diviſum omnibus compertum eſt.

[3] Vetus illi copia] Ita Mſſ. Editio princeps, aliæque plurimæ. Puteolanus verò, Erneſtus & alii emendarunt, *Cura*. Nihil mutandum meritò cenſuit Illuſtr. Huetius. *Copia* enim peritia eſt, facultas. Hæc, & mox ſecutura meritò arguit Juvenalis VIII, 224.

Hæc opera, atque hæ ſunt generoſi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita cantu
Proſtitui, Graiæque apium meruiſſe coronæ.
Majorum effigies habeant inſignia vocis,
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones, ſeu perſonam Menalippes:
Et de marmoreo citharam ſuſpende coloſſo.

Ea quoque egregiè arguit Apollonius apud Philoſtratum, Vit. Apoll. IV, 36.

[4] Regibus et antiquis ducibus] Hercules quidem, Achilles, plurimique reges ac duces Græci citharâ cecinere. At Græcis muſica virtutis incitamentum, Romanis laſciviæ irritamentum fuit. Hac de re egregia vide apud Plutarchum, de Muſicâ, pag. 1145 & ſeqq.

[5] Valle Vaticana spatium] Circum illum ceperat Caligula, perfecit Nero: de quo Plinius XXXVI, 11. *Tertius* obeliſcus *Romæ in Vaticano Caii & Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino factus eſt imitatione ejus, quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus.* Obeliſcus ille nunc ſtat ante ædem S. Petri, ubi magno apparatu magnoque ſumptu a Sixto V poſitus. Neroniani verò circi triplici muro ſeptemtrionali innititur pars meridionalis Eccleſiæ S. Petri. Vide Bonanni, Hiſt. Templi Vaticani, pag. 24. & Fontana, Templum Vaticanum, pag. 33.

ſpectaculo [1]: mox ultro vocari populus Romanus, laudibuſque extollere, ut eſt vulgus cupiens voluptatum, &, ſi eodem Princeps trahat, lætum. Ceterùm evulgatus pudor non ſatietatem, ut rebantur, ſed incitamentum attulit. Ratuſque dedecus molliri, ſi plures fœdaſſet, nobilium familiarum poſteros, egeſtate venales, in ſcenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto [2]. Nam & ejus flagitium eſt, qui pecuniam ob delicta potiùs dedit, quàm ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere ſubegit, donis ingentibus: niſi quòd merces ab eo, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis adfert [3].

A. U. C. 812. J. C. 59.

XV. Ne tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos, *Juvenalium* vocabulo [4], in quos paſſim nomina data: non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci Latinive hiſtrionis artem exercerent, uſque ad geſtus modoſque haud viriles. Quin & feminæ inluſtres [5] deformia meditari: exſtructaque apud nemus, quod navali ſtagno [6] circumpoſuit Auguſtus, conventicula, & cauponæ, & poſita veno irritamenta luxûs: dabanturque ſtipes [7], quas boni neceſſitate, intemperantes gloriâ, conſume-

[1] Haud promiscuo spectaculo] Sed tantùm coram aulicis.

[2] Tribuendum puto] Haud ita reverens, Dio LXI. pag. 697. appellat Furios, Fabios, Porcios, Valerios, Mummios, Scipiones. At cùm hæc ſint nomina præſtantiſſimorum omnium virorum, qui rempublicam Romanam propagavere, veriſimilia magis, quàm vera, ſcripſiſſe mihi videtur. Ideoque exſcribendo loco ſuperſedeo.

[3] Vim necessitatis adfert] Quàm paucis, ſed quanta Principibus documenta!

[4] Juvenalium vocabulo] Nero, cùm natus eſſet annos unum & viginti, *barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam Jovi Capitolino conſecravit*, Sueton. in Ner. XII. ludoſque *Juvenalium*, Ἰουενάλια inſtituit, Dio LXI. pag. 698. Ludorum illorum uſus apud poſteros manſit, ut de Domitiano traditur a Dione LXVII. pag. 767. Calendiſque Januarii celebrabantur, teſte Sidonio, Carm. XXIII, 307 & ſeqq. De Romanorum barbâ plura plurimi dixere. Nobis ſatis ſuperque ſit obſervaſſe Hadrianum primum barbam nutriviſſe, Dio. LXVIII. pag. 777.

[5] Et feminæ inlustres] Memorandum inter hæc deformia ſenile Æliæ Catellæ propudium, quæ *genere & divitiis præſtans, octoginta annos nata, ſaltavit:* Αἰλία Κατέλλα, τοῦτο μὲν γένει, καὶ πλούτῳ προήκουσα, τοῦτο δὲ καὶ ἡλικίᾳ προφέρουσα, (ὀγδοηκοντοῦτις γὰρ ἦν) ὠρχήσατο. Dio LXI. pag. 698. Alia id genus apud eumdem vide.

[6] Navali stagno] In XIV Urbis regione, ut dictum eſt ſuprà Annal. XII, 56.

[7] Dabanturque stipes] Dabanturque a Principe pecuniæ, quas in his

A. U. C. 812. J. C. 59.

rent. Inde gliſcere flagitia & infamia : nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quàm illa colluvies. Vix artibus honeſtis pudor retinetur ; nedum, inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modeſtia, aut quidquam probi moris reſervaretur. Poſtremò ipſe ſcenam incedit, multâ curâ tentans citharam & præmeditans, adſiſtentibus familiaribus : acceſſerat cohors militum, centuriones tribunique ; & mærens Burrus, ac laudans [1]. Tuncque primùm [2] conſcripti ſunt equites Romani, cognomento *Auguſtanorum*, ætate ac robore conſpicui, & pars ingenio procaces, alii in ſpe potentiæ. Hi dies ac noctes plauſibus perſonare ; formam Principis vocemque deûm vocabulis [3] appellantes : quaſi per virtutem clari honoratique agere.

XVI. Ne tamen ludicræ tantùm Imperatoris artes noteſcerent, carminum quoque ſtudium affectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis ætatis nati [4], conſidere ſimul, & allatos [5], vel ibidem repertos verſus connectere ; atque ipſius verba, quoquo modo prolata, ſupplere :

cauponis ganeiſque boni neceſſitate, intemperantes gloriâ jactantiâque libidinum, conſumerent. Sic olim, ſed non turpiter, Auguſtus, navis Alexandrinæ gratulationibus *admodum exhilaratus*, *quadragenos aureos*, Gallicæ monetæ li bras 945, *comitibus diviſit : juſque jurandum & cautionem exegit a ſingulis, non aliò datam ſummam, quàm in emptionem Alexandrinarum mercium abſumpturos. Sed & ceteros continuos dies, inter varia munuſcula togas inſuper ac pallia diſtribuit : lege propoſitâ, ut Romani Græco, Græci Romano habitu & ſermone uterentur. Spectavit aſſiduè & exercentes ephebos . . . Iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſâ, immo exactâ jocandi licentiâ ; diripiendique pomorum & opſoniorum, rerumque miſſilium.* Sueton. in Aug. XCVIII.

[1] Mærens Burrus, ac laudans] Proh felix Taciti brevitas, nec ullis verborum ſententiarumve lenociniis æquanda !

[2] Tuncque primum] Alii enim & plures poſtea conſcripti de quibus Suetonius in Ner. XX. *Adoleſcentes equeſtris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robuſtiſſimæ juventutis undique elegit, qui diviſi in factiones, plauſuum genera condiſcerent (bombos, & imbrices, & teſtas vocabant) operamque navarent cantanti ſibi, inſignes pinguiſſimâ comâ, & excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine anulo lævis* manibus, *quorum duces quadragena millia HS*, Gallicæ monetæ libras 7781, *merebant*. Deinde cap. XXV eos appellat *Auguſtianos*. De iis Auguſtanis multa quoque habet Dio LXI. pag. *699*.

[3] Deûm vocabulis] Formam, vocem, ceteraque Neronis, diis æquabant, eorumque vocabulis appellabant.

[4] Nec dum insignis ætatis nati] Mallem, *quibus aliqua pangendi facultas, nec dum inſignis. Ætate pares, conſidere ſimul.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 16.

[5] Et allatos] A Nerone, ut explicat Illuſtr. Huetius. Poeticam vim Neronis laudat Suetonius in Ner. LII.

quod

A. U. C. 812. J. C. 59.

quod ſpecies ipſa carminum docet, non impetu & inſtinctu, nec ore uno fluens. Etiam ſapientiæ doctoribus tempus impertiebat poſt epulas, utque contraria adſeverantium [1] diſcordiæ eruerentur: nec deerant, qui ore vultuque triſti [2] inter oblectamenta regia ſpectari cuperent.

XVII. Sub idem tempus, levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianoſque [3], gladiatorio ſpectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum ſenatu retuli [4], edebat: quippe oppidanâ laſciviâ invicem inceſſentes, probra, deinde ſaxa, poſtremò ferrum ſumpſêre, validiore Pompeianorum plebe, apud quos ſpectaculum edebatur. Ergo reportati ſunt in urbem multi e Nucerinis trunco per vulnera corpore, ac plerique liberorum ac parentum mortes deflebant. Cujus rei judicium Princeps ſenatui, ſenatus conſulibus permiſit. Et rurſus re ad patres relatâ, prohibiti publicè in decem annos ejuſmodi cœtu Pompeiani, collegiaque, quæ contra leges inſtituerant, diſſoluta. Livineius, & qui alii ſeditionem conciverant, exſilio multati ſunt.

XVIII. Motus ſenatu [5] & Pedius Blæſus, accuſantibus Cyrenenſibus [6], « violatum ab eo theſaurum Æſculapii, delectumque militarem [7] pretio & ambitione corruptum ». Iidem Cyrenenſes reum agebant Acilium Strabonem, prætoriâ poteſtate uſum [8], & miſſum diſceptatorem a Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam habitos [9], & populo Romano cum

[1] Utque contraria adseverantium] Cùm hæc parum curaret Nero, doctoreſque iſti pro more ſuo contraria adſeverarent, inde clamores, rixæ, diſcordiæ eruebantur: irridendæ, quàm perdiſcendæ ſapientiæ curioſo magis Principe. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 16.

[2] Ore vultuque tristi] Quos inter Stoicos, Cynicoſque fuiſſe crediderim.

[3] Nucerinos Pompeianosque] Campaniæ populos. Nuceria, nunc *Nocera*. *Pompeii, haud procul aſpectante monte Veſuvio, alluente verò Sarno amne*, Plin. III, 5. Sect. 9. At pereunte Plinio, periere Pompeii. Sarnus hodieque appellatur *Sarno*.

[4] Motum senatu retuli] In libris deperditis. Fortè idem eſt qui memoratur ſuprà Annal. III, 11.

[5] Motus senatu] Poſtea reſtitutus, ut dicetur infrà Hiſt. I, 77.

[6] Cyrenensibus] De quibus jam dictum Annal. III, 70.

[7] Delectumque militarem] Gallicè, *levée de troupes*.

[8] Prætoria potestate usum] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 18.

[9] Regis Apionis quondam habitos] Mallent Lipſius & Ryckius, *regi Apioni*,

A. U. C. 812. J. C. 59.

regno relictos, proximus quiſque poſſeſſor invaſerant, diutinâque licentiâ & injuriâ, quaſi jure & æquo, nitebantur. Igitur abjudicatis agris, orta adversùs judicem invidia: & ſenatus, « ignota ſibi eſſe mandata Claudii, & conſulendum Principem » reſpondit. Nero, probatâ Strabonis ſententiâ, « ſe nihilo» minus ſubvenire ſociis, & uſurpata concedere », ſcripſit.

XIX. Sequuntur virorum inluſtrium mortes, Domitii Afri [1], & M. Servilii, qui ſummis honoribus, & multâ eloquentiâ viguerant. Ille orando cauſas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, & elegantiâ vitæ, quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diverſus [2].

A. U. C. 813. J. C. 60.

XX. Nerone quartùm, Cornelio Coſſo conſulibus [3], quinquennale ludicrum [4] Romæ inſtitutum eſt, ad morem Græci

Sic enim ſuprà Annal. XI, 35. *Quidquid habitum Neronibus & Druſis.* De Apione rege, Livius Epitom. LXX. *Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit; & ejus regni civitates ſenatus liberas eſſe juſſit.* Id contigit anno Urbis conditæ DCLVIII. Rufus Feſtus in Breviario, Ammianus Marcellinus XXII, 16. D. Hieronymus in Chronic. duos Apionas diſtinguunt: priorem aridioris Libyæ regem, *qui moriens Romanos teſtamento dimiſit heredes*, Olympiade CLXXI. Alterum Libyæ Pentapoleos, quam per teſtamentum Romanis reliquit, Olympiadis CLXXVIII. anno tertio. Iis aſſentitur Joſ. Scaliger in notis ad Chronici annos MDCCCCXXI. & MDCCCCLII. At potior eſt auctoritas Livii, Taciti, Juſtini, Appiani, Eutropii, qui unum Ptolemæum Apionem, Cyrenarum regem, agnoſcunt, ut obſervat eruditus Valeſius in notis ad Ammian. Marcellinum loc. cit. Ad hunc regem Ptolemæum Apionem, pertinere creditur nummus, qui exſtat apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, Tab. VI, pag. 56. Ex unâ parte caput regis diadematum: ex alterâ nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟ. Id eſt *regis Ptolemæi*, & Silphium, Cyrenaicæ ſymbolum. *In Cyrenaicâ provinciâ reperitur.... magnificum in uſu medicamentiſque, & ad pondus argenti denarii penſum*, Plin. XIX, 3.

[1] Domitii Afri] De quo ſatis ſuperque dictum Annal. IV, 52. dicetur adhuc infrà, in Dialog. de Orator. XV. M. Servilius Nonianus idem qui memoratur Annal. VI, 31. & infra in Dialog. de Orat. cap. 23.

[2] Morum diversus] *Quoquo enim facinore properus clareſcere* Domitius. Annal. loc. cit.

[3] Cornelio Cosso consulibus] Nero Claudius Auguſtus IV. & Coſſus Cornelius Lentulus conſules fuêre anno Urbis conditæ DCCCXIII. Jeſu Chriſti 60. In veteri Inſcriptione apud Gruterum pag. VIII. num. 5.

NERONE CAESARE
AUG. IIII.
COSSO. LENTULO. COSSI. F. COS.

[4] Quinquennale ludicrum] Peractum imperii quinquennium novo ludorum genere celebravit. Suetonius in Ner. XII. *Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more græco triplex, muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit Neronia.* Vide & Dionem LXI. pag. 699. Inſtituti hujus certaminis teſtes nummi duo, olim in muſeo Collegii Ludovici Magni, ære

A. U. C. 813. J. C. 60.

certaminis, variâ famâ, ut cuncta ferme nova. Quippe erant, qui «Cn. quoque Pompeium incuſatum a ſenioribus» ferrent, «quòd manſuram theatri ſedem [1] poſuiſſet : nam antea ſubitariis gradibus [2], & ſcenâ in tempus ſtructâ, ludos edi ſolitos : vel ſi vetuſtiora repetas, ſtantem populum ſpectaviſſe : »ne ſi conſideret, theatro dies totos ignaviâ continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas ſervaretur, quotiens prætores »ederent, nullâ cuiquam civium neceſſitate certandi. Ceterùm »abolitos paullatim patrios mores, funditus everti per accitam laſciviam ut, quod uſquam corrumpi & corrumpere »queat, in Urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis juventus, gymnaſia & otia, & turpes amores exercendo, Principe & ſenatu auctoribus : qui non modò licentiam vitiis permiſerint, ſed vim adhibeant : proceres Romani, ſpecie orationum & carminum, ſcenâ polluantur. Quid ſupereſſe, niſi »ut corpora quoque nudent, & cæſtus aſſumant, eaſque pugnas pro militiâ & armis meditentur? An juſtitiam augurii [3], »& decurias equitum, egregium judicandi munus expleturos, »ſi fractos ſonos & dulcedinem vocum peritè audiſſent? Noctes quoque dedecori adjectas, ne quod tempus pudori relinquatur, ſed, cœtu promiſcuo, quod perditiſſimus quiſque »per diem concupiverit, per tenebras audeat».

XXI. Pluribus ipſa licentia [4] placebat, ac tamen

minimo : NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. Capite nudo. In averſâ parte, menſa, vas, corona : CER. QVINQ. ROM. CON. SC. Id eſt, *certamen quinquennale Romæ conſtitutum ſenatuſconſulto.*

[1] Mansuram theatri sedem] Altero ſuo conſulatu, anno U. C. dcxcix, Pompeius theatrum poſuit, quod ſufficeret *largè quadraginta millibus* hominum Plin. XXXVI, 15. num. 7. Ut manſuram hanc theatri ſedem religione quodammodo conſecraret ac defenderet, Veneris Victricis templum addidit, & ſplendidis ludis dedicavit, Plin. VIII, 7. Adversùs illam *turpitudinum arcem* intonat Tertullianus, de Spectaculis, X. De hoc theatro diximus Annal. VI, 45. & in Supplemento Annal. IX, 19. Manent adhuc ejus rudera, quæ vide apud Cl. Piraneſi *Antichita Romane*, Tom. IV. Tab. 38.

[2] Antea subitariis gradibus] Theatra illa, licèt ſubitariis gradibus, temporariâque morâ, lapide tamen ac marmore, exquiſitiſſimo luxu inſtruebantur. De theatro Scauri, cujus cavea LXXX millia hominum cepit, vide Plinium XXXVI, 15. num. 7. Donatum de urbe Româ III, 7.

[3] An justitiam augurii] Id eſt, an augurum, an judicum muneribus pares futuros. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 20.

[4] Ipsa licentia] Tacitus, verborum parcus, ſed validus, quid de thea-

A. U. C. 813. J. C. 60.

honeſta nomina prætendebant: « Majores quoque non abhor» ruiſſe ſpectaculorum oblectamentis [1], pro fortunâ, quæ tum » erat; eoque a Tuſcis accitos hiſtriones [2]; a Thuriis equorum » certamina [3]; & poſſeſsâ Achaiâ Aſiâque, ludos curatiùs » editos: neque quemquam, Romæ honeſto loco ortum, ad » theatrales artes degeneraviſſe [4], ducentis jam annis a L. » Mummii triumpho [5], qui primus id genus ſpectaculi in Urbe » præbuerit. Sed & conſultum parcimoniæ [6], quòd perpetua » ſedes theatro locata ſit, potiùs quàm immenſo ſumptu, ſin» gulos per annos conſurgeret ac ſtrueretur. Nec perinde

tralibus operis ſentiendum definivit, cùm *licentiam* dixit. Et quo florentiora ſunt regna, eò major eſt theatrorum licentia. Verè æquè ac Chriſtianè Tertullianus, Apologetic. VI. *Theatra ſtuprandis moribus orientia* ſcripſit. Ipſe quoque Plinius IV. Ep. 22. *Placuit agona tolli, qui mores Viennenſium infecerat, ut noſter hic omnium. Nam Viennenſium vitia intra ipſos reſident, noſtra latè vagantur. Utque in corporibus, ſic in imperiis graviſſimus eſt morbus qui a capite diffunditur.*

[1] SPECTACULORUM OBLECTAMENTIS] Romanis quidem adhuc rudibus, ſpectacula fuere oblectamenta. At excultis & urbanis vitiorum documenta, vel irritamenta exſtitere.

[2] A TUSCIS ACCITOS HISTRIONES] C. Sulpicio Pætico, C. Licinio Stolone conſulibus, anno U. C. CCCXC. Romani, ſuperſtitione victi, ut peſtilentiam depellerent, inter alia cæleſtis iræ placamina ludos ſcenicos, rem novam bellicoſo populo, inſtituerunt. Livius VII, 2. *Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruriâ acciti, ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus more Tuſco dabant. Imitari deinde eos juventus, ſimul inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus, cœpere; nec abſoni a voce motus erant: Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur; nomen hiſtrionibus inditum.* Multa de ſaturarum & fabularum origine addit ac tandem concludit: *Inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt: ut appareret, quàm ab ſano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerit.*

[3] A THURIIS EQUORUM CERTAMINA] Livius I, 35. Anno U. C. CXL. *Tum primùm circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus locus eſt: loca diviſa patribus, equitibuſque ubi ſpectacula ſibi quiſque facerent. Spectavere furcis duodenos ab terrâ ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes. Ludicrum fuit, equi pugileſque ex Etruriâ maximè aciti. Solennes deinde annui manſere ludi, Romani magnique variè appellati. Thurii inter duos amnes Crathin*, nunc *Crate*, & *Sybarin*, nunc *Sibari* habitabant in eâ Lucaniæ parte, quam nunc dicimus *la Calabre citérieure*, Plin. III, 11. Ex Etruriâ autem accitos equos pugileſque ait Livius, quòd Etruria olim Capuam, *Capoue*, uſque protendebatur.

[4] DEGENERAVISSE] Ut theatrales operas exercerent.

[5] A L. MUMMII TRIUMPHO] Devictâ Achaiâ, everſâ Corintho anno U. C. DCVIII, triumphavit; ut jam dictum ſuprà Annal. IV, 43.

[6] CONSULTUM PARCIMONIÆ] Quàm immenſi olim fuiſſent ſumptus in exſtruendis temporariis theatris æſtimari poteſt ex verſatili theatro Curionis, de quo agit Plinius XXXVI, 15. num. 8. ac maximè ex Scauri theatro, cujus ſtupenda ibidem, num. 7. memoria. Noſque diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. III, 52. ubi plura de Romanorum luxu.

A. U. C. 813. J. C. 60.

» magiſtratus rem familiarem exhauſturos, aut populo efflagitandi Græca certamina a magiſtratibus cauſam fore, cùm eo ſumptu reſpublica fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas : nec cuiquam judici grave, aures ſtudiis honeſtis, & voluptatibus conceſſis impartire : lætitiæ magis, quàm laſciviæ dari paucas totius quinquennii noctes, quibus, tantâ luce ignium, nihil inlicitum occultari queat ». Sanè nullo inſigni dehoneſtamento id ſpectaculum tranſiit. Ac ne modica quidem ſtudia [1] plebis exarſere, quia redditi quamquam ſcenæ pantomimi, certaminibus ſacris [2] prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, ſed « victorem eſſe Cæſarem [3] » pronuntiatum. Græci amictus [4], quos per eos dies plerique inceſſerant, tum exoleverant.

XXII. Inter quæ & ſidus cometes [5] effulſit; de quo vulgi opinio eſt, tamquam mutationem regnis portendat [6]. Igitur, quaſi jam depulſo Nerone, quiſnam deligeretur anquirebant : & omnium ore Rubellius Plautus [7] celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Juliâ familiâ. Ipſe placita majorum colebat, habitu ſevero, caſtâ & ſecretâ domo; quantóque metu occultior, tantò plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia diſcumbentis

[1] Ne modica quidem studia] Ne minimùm quidem plebs commota eſt; ut rectè explicat illuſtr. Huetius. Nec audiendus Gronovius, qui emendat, *Immodica*. Furibunda theatrorum ſtudia vidimus ſuprà Annal. I, 77. & XIII, 25.

[2] Certaminibus sacris] Pantomimi olim Italiâ pulſi, Annal. XIII, 25. nunc quidem ſcenæ redditi, hiſce tamen græcis certaminibus, quæ ſacra erant, prohibiti ſunt. Ideo nullum fuit inſigne dehoneſtamentum, & moderata plebis ſtudia.

[3] Victorem esse Cæsarem] Nec eloquentia tantum victor pronuntiatus eſt, ſed citharœdorum coronæ ex omnibus certaminibus ad eum delatæ, teſte Dione LXI. pag. 699. Tum fortè cuſus olim muſei collegii Ludovici Magni nummus ſuperiùs laudatis prorſus ſimilis, ſed capite Principis laureato.

[4] Græci amictus] Græci amictus, quibus per eos dies plerique induti inceſſerant, tum exoleverant. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 21. Plurimi exſtant nummi, qui Neronem, chlamyde Græcâ veſtitum, exhibent.

[5] Sidus cometes] *Aſſiduum prope ac ſævum* effulſiſſe cometen Neronis principatu tradit Plinius II, 25.

[6] Mutationem regnis portendat] Inde Lucanus I, 528.

Crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.

Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 22.

[7] Rubellius Plautus] Rubellio Blando & Juliâ, Druſi Cæſaris filiâ, genitus. Vide Stemma Cæſarum, num. 76.

A. U. C. 813. J. C. 60.

Neronis apud Simbruina ſtagna; cui *Sublaqueum* nomen eſt [1], ictæ dapes [2], menſaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum [3] acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum [4] numine deûm deſtinari credebant: fovebantque multi, quibus, nova & ancipitia præcolere, avida & plerumque fallax ambitio eſt. Ergo permotus iis Nero, componit ad Plautum literas, « conſuleret quieti Urbis, ſeque pravè diffamantibus ſubtraheret: » eſſe illi per Aſiam avitos agros, in quibus tutâ & inturbidâ » juventâ frueretur ». Ita illuc cum conjuge Antiſtiâ [5], & paucis familiarium, conceſſit. Iiſdem diebus nimia luxûs cupido, infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Marciæ [6] ad Urbem deductæ nando inceſſerat: videbaturque potus ſacros, & cærimoniam loci, corpore toto polluiſſe [7]: ſecutaque anceps valetudo, iram Deûm affirmavit.

XXIII. At Corbulo, poſt deleta Artaxata [8], utendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tigranocerta [9]; quibus exciſis, metum hoſtium intenderet, vel, ſi peperciſſet, clementiæ famam adipiſceretur: illuc pergit non infenſo exercitu, ne

[1] Cui Sublaqueum nomen est] Sublaqueum, nunc *la Badia di Subjaco*, in agro Romano, nomen accepit a ſtagnis, ſeu lacubus, quibus ſubjacet. De hoc oppido Plinius III, 12. *Anio*, nunc *Teverone*, *in monte Trebanorum ortus*, *lacus tres amœnitate nobiles*, *qui nomen dedere Sublaqueo*, *defert in Tiberim*. Ibi villa erat Neronis. Tria olim erant ſtagna: nunc unius tantùm manent veſtigia, juxta Divi Placidi ſacellum. De Simbruinis collibus dictum Annal. XI, 13.

[2] Ictæ dapis] Cenam totam fulmine deflagraſſe ſcripſit anno priore haud ita diligens Dio LXI. pag. 697.

[3] Finibus Tiburtum] Haud procul Tibure, nunc *Tivoli*, ſed magis ad orientem, Sublaqueum.

[4] Hunc illum] Fortè, *hinc illum*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 22.

[5] Antistia] De Antiſtiâ Pollutiâ, Rubellii uxore, vide Stemma Cæſarum, num. 77.

[6] Aquæ Marciæ] Plinius XXXI, 3. *Clariſſima aquarum omnium in toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palmâ præconio Urbis, Marcia eſt, inter reliqua deûm munere Urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeia, fons autem ipſe Pitonia, oritur in ultimis montibus Pelignorum*, nunc *partie de l'Abruzze citérieure ; tranſit Marſos & Fucinum lacum*, nunc *le lac de Célano*, *Romam non dubiè petens. Mox in ſpecus merſa, in Tiburtina ſe aperit novem millibus paſſ. fornicibus ſtructis perducta. Primus eam in Urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius, unus e regibus. Poſtea Q. Marcius Rex in præturâ* anno U. C. dcx. *Rurſuſque reſtituit M. Agrippa.* Plura vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 22.

[7] Corpore toto polluisse] Fortè *corpore loto polluiſſe*. Fontium capita venerabantur Romani; nec in iis natare conceſſum. Quo de uſu elegantiſſimam vide epiſtolam Plinii VIII, 8.

[8] Deleta Artaxata] Deleta Artaxata vidimus ſuprà Annal. XIII, 41. De ipſâ urbe diximus Annal. II, 56.

[9] Tigranocerta] Vide Annal. XII, 50.

A. U. C. 813. J. C. 60.

ſpem veniæ auferret: neque tamen remiſsâ curâ, gnarus facilem mutatu gentem, ut ſegnem ad pericula, ita inſidam ad occaſiones. Barbari pro ingenio quiſque, alii preces offerre, quidam deſerere vicos, & in avia digredi: ac fuêre, qui ſe ſpeluncis, ac cariſſima ſecum, abderent. Igitur, dux Romanus diverſis artibus, miſericordiâ adversùs ſupplices, celeritate adversùs profugos, immitis iis, qui latebras inſederant, ora & exitus ſpecuum ſarmentis virgultiſque completos, igni exurit. Atque illum, fines ſuos prægredientem, incurſavere Mardi [1], latrociniis exerciti, contraque inrumpentem montibus defenſi: quos Corbulo, immiſſis Iberis, vaſtavit, hoſtilemque audaciam externo ſanguine [2] ultus eſt.

XXIV. Ipse exercituſque, ut nullis ex prœlio damnis, ita per inopiam & labores fatiſcebant, carne pecudum propulſare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, fervida æſtas, longinqua itinera, ſolâ ducis patientiâ mitigabantur, eodem plura [3], quàm gregario milite, tolerante. Ventum dehinc in locos cultos: demeſſæque ſegetes, & ex duobus caſtellis, in quæ confugerant Armenii, alterum impetu captum; qui primam vim depulerant, obſidione coguntur. Unde in regionem Taurannitium [4] tranſgreſſus, improviſum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio ejus, non ignobilis barbarus [5] cum

[1] Mardi] Ii ſunt Mardi, inter Pontum Euxinum, *la Mer noire*, & mare Caſpium, *la Mer Caſpienne* poſiti, de quibus Plinius VI, 5. *Achæi, Mardi, Cercetæ: poſt eos Serri, Cephalotomi. In intimo eo tractu Pityus oppidum*, hodie *Pitchinda*. Alii ſunt Mardorum populi de quibus idem Plinius VI, 16 & 27.

[2] Externo sanguine] Non Romano, ſed externo Iberorum ſanguine hoſtilem Mardorum audaciam ultus eſt. Apud Romanos *ingens victoriæ decus citra Romanum ſanguinem* bellare. Vit. Agricol. XXXV.

[3] Eodem plura] *Eodem* pro *ipſo*. Sic quoque Virgilius Æneid. IV, 320.

Te propter Libycæ gentes, Nomadumque tyranni
Odere infenſi Tyrii: te propter eumdem
Exſtinctus pudor, & quâ ſolâ ſidera adibam
Fama prior.

[4] In regionem Taurannitium] Taurannitas habitaſſe Mardos inter & Tigranocerta, patet ex Corbulonis itinere. Fortè nomen ducebant a monte Tauro.

[5] Non ignobilis barbarus] Unus nempe ex Megiſtanis, ut rectè obſervat Lipſius; & ille ipſe, de quo Frontinus, Strategem. II, 9. num. 5. *Domitius Corbulo, cùm Tigranocertam obſideret, & Armenii pertinaciter viderentur toleraturi obſidionem, in quemdam ex Megiſtanis, quos ceperat, animadvertit, caputque ejus baliſtâ excuſſum, intra munimenta hoſtium miſit. id fortè decidit in medium concilium, quod tum cùm maximè habebant barbari, ad cujus conſpectum, velut oſtento, conſternati ad deditionem feſtinaverunt.*

A. U. C. 813. J. C. 60.

telo repertus, ordinem inſidiarum, ſeque auctorem, & ſocios per tormenta edidit: convictique & puniti ſunt, qui ſpecie amicitiæ dolum parabant. Nec multò pòſt legati Tigranocertâ miſſi, « patêre mœnia » afferunt, « intentos populares ad »juſſa »; ſimul hoſpitale donum [1], coronam auream, tradebant. Accepitque cum honore, nec quidquam urbi detractum, quò promptius obſequium integri retinerent.

XXV. At præsidium regium, quod ferox juventus clauſerat, non ſine certamine expugnatum eſt: nam & prœlium pro muris auſi erant, & pulſi intra munimenta aggeris, demum & inrumpentium armis ceſſere: quæ faciliùs proveniebant, quia Parthi Hyrcano bello diſtinebantur. Miſerantque Hyrcani ad Principem Romanum [2], ſocietatem oratum, « at»tineri a ſe Vologeſen [3] pro pignore amicitiæ » oſtentantes: eos regredientes [4] Corbulo, ne Euphraten tranſgreſſi, hoſtium [5] cuſtodiis circumvenirentur, dato præſidio, ad litora maris Rubri [6] deduxit: unde vitatis Parthorum finibus, patrias in ſedes remeavere.

XXVI. Quin & Tiridaten [7], per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmiſſo cum auxiliis Verulano legato, atque ipſe legionibus citis, abire procul, ac ſpem belli amittere ſubegit: quóſque nobis, ob regem, averſos animis cognoverat, cædibus & incendiis perpopulatus, poſſeſſionem Armeniæ uſurpabat [8]: cùm advenit Tigranes, a Nerone ad capeſſendum

[1] Hospitale donum] Sic rex Nabatæorum coronas aureas magno pondere Germanico & Agrippinæ, leves Piſoni & ceteris obtulit, Annal. II, 57.

[2] Principem Romanum] Neronem.

[3] Attineri a se Vologesen] *Vologeſen defectione Hyrcaniæ attineri* vidimus ſuprà Annal. XIII, 37.

[4] Regredientes] Româ.

[5] Hostium] Armeniorum, & Parthorum cuſtodiis.

[6] Ad litora maris rubri] Certè brevius compendioſiuſque iter ex Armeniâ in Hyrcaniam per Albanum Caſpiumve mare. Fortè tamen non tutius; ideoque ad litora maris rubri, nunc *la mer des Indes*, deducti, ut longiſſimo quidem itinere, ſed certo Hyrcaniam repeterent. Quas verò per provincias iter fecerint fruſtra divinaretur. Vide Notas & Emendationes ad Annl. XIV, 25.

[7] Tiridaten] Armeniæ regem, Vologeſis Parthorum regis fratrem, de quo ſuprà Annal. XII, 51. XIII, 37 & 41. Vide & Canonem regum Armeniæ in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 3.

[8] Possessionem Armeniæ usurpabat] Quantâ lætitiâ Romæ fuerit audita hæc altera Corbulonis victoria, docet nummus ex ære minimo olim

imperium

imperium [1] delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos [2]; ſed quòd diu obſes apud Urbem fuerat, uſque ad ſervilem patientiam demiſſus. Nec conſenſu acceptus, durante apud quoſdam ſavore Arſacidarum [3]: at plerique ſuperbiam Parthorum peroſi, datum a Romanis regem malebant. Additum & præſidium, mille legionarii, tres ſociorum cohortes, duæque equitum alæ: & quò faciliùs novum regnum tueretur, pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharaſmani Polemonique [4] Ariſtobulo atque Antiocho parêre juſſæ ſunt. Corbulo in Syriam abſceſſit, morte Ummidii [5] legati vacuam, ac ſibi permiſſam.

A. U. C. 813. J. C. 60.

XXVII. Eodem anno, ex inluſtribus Aſiæ urbibus, Laodicea [6] tremore terræ prolapſa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italiâ, vetus oppidum Puteoli [7], jus coloniæ [8], & cognomentum a Nerone adipiſcuntur. Veterani [9] Tarentum & Antium adſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubvenere, dilapſis pluribus in provincias, in quibus ſtipendia expleverant. Neque conjugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. Non enim, ut olim, univerſæ legiones deducebantur, cum tribunis & centurionibus, & ſui cujuſque ordinis militibus, ut conſenſu & caritate rempublicam efficerent; ſed

in muſeo Collegii Ludovici Magni: NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P.M.TR.P.IMP.P.P. capite radiato. Ex adversâ parte VICTORIA AVGVSTI II. SC. Victoria gradiens.

[1] Ad capessendum imperium] Armeniæ.

[2] Regis Archelai nepos] Archelai, Cappadociæ regis, quem a Tiberio Romam accitum, mox accuſatum in ſenatu, ac demum angore ſimul & ſenio feſſum, finem vitæ, ſponte incertum, an fato, impleviſſe legimus Annal. II, 42.

[3] Arsacidarum] Parthorum regum, qui ab Arſace dicti ſunt *Arſacidæ*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. II, 1.

[4] Pharasmani Polemonique] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 26.

[5] Morte Ummidii] De quo multa dicta ſunt in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 45.

[6] Laodicea] Nunc *Ladik*, jam memorata ſuprà Annal. IV, 55.

[7] Puteoli] Nunc *Pozzuolo* in Campaniâ. De hac urbe optimè ſcripſere Mazella, Lofredo, & maximè Capaccius, Neapolitana Hiſtor. II, 24. pag. 707 & ſeqq.

[8] Jus coloniæ] Longè antè, annoque U. C. dlx. Jus coloniæ habuerant. Nunc tertiò iis datum videtur. De his plura in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 27.

[9] Veterani] Hæc veteranis emeritiſque militibus præmia: at tum ob libertatis, nec non libidinis ſtudia, negligebantur. Vide Notas & Emenda-

A. U. C. 813. J. C. 60.

ignoti inter ſe, diverſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti; numerus magis, quàm colonia [1].

XXVIII. Comitia prætorum, arbitrio ſenatûs haberi ſolita, quòd acriore ambitu [2] exarſerant, Princeps compoſuit, tres, qui ſupra numerum petebant, legioni præficiendo [3]. Auxitque patrum honorem, ſtatuendo, « ut, qui a privatis » judicibus ad ſenatum provocaviſſent [4], ejuſdem pecuniæ peri- » culum facerent, cujus ii, qui Imperatorem appellavere » : nam antea vacuum id, ſolutumque pœnâ fuerat. Fine anni Vibius Secundus, eques Romanus, accuſantibus Mauris [5], repetundarum damnatur, atque Italiâ exigitur [9], ne graviore pœnâ adficeretur, Vibii Criſpi fratris opibus [7] eniſus.

A. U. C. 814. J. C. 61.

XXIX. Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano [8] conſulibus, gravis clades in Britanniâ accepta. In quâ neque A. Didius legatus [9], ut memoravi, niſi parta retinuerat; & ſucceſſor Veranius, modicis excurſibus Siluras populatus [10], quin ultrà bellum proferret, morte prohibitus eſt [11]: magnâ, dum vixit, ſeveritatis famâ, ſupremis teſtamenti verbis ambitionis manifeſtus: quippe, multâ in Neronem adulatione, addidit,

tiones, ubi hæc omnia veteribus monumentis illuſtrantur.

[1] Numerus magis, quam colonia] Hæc quàm verè, quàm acutè dicta. Nemo paucioribus verbis condendarum coloniarum artes docuit, vitia retexit.

[2] Acriore ambitu] Cùm tres ſuprà numerum peterent.

[3] Legioni præficiendo] Sueton. in Ner. XV. *Candidatos, qui ſupra numerum eſſent, in ſolatium dilationis ac moræ, legionibus præpoſuit.*

[4] Ad senatum provocaviſſent] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 28. ubi multa de appellationibus.

[5] Accuſantibus Mauris] Occiſo Ptolemæo, Mauritania provincia Romana facta fuerat, ut diximus in Supplemento Annal. VIII, 34.

[6] Italia exigitur] Relegatur quidem, ne graviore exilio aliâve graviore pœnâ adficeretur. Leges antiquas de repetundis breviter ac dilucidè expoſuit Cl. Heineccius, Antiquit. Roman. Juriſprud. IV, 18. num. 72 & ſeqq.

[7] Vibii Criſpi fratris opibus] Vibio ter millies ſeſtertiûm, monetæ Gallicæ libras 58,365,075, præſtitit eloquentia, infrà Dialog. de Orat, VIII.

[8] Petronio Turpiliano] Cæſonius Pætus & Petronius Turpilianus conſules fuere anno Urbis conditæ dcccxiv. Jeſu Chriſti 61. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 29.

[9] A. Didius legatus] De quo ſuprà Annal. XII, 40. Infrà in Vit. Agric. XIV.

[10] Siluras populatus] Vide quæ de Siluribus dicta ſunt Annal. XII, 33 & 40.

[11] Morte prohibitus eſt] Intra annum exſtinctus eſt. In Vit. Agric. XIV.

A. U. C. 814. J. C. 61.

« ſubjecturum ei provinciam fuiſſe, ſi biennio proximo vi» xiſſet ». Sed tum Paullinus Suetonius [1] obtinebat Britannos, ſcientiâ militiæ, & rumore populi, qui neminem ſine æmulo ſinit, Corbulonis concertator : receptæque Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam inſulam [2], incolis validam, & receptaculum perfugarum, aggredi parat, naveſque fabricatur plano alveo [3], adversùs breve & incertum [4]. Sic pedes [5] : equites, vado ſecuti, aut altiores inter undas, adnantes equis, tranſmiſere.

XXX. Stabat pro litore diverſa acies, denſa armis viriſque, intercurſantibus feminis [6] in modum Furiarum, quæ veſte ferali, crinibus dejectis, faces præferebant. Druidæque circùm [7], preces diras, ſublatis ad cælum manibus, fundentes, novitate aſpectûs perculere milites ; ut quaſi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Dein, cohortationibus ducis, & ſe ipſi ſtimulantes ne muliebre & fanaticum agmen paveſcerent, inferunt ſigna, ſternuntque obvios, & igni ſuo [8] involvunt. Præſidium poſthac impoſitum victis, exciſique luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri : nam cruore

[1] Paullinus Suetonius] Diligens ac moderatus dux. Vit. Agr. V. Antea Mauritaniæ motus ſedaverat, ut diximus in Supplemento Annal. IX, 27.

[2] Monam insulam] Nunc *l'Iſle d'Angleſey*.

[3] Plano alveo] Gallicè *des bateaux plats*.

[4] Adversus breve et incertum] Adversùs mare ſcatens brevibus & incertum. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 29.

[5] Sic pedes] Pedites navibus tranſvecti : equites, vado ſecuti.

[6] Intercursantibus feminis] Barbaris in inconditâ multitudine ſpes. Apud Germanos melior, nondum tamen ſatis auſtera militaris diſciplina. Infrà de Mor. German. VII.

[7] Druidæque circum] Eadem enim Gallorum & Britannorum origo, eadem ſuperſtitio. Unde Tacitus in Vitâ Agr. XI. *Gallos vicinum ſolum occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione.* Druidarum mores ſacraque accipe ex Cæſare, Bell. Gallic. VI, 13 & 14. ac maximè ex Bucherio, Belg. Rom. V. 3. Præcipua eorum placita, deos eſſe, animas eſſe immortales. Unde maxima eorum fama apud gentes religionibus deditas, & gloriæ avidas. Quod luculenter exprimit Lucanus I, 450.

Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe deos, & cæli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum : nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt : regit idem ſpiritus artus
Orbe alio : longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt. Certè populi, quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus : inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

[8] Igni suo] Facibus accenſis, quas præferebant mulieres, involvunt.

A. U. C. 814. J. C. 61.

captivo [1] adolere aras, & hominum fibris conſulere deos fas habebant. Hæc agenti Suetonio, repentina defectio provinciæ nuntiatur.

XXXI. Rex Icenorum [2] Praſutagus, longâ opulentiâ clarus, Cæſarem heredem duaſque filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnumque & domum ſuam procul injuriâ fore: quod contrà vertit: adeo ut regnum, per centuriones, domus per ſervos, velut capta, vaſtarentur. Jam primùm uxor ejus Boudicea [3] verberibus affecta, & filiæ ſtupro violatæ ſunt. Præcipui quique Icenorum, quaſi cunctam regionem muneri accepiſſent, avitis bonis exuuntur [4]: & propinqui regis inter mancipia habebantur. Quâ contumeliâ, & metu graviorum (quando in formam provinciæ ceſſerant) rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trinobantibus [5], & qui alii nondum ſervitio facti, reſumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in coloniam Camulodunum [6] recèns deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, « captivos, ſervos » appellando: foventibus impotentiam veteranorum militibus, ſimilitudine vitæ, & ſpe ejuſdem licentiæ. Ad hæc templum [7], divo Claudio conſtitutum, quaſi arx æternæ

[1] Cruore captivo] Barbaricum eumdem uſum apud Germanos vidimus ſuprà Annal. I, 61. Ea verò Druidarum, magicarumque artium peſtis tantò ferociùs inter Britannos graſſabatur, quòd tum a Galliis exul, ut docet Plinius XXX, 1. *Gallias utique poſſedit* magica vanitas, *& quidem ad noſtram memoriam. Namque Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque tranſgreſſâ, & ad naturæ inane pervectâ? Britannia hodieque eam attonitè celebrat tantis cærimoniis, ut dediſſe Perſis videri poſſit. Adeò iſta toto mundo conſenſêre, quamquam diſcordi & ſibi ignoto. Nec ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere, religioſiſſimum erat, mandi verò etiam ſaluberrimum.* Vide & Suetonium in Claud. XXV.

[2] Rex Icenorum] De Icenis dictum Annal. XII, 31.

[3] Uxor ejus Boudicea] De fortiſſimæ feminæ nomine vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 31.

[4] Avitis bonis exuuntur] Hæc eloquenter queritur Boudicea apud Dionem LXII. pag. 701. Cujus totam orationem vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 35.

[5] Trinobantibus] Trinobantes, nunc *les Comtés de Middleſex & d'Eſſex.*

[6] Camulodunum] De hac coloniâ diximus Annal. XII, 32.

[7] Ad hæc templum] Templum illud memorat Seneca in ludo de morte Claud. *Parum eſt quòd templum in Britanniâ habet, quòd hunc barbari colunt, & ut deum orant.* Cùm dominatio Romana religione graſſaretur, ut apud Trinobantas Claudio, ita apud Regnos, in urbe *Chicheſter*, Neptuno & Minervæ templum fuerat poſitum, cujus

dominationis aſpiciebatur; delectique ſacerdotes, ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant [1]. Nec arduum videbatur, exſcindere coloniam, nullis munimentis ſeptam: quòd ducibus noſtris parum proviſum erat, dum amœnitati prius, quàm uſui conſulitur.

A. U. C. 814.
J. C. 61.

XXXII. Inter quæ, nullâ palam causâ, delapſum Camuloduni ſimulacrum Victoriæ, ac retro converſum, quaſi cederet hoſtibus. Et feminæ, in furore turbatæ, « adeſſe exi»tium » canebant. Externoſque fremitus in curiâ eorum [2] auditos; conſonuiſſe ululatibus theatrum, viſamque ſpeciem in æſtuario Tameſæ ſubverſæ coloniæ [3]; jam Oceanum cruento aſpectu [4]: dilabente æſtu, humanorum corporum effigies relictas, ut Britanni ad ſpem, ita veterani ad metum trahebant. Sed quia procul Suetonius aberat, petivêre a Cato Deciano procuratore auxilium. Ille haud ampliùs, quàm ducentos, ſine juſtis armis miſit: & inerat modica militum manus. Tutelâ templi freti, & impedientibus, qui, occultè rebellionis conſcii, conſilia turbabant, neque foſſam aut vallum præduxerunt, neque motis ſenibus & feminis, juventus ſola reſtitit [5]: quaſi mediâ pace incauti, multitudine barbarorum circumveniuntur. Et cetera quidem impetu direpta, aut incenſa ſunt: templum, in quo ſe miles conglobaverat, biduo obſeſſum, expugnatumque. Et victor Britannus, Petilio Ceriali, legato legionis nonæ, in ſubſidium adventanti obvius, fudit legionem, &, quod peditum, interfecit: Cerialis cum equitibus evaſit in caſtra, & munimentis defenſus eſt. Quâ clade,

reperta inſcriptio anno 1723.

[1] Omnes fortunas effundebant] Emendis victimis, curandis ſacris fortunas effundebant.

[2] In curia eorum] In curiâ Romanorum. Eadem prodigia recenſet Dio LXII. pag. 700.

[3] Subversæ coloniæ] Hæc intelligenda de domibus coloniæ, quæ viſæ ſunt ſubverſæ, in æſtuario Tameſe, Gallicè *l'embouchure de la Tamiſe*. Dio loc. cit. Οἰκίαι τέ τινες ἐν τῷ Ταμίσᾳ ποταμῷ ὕφυδροι ἑωρῶντο.

[4] Cruento aspectu] Dio loc. cit. Καὶ ὁ Ὠκεανὸς ὁ μεταξὺ τῆς τε νήσου καὶ τῆς Γαλατίας αἱματώδης ποτὲ ἐν τῇ πλημμυρίδι ηὐξήθη. *Oceanus inſulam inter & Galliam ſanguinolentus, tempore æſtûs, inundavit.*

[5] Juventus sola restitit] Sola quidem; non amotis ſenibus & feminis, qui aliò deduci debuiſſent, ut juventus acriùs diutiúſque reſiſteret. Bene Cl. Gordon, *nor removed their women and old men.*

A. U. C. 814. J. C. 61.

& odiis provinciæ, quam avaritiâ in bellum egerat, trepidus procurator Catus in Galliam tranſiit.

XXXIII. At Suetonius mirâ conſtantiâ medios inter hoſtes Londinium [1] perrexit, cognomento quidem coloniæ non inſigne, ſed copiâ negotiatorum & commeatuum [2] maximè celebre: ibi ambiguus, an illam ſedem bello deligeret, circumſpectâ infrequentiâ militis, ſatiſque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi [3] damno ſervare univerſa ſtatuit. Neque fletu & lacrimis auxilium ejus orantium flexus eſt, quin daret profectionis ſignum, & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis ſexus, aut feſſa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, ab hoſte oppreſſi ſunt. Eadem clades municipio Verulamio [4] fuit; quia barbari, omiſſis caſtellis præſidiiſque militarium, quod uberrimum ſpolianti, & defendentibus intutum, læti prædâ, & aliorum ſegnes [5] petebant. Ad ſeptuaginta millia [6] civium & ſociorum, iis quæ memoravi locis, cecidiſſe conſtitit. Neque enim capere, aut venumdare, aliudve quod belli commercium, ſed cædes, patibula, ignes, cruces, tamquam redditur ſupplicium, ac præreptâ interim ultione, feſtinabant.

XXXIV. Jam Suetonio quartadecima legio cum vexillariis viceſimanis [7], & e proximis auxiliares, decem ferme millia armatorum erant: cùm omittere cunctationem, & congredi acie parat: deligitque locum arctis faucibus, & a tergo ſilvâ clauſum; ſatis cognito, nihil hoſtium, niſi in fronte,

[1] Londinium] Mſ. Reg. *Londinum.* Nunc *Londres*, urbem opibus & ingeniis celeberrimam.

[2] Commeatuum] Navium huc atque hinc commeantium. Sic apud Suetonium in Ner. XX. *Commeatus* Alexandrinorum memoratur.

[3] Unius oppidi] Londinii.

[4] Verulamio] Loco adhuc nomen *Verulam*, prope oppidum *S. Albans*, in *Hertfordshire.* Ibi plurima adhuc viſuntur antiquitatis Romanæ monumenta, *Camden's Britannia*, *by Gibſon*, col. 296 & 305. At plus gloriæ attulit, nomenque immortale fecit vir ſummus, omni ævo memorandus, Franciſcus Bacon.

[5] Aliorum segnes] Id eſt ad alia ſegnes.

[6] Septuaginta millia] Juxta Dionem LXII. pag. 700. μυριάδες ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν ἐφθάρησαν, *octoginta millia Romanorum & ſociorum periere.*

[7] Cum vexillariis vicesimanis] Cum vexillariis viceſimæ legionis. De vexillariis dictum ſatis in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 38.

& apertam planitiem eſſe, ſine metu inſidiarum. Igitur legionarius frequens ordinibus; levis circùm armatura, conglobatus pro cornibus eques adſtitit. At Britannorum copiæ paſſim per catervas & turmas exſultabant, quanta non aliàs multitudo [1]; & animo adeò fero, ut conjuges quoque teſtes victoriæ ſecum traherent, plauſtriſque imponerent, quæ ſuper extremum ambitum campi poſuerant.

A. U. C. 814. J. C. 61.

XXXV. Boudicea, curru filias præ ſe vehens [2], ut quamque nationem acceſſerat, « ſolitum quidem Britannis » feminarum ductu bellare » teſtabatur [3]; « ſed tunc non, ut » tantis majoribus ortam, regnum & opes; verùm, ut unam » e vulgo, libertatem amiſſam, confectum verberibus corpus, » contrectatam filiarum pudicitiam ulciſci. Eò provectas Ro- » manorum cupidines, ut non corpora, ne ſenectam quidem, » aut virginitatem impollutam relinquant. Adeſſe tamen deos » juſtæ vindictæ: cecidiſſe legionem, quæ prœlium auſa ſit: » ceteros caſtris occultari, aut fugam circumſpicere. Ne ſtre- » pitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetus » & manus perlaturos. Si copias armatorum, ſi cauſas belli » ſecum expenderent, vincendum illâ acie, vel cadendum eſſe. » Id mulieri deſtinatum; viverent viri, & ſervirent.

XXXVI. Ne Suetonius quidem in tanto diſcrimine ſilebat: qui, quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes & preces miſcebat: « Ut ſpernerent ſonores barbarorum [4], » & inanes minas: plus illic feminarum, quàm juventutis

[1] Quanta non alias multitudo] Teſte Dione LXII. pag. 701. Boudicea centum viginti millia hominum coegerat: τὸ ϛράτευμα ἀμφὶ δώδεκα μυριάδας ὄν. Immo juxta eumdem ſcriptorem, pag. 704. adcrevit exercitus uſque ad militum ducenta triginta millia, ἐς τρεῖς ϗ εἴκοσι μυριάδας ἀνδρῶν.

[2] Curru filias præ se vehens] Bene, & ex more barbarorum. Minus probabiliter Dio loc. cit. ait Boudiceam tribunal, Romano more exſtructum, conſcendiſſe.

[3] Testabatur] Totam hanc Boudiceæ orationem, non Taciti, ſed librariorum exſcriptorumve incuriâ, aut culpâ, admutilatam exiſtimat Lipſius. Mihi vero alius omnino ſenſus; verumque ac genuinum Taciti fetum in eâ agnoſco. Longiorem quidem, ſed enervem, declamatoriamque habet Dio: quam tamen, cùm nonnihil lucis affundat, inter Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 35. conjicere haud pigebit.

[4] Sonores barbarorum] Sic ſuprà Annal. I, 65. *Læto cantu, aut truci ſonore.*

A. U. C. 814. J. C. 61.

»aſpici : imbelles, inermes, ceſſuros ſtatim, ubi ferrum virtutemque vincentium, totiens fuſi, agnoviſſent : etiam in »multis legionibus paucos eſſe [1], qui prœlia profligarent : »gloriæque eorum acceſſurum, quòd modica manus, univerſi »exercitûs famam adipiſcerentur. Conferti tantùm, & pilis »emiſſis, pòſt umbonibus & gladiis [2] ſtragem cædemque conti»nuarent, prædæ immemores: partâ victoriâ, cuncta ipſis ceſ»ſura». Is ardor verba ducis ſequebatur, ita ſe ad intorquenda pila expedierat vetus miles & multâ prœliorum experientiâ, ut certus eventûs [3] Suetonius, daret pugnæ ſignum.

XXXVII. Ac primùm legio gradu immota, & anguſtias loci pro munimento retinens, poſtquam propiùs ſuggreſſus hoſtis [4] certo jactu tela exhauſerat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus : & eques, protentis haſtis, perfringit quod obvium & validum erat. Ceteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumjecta vehicula ſepſerant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat: confixaque telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara, & antiquis victoriis par, eâ die laus parta : quippe ſunt qui paullo minus, quàm octoginta millia Britannorum cecidiſſe tradant, militum [5] quadringentis ferme interfectis, nec multò ampliùs vulneratis. Boudicea vitam veneno finivit [6]. Et Pœnius

[1] Paucos esse] Eodem ſenſu dixit Vegetius III, 20. *Victoria per paucos fieri conſuevit, tantum eſt, ut electi a duce ſapientiſſimo, in his locis, in quibus ratio & utilitas poſtulat, ordinentur.*

[2] Umbonibus et gladiis] Commendabat quoque Germanicus Annal. II, 14. *gladios & hærentia corpori tegmina. Denſarent ictus, ora mucronibus quærerent.*

[3] Certus eventus] Meliùs *eventu.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 36.

[4] Suggressus hostis] Singulariter dictum. Senſus enim eſt, poſtquam Romani, propiùs ſuggreſſo hoſte, tela ſua certo jactu exhauſere, velut cuneo eruperunt. Mallet Lipſius, *propiùs ſuggreſſis hoſtibus.* Bene quidem. Sed oſcitant aliquando optimi ſcriptores; nec ſtatim emendandi.

[5] Militum] Romanorum auxiliariumve.

[6] Vitam veneno finivit] Boudiceam morbo exſtinctam minùs probabiliter ſcribit Dio LXII. pag. 706. Ἀποθανούσης δὲ ἐν τούτῳ τῆς Βουνδουίκης νόσῳ, ἐκείνην μὲν δεινῶς ἐπένθησαν, καὶ πολυτελῶς ἔθαψαν. Fortè emendandum τόπῳ, *loco*, pro νόσῳ, ut conjicit Erneſtus. Ubinam verò tam ſplendidè ei parentatum, ignoratur. Illam enim ſepultam eſſe in *Stone-Henge*, prope oppidum *Amberſbury*, in *Wiltshire*, minimè crediderim. Hæc portentoſa lapidum ſubſtructio, quam vide in *Camden's Britannia, by Gibſon*, pag. 95, & apud Cl. Inigo Jones, multò antiquiora arguit tempora alioſque uſus.

Poſtumus,

A. U. C. 814. J. C. 61.

Poſtumus, præfectus caſtrorum ſecundæ legionis [1], cognitis quartadecimanorum viceſimanorumque [2] proſperis rebus, quia pari gloriâ legionem ſuam fraudaverat, abnueratque, contra ritum militiæ, juſſa ducis, ſe ipſum gladio tranſegit.

XXXVIII. Contractus deinde omnis exercitus, ſub pellibus habitus eſt [3], ad reliqua belli perpetranda. Auxitque copias Cæſar, miſſis e Germaniâ duobus legionariorum millibus, octo auxiliarium cohortibus [4], ac mille equitibus: quorum adventu, nonani [5] legionario milite ſuppleti ſunt. Cohortes alæque novis hibernaculis locatæ, quodque nationum ambiguum, aut adverſum fuerat, igni atque ferro vaſtatur. Sed nihil æquè, quàm fames adfligebat ſerendis frugibus incurioſos, & omni ætate ad bellum versâ, dum noſtros commeatus ſibi deſtinant; genteſque præferoces tardius ad pacem inclinant; quia Julius Claſſicianus, ſucceſſor Cato miſſus [6], & Suetonio diſcors, bonum publicum privatis ſimultatibus impediebat: diſperſeratque, « novum legatum opperiendum » eſſe, ſine hoſtili irâ & ſuperbiâ victoris, clementer dedi» tis conſulturum ». Simul in Urbem mandabat, « nul» lum prœlio finem exſpectarent, niſi ſuccederetur Suetonio »: cujus adverſa, pravitati ipſius; proſpera, ad fortunam referebat.

XXXIX. Igitur ad ſpectandum Britanniæ ſtatum miſſus eſt ex libertis Polycletus [7], magnâ Neronis ſpe, poſſe auctoritate ejus, non modò inter legatum procuratoremque

[1] Castrorum secundæ legionis] Caſtra illa erant apud Siluras, nomenque fecerunt loco, Britannis dicto *Kaer Lheion*, & *Kaer Lheion ar Wysk*, id eſt, *Urbs legionis ad Iſcam fluvium*; Iſcam, *Usk*, inter & rivulum *Oilwy*, in *Monmouthshire*. Plurima ejus vetera monumenta, inſcriptioneſque, LEG. II. AVG. id eſt, *legionis ſecundæ Auguſtæ*, vide in *Camden's Britannia*, *by Gibſon*. Col. 599 & ſeqq.

[2] Quartadecimanorum vicesimanorumque] Id eſt, quartæ decimæ legionis & vexillariorum viceſimæ legionis, ut dictum eſt ſuprà cap. 34.

[3] Sub pellibus habitus est] Ut hibernaret.

[4] Cohortibus] Miſſas fuiſſe octo Batavorum cohortes, de quibus infrà Hiſt. I, 59, meritò exiſtimat eruditus Savilius.

[5] Nonani] Nonæ legionis excidium vidimus ſuprà Annal. XIV, 32.

[6] Successor Cato missus] Succeſſor Cato Deciano, procuratori, qui ob avaritiam, & odia provinciæ, trepidus in Galliam tranſierat. Suprà cap. 32.

[7] Polycletus] Inter odiorum nomina meritò annumerandus infrà Hiſt. II, 95.

A. U. C. 814. J. C. 61.

concordiam gigni; ſed & rebelles barbarorum animos pace componi. Nec deſuit Polycletus, quominus, ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis, poſtquam Oceanum tranſmiſerat, militibus quoque noſtris terribilis incederet. Sed hoſtibus inriſui fuit, apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturque, quòd dux, & exercitus tanti belli confector, ſervitiis obedirent [1]. Cuncta tamen ad Imperatorem in mollius relata. Detentuſque rebus gerundis Suetonius, quòd pòſt paucas naves in litore, remigiumque in iis amiſerat, tamquam durante bello, « tradere » exercitum Petronio Turpiliano », qui jam conſulatu abierat [2], jubetur. Is non inritato hoſte, neque laceſſitus, honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit.

XL. Eodem anno Romæ inſignia ſcelera, alterum ſenatoris, ſervili alterum audaciâ, admiſſa ſunt. Domitius Balbus erat prætorius, ſimul longâ ſenectâ, ſimul orbitate & pecuniâ inſidiis obnoxius: ei propinquus Valerius Fabianus, capeſſendis honoribus deſtinatus, ſubdidit teſtamentum, adſcitis Vincio Rufino & Terentio Lentino, equitibus Romanis. Illi Antonium Primum [3], & Aſinium Marcellum ſociaverant. Antonius, audaciâ promptus; Marcellus [4], Aſinio Pollione proavo clarus, neque morum ſpernendus habebatur, niſi quòd paupertatem [5] præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoravi, & aliis minùs inluſtribus, obſignat. Quod apud patres convictum. Et Fabianus Antoniuſque cum Rufino & Terentio lege Corneliâ [6] damnantur. Marcellum memoria

[1] Servitiis obedirent] Æquè Romanè dixit P. Corneille, Cinna, IV, 6.

Jamais un affranchi n'eſt qu'un eſclave infame,
Bien qu'il change d'état, il ne change point d'ame.

[2] Jam consulatu abierat] Ut ſuffecto conſuli locus eſſet. Petronii conſulatum vidimus ſuprà cap. 29.

[3] Antonium Primum] Ingenio acerrimum, famâ vitâque probroſum, de quo multa infrà in libris Hiſtoriarum.

[4] Marcellus] Vide Stemma Pollionum in Notis & Emendationibus ad Annal. III, 75.

[5] Nisi quòd paupertatem] Quàm hæc digna ſcriptorum prudentiſſimo! Verè, verè Seneca, Ep. XVII. *Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis.*

[6] Lege Cornelia] Lege Corneliâ de falſis, quam tulit Cornelius Sylla dictator. De hac lege Julius Paulus, Sentent. IV, Tit. 7. De lege Corneliâ, Leg. 1. *Qui teſtamentum falſum ſcripſerit, recitaverit, ſubjecerit, ſignaverit, ſuppreſſerit, amoverit, reſignaverit, deleverit,*

A. U. C. 814. J. C. 61.

majorum, & preces Cæſaris, pœnæ magis, quàm infamiæ exemere.

XLI. Perculit is dies Pompeium quoque Ælianum, juvenem quæſtorium, tanquam flagitiorum Fabiani gnarum [1]: eique Italiâ, & Hiſpaniâ, in quâ ortus erat, interdictum eſt. Pari ignominiâ Valerius Ponticus adficitur, quòd reos, ne apud præfectum Urbis [2] arguerentur, ad prætorem detuliſſet; interim, ſpecie legum, mox prævaricando, ultionem eluſurus. Additur ſenatuſconſulto: « Qui talem operam emptitaſſet, » vendidiſſetve, perinde pœnâ teneretur, ac publico judicio » calumniæ condemnatus [3] ».

XLII. Haud multò pòſt, præfectum Urbis, Pedanium Secundum, ſervus ipſius interfecit: ſeu negatâ libertate, cui pretium pepigerat [4]; ſive amore exoleti [5] infenſus, & dominum æmulum non tolerans. Ceterùm cùm, vetere ex more [6], familiam omnem, quæ ſub eodem tecto manſitaverat, ad ſuppli-

pœnâ legis Corneliæ de falſis tenebitur: id eſt, in inſulam deportatur. Eâdem de re idem, Lib. V, Tit. 25. Ad legem Corneliam teſtamentariam. Leg. 1. *Honeſtiores quidem in inſulam deportantur, humiliores autem aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur. Servi autem, poſt admiſſum manumiſſi, capite puniuntur.* Leviore pœnâ, ordine tantùm ſenatorio ſubmotus eſt Antonius, ut dicetur infrà Hiſt. II, 86.

[1] FLAGITIORUM FABIANI GNARUM] Hæc illuſtrat Paulus, Sentent. IV, Tit. 7, Leg. 2. *Non tantum is qui teſtamentum ſubjecit, ſuppreſſit, delevit, pœnâ legis Corneliæ coercetur, ſed & is, qui ſciens dolo malo id fieri juſſit, faciendumve curavit.* Et Lib. V, Tit. 25, Leg. 2. *Qui ob falſum teſtimonium perhibendum, vel verum non perhibendum, pecuniam acceperit, dederit, judicemve, ut ſententiam ferat, vel non ferat, corruperit corrumpendumve curaverit: humiliores capite puniuntur, honeſtiores publicatis bonis cum ipſo judice in inſulam deportantur.*

[2] PRÆFECTUM URBIS] De ejus dignitate dictum Annal. VI, 11. Erant quidem prætores, qui judiciis capitalibus præerant. At prævalidâ ſub Imperatoribus præfectorum Urbis dignitate, *Omnia omnino crimina præfectura Urbis ſibi vindicavit*, ut accipimus ex Ulpiano. Digeſt. Lib. I, Tit. 12. de officio præfecti Urbi. Leg. 1. Valerius Ponticus, ſpecie quidem legum, ad unum ex his prætoribus reos detulit. At prævaricator præfecti Urbis ſeveritatem ultionemque eludere volebat. Inde additum ſenatuſconſulto, *qui talem* prævaricatorum *operam emptitaſſet vendidiſſetve, &c.*

[3] JUDICIO CALUMNIÆ CONDEMNATUS] Paulus, Sentent. V, Tit. 4. de injuriis. Leg. 11. *Qui per calumniam injuriæ actionem inſtituit, extra ordinem punitur. Omnes enim calumniatores exſilii, vel inſulæ relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit.* Vide & Juſtinianum Inſtit. IV, Tit. 4. *de Injuriis.*

[4] CUI PRETIUM PEPIGERAT] Fraudato ventre, auctoque peculio, libertatem redimebant ſervi; quos hac de re laudat Seneca Ep. LXXX.

[5] EXOLETI] Cinædi alicujus conſervi, quem ſervus ſimul ac dominus deperibant.

[6] VETERE EX MORE] De hac lege diximus Annal. XIII, 32.

A. U. C. 814. J. C. 61.

cium agi oporteret, concurſu plebis, quæ tot innoxios protegebat, uſque ad ſeditionem ventum eſt: ſenatuque in ipſo erant ſtudia nimiam ſeveritatem aſpernantium, pluribus nihil mutandum cenſentibus. Ex quis C. Caſſius [1], ſententiæ loco, in hunc modum diſſeruit.

XLIII. « Sæpenumero, patres conſcripti, in hoc ordine » interfui, cùm contra inſtituta & leges majorum nova ſenatûs » decreta poſtularentur; neque ſum adverſatus: non quia du» bitarem ſuper omnibus negotiis meliùs atque rectiùs olim pro» viſum, &, quæ converterentur, in deterius mutari; ſed ne, » nimio amore antiqui moris, ſtudium meum extollere viderer. » Simul, quidquid hoc in nobis auctoritatis eſt, crebris contra» dictionibus deſtruendum non exiſtimabam, ut maneret inte» grum, ſi quando reſpublica conſiliis eguiſſet: quod hodie » evenit, conſulari viro domi ſuæ interfecto per inſidias ſerviles, » quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamvis nondum concuſſo » ſenatuſconſulto [2], quod ſupplicium toti familiæ minitabatur. » Decernite herculè impunitatem. At quem dignitas ſua de» fendet, cùm præfectura Urbis non profuerit? Quem numerus » ſervorum tuebitur, cùm Pedanium Secundum quadringenti » non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu » quidem pericula noſtra avertit? An, ut quidam fingere non » erubeſcunt, injurias ſuas ultus eſt interfector? quia de paternâ » pecuniâ [3] tranſegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? » Pronuntiemus ultro, dominum jure cæſum videri.

XLIV. » Libet argumenta conquirere in eo, quod ſa» pientioribus deliberatum eſt? Sed & ſi nunc primum ſtatuen» dum haberemus, creditiſne ſervum interficiendi domini ani» mum inſumpſiſſe, ut non vox minax excideret? nihil per » temeritatem proloqueretur? Sanè conſilium occuluit, telum » inter ignaros paravit: num excubias tranſiret, cubiculi fores

[1] C. Cassius] Laudatus ſuprà Annal. XII, 12.

[2] Nondum concusso] Immo & firmato, ut jam vidimus Annal. XIII, 32.

[3] Quia de paterna pecunia] Hæc εἰρωνικῶς dici meritò obſervat Lipſius. Quaſi de paternis opibus tranſegiſſet, aut avorum ſuorum mancipium ei fuiſſet detractum.

»recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſciis? »Multa ſceleris indicia præveniunt. Servi ſi prodant, poſſu- A. U. C. »mus ſinguli inter plures, tuti inter anxios; poſtremò, ſi per- 814. »eundum ſit, non inulti inter nocentes, agere. Suſpecta ma- J. C. 61. »joribus noſtris fuere ingenia ſervorum, etiam cùm in agris, »aut domibus iiſdem, naſcerentur, caritatemque dominorum »ſtatim acciperent. Poſtquam verò nationes in familiis [1] habe- »mus, quibus diverſi ritus, externa ſacra, aut nulla ſunt, »colluviem iſtam non niſi metu coercueris. At quidam inſontes »peribunt. Nam & ex fuſo exercitu, cùm decimus quiſque »fuſti feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur. Habet aliquid ex iniquo »omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate pu- »blicâ rependitur».

XLV. Sententiæ Caſſii, ut nemo unus contrà ire auſus eſt, ita diſſonæ voces reſpondebant, «numerum, aut ætatem, »aut ſexum, ac plurimorum indubiam innocentiam» miſe- rantium. Prævaluit tamen pars, quæ ſupplicium decernebat: ſed obtemperari non poterat, conglobatâ multitudine «ſaxa »ac faces» minitante. Tum Cæſar populum edicto increpuit; atque omne iter, quo damnati ad pœnam ducebantur, milita- ribus præſidiis ſepſit. Cenſuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque [2], qui ſub eodem tecto fuiſſent, Italiâ deportarentur. Id a Principe prohibitum eſt, «ne mos antiquus, quem miſeri- »cordia non minuerat, per ſævitiam intenderetur».

XLVI. Damnatus iiſdem conſulibus Tarquitius Priſcus [3] repetundarum, Bithynis interrogantibus [4], magno patrum

[1] Nationes in familiis] De ſervorum agminibus vide Annal. XII, 65.

[2] Liberti quoque] Acerrimum quidem hac de re ſenatuſconſultum Neronianum, quod vide Annal. XIII, 32. At novâ legis ſeveritate meritò abſtinuit Princeps, ne veterem infringeret.

[3] Tarquitius Priscus] Exſtat ejus nummus apud Cl. Vaillant, Famil. Rom. Tom. II, pag. 460. ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, caput Neronis laureatum. Ex averſo latere, Μ.ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΙΣΚ. ΕΞ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. Ara ignita, cui inſcriptum ΠΡΑΤΤΟΝΤΟΣ. Ad aræ latera ΝΕΙΚ. Id eſt, Μ. Ταρκυιτίου Πρείσκου, ἐξουσίας ἀνθυπατορικῆς, πράττοντος. Νεικαέων. *Nummus Nicæenſium in Bithyniâ, M. Tarquitio Priſco, poteſtatis proconſularis, ſacrificante.* Diſplicet Cl. Vaillant explicatio, ἐξουσιαν ἀνθυπατορικην πράττοντος.

[4] Interrogantibus] Id eſt, accuſantibus. Vide Annal. XVI, 21. Horum enim judiciorum pars maxima in interrogatione: unde *interrogare* pro *accuſare* dicitur.

A. U. C. 814. J. C. 61. gaudio, qui accuſatum ab eo Statilium Taurum, proconſulem ipſius [1], meminerant. Cenſus per Gallias [2] a Q. Voluſio, & Sextio Africano [3], Trebellioque Maximo acti ſunt, æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano: Trebellium dum uterque dedignatur, ſuprà tulere.

XLVII. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus [4], auctoritate, conſtantiâ, famâ, in quantum, præumbrante Imperatoris faſtigio, datur, clarus: adeò ut Nero æger valetudine, & adulantibus circùm, qui « finem imperio adeſſe » dicebant, « ſi quid fato pateretur », reſponderit, « habere ſubſidium rempublicam ». Rogantibus dehinc, in quo potiſſimum? addiderat, « in Memmio Regulo ». Vixit tamen poſt hæc Regulus, quiete defenſus; & quia novâ generis claritudine, neque invidioſis opibus erat. Gymnaſium [5] eo anno dedicatum a Nerone, præbitumque oleum equiti ac ſenatui [6], Græcâ facilitate [7].

[1] Proconsulem ipsius] Statilius proconſul fuerat in Africâ, legatus verò Tarquitius, ut dictum eſt Annal. XII, 59.

[2] Census per Gallias] Jam plures vidimus Galliarum cenſus; ſane iteratos ſæpe, ut graviora tributa exigerentur.

[3] Volusio atque Sextio Africano] Voluſii ſe regibus Rutulis ortos prædicabant, ut diximus in notis ad Annal. XII, 22. Sextius Africanus nobilis juvenis dicitur Annal. XIII, 19. Utrum originem a Julo Antonio ducat, non liquet.

[4] Memmius Regulus] Fortè filius Memmii Reguli, qui Sejanum oppreſſit.

[5] Gymnasium] Sueton. in Ner. XII. *Dedicatis Thermis atque Gymnaſio, ſenatui quoque & equiti oleum præbuit.* Neronis Thermæ Gymnaſiumque, eximii operis, erant in campo Martio. De iis Philoſtratus, Vit. Apollon. IV, 42, pag. 182. Ὁπότε γυμνάσιον μὲν ἐξεποιήθη τῷ Νέρωνι, θαυμασιώτατον τῶν ἐκεῖ, λευκὴν δ' ἔθυον ἐν αὐτῷ ἡμέραν, Νέρων τε αὐτὸς, καὶ ἡ βουλὴ ἡ μεγάλη, καὶ τὸ ἱππεῦον τῆς Ῥώμης. Παρελθὼν δὲ ὁ Δημήτριος ἐς αὐτὸ τὸ γυμνάσιον, διεξῆλθε λόγον κατὰ τῶν λουμένων, ὡς ἐκλελυμένων τε καὶ αὐτοὺς χραινόντων. Καὶ ἐδείκνυεν ὅτι περιττὸν ἀνάλωμα εἴη τὰ τοιαῦτα. *Poſtquam Nero abſolvit Gymnaſium, omnium quæ Romæ eſſent maximè admirandum, feſtum diem, peractis ſacris, in eo celebrarunt tum ipſe Nero, ſenatuſque & equites Romani. Gymnaſium verò ingreſſus Demetrius, orationem habuit adversùs eos, qui balneis utebantur, tamquam imbelles & ſe ipſos inquinantes: inaneſque eſſe iſtas impenſas oſtendit.* Rudera Thermarum Neronianarum pæne deſtructa ſunt anno 1757, ut ampliaretur Urbis Prætorium, vulgò *el Governo.*

[6] Equiti ac senatui] Cùm lavarentur in Gymnaſio.

[7] Græca facilitate] Olim quidem a P. Scipione, a Julio Cæſare, ab Agrippâ, datum fuerat oleum, ſed ob victorias, lætitiamve publicam. Nunc verò a Nerone datum Græcâ facilitate, aut potiùs luxuriâ, de quâ Plinius, XV, 4. *Uſum olei ad luxuriam vertêre Græci, vitiorum omnium genitores, in Gymnaſiis publicando. Notum eſt magiſtratus honoris ejus, octogenis ſeſtertiis*, monetæ Gallicæ libris 15562, *ſtrigmenta olei vendidiſſe.* Tantum erat pretium ſtrigmentis, ſeu ſordibus hominum! Vide eumdem Plinium, XXVIII, 4. Sect. 13.

XLVIII. P. Mario, L. Aſinio conſulibus [1], Antiſtius prætor, quem in tribunatu plebis licenter egiſſe memoravi [2], probroſa adversùs Principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Oſtorium Scapulam [3] epulatur. Exin a Coſſutiano Capitone [4], qui nuper ſenatorium ordinem precibus Tigellini ſoceri ſui receperat, majeſtatis delatus eſt. Tum primùm [5] revocata ea lex; credebaturque haud perinde exitium Antiſtio, quàm Imperatori gloriam quæri, ut condemnatus a ſenatu, interceſſione tribuniciâ [6] morti eximeretur. Et cùm Oſtorius « nihil audiviſſe » pro teſtimonio dixiſſet, adverſis teſtibus creditum. Cenſuitque Junius Marullus, conſul deſignatus [7], « adimendam reo præturam, necandumque more »majorum [8] ». Ceteris inde adſentientibus, Pætus Thraſea, multo cum honore Cæſaris, acerrimè increpito Antiſtio, « non, quidquid nocens reus pati mereretur, id, egregio ſub »Principe, & nullâ neceſſitate obſtricto ſenatu, ſtatuendum» diſſeruit; «carnificem & laqueum pridem abolita [9]: & eſſe pœ»nas legibus conſtitutas, quibus ſine judicum ſævitiâ, & »temporum infamiâ, ſupplicia decernerentur. Quin in inſulâ, »publicatis bonis, quò longiùs ſontem vitam traxiſſet, eò

A. U. C. 815. J. C. 62.

[1] L. Asinio consulibus] P. Marius Celſus & L. Aſinius Gallus conſules fuere anno Urbis conditæ DCCCXV. Jeſu Chriſti 62.

[2] Memoravi] Suprà Annal. XIII, 28.

[3] Ostorium Scapulam] Triumphalis patris filium, & coronam civicam jam meritum, Annal. XII, 31 & 39.

[4] Cossutiano Capitone] Maculoſo fœdoque homine, repetundarum olim damnato, Annal. XIII, 33.

[5] Tum primum] Sub Neronis Principatu. Quantum ſub prioribus Principibus viguerit, ſæpe dictum. Originem vide Annal. I, 72.

[6] Intercessione tribunicia] Interceſſione Principis, qui, ut Auguſtus, *ad tuendam plebem tribunicio jure contentum* ſe ferebat; ut dictum eſt Annal. I, 2. Hæc eſt TR. P. ſeu *tribunicia poteſtas* in nummis & monumentis ſemper obvia.

[7] Consul designatus] Inter ſuffectos. Fortè ad hunc Marullum ſcripta epiſtola XCIX Senecæ.

[8] Necandumque more majorum] Probroſa carmina vel ipſis XII Tabularum legibus morte mulctari diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. IV, 35. Necandi verò more majorum, juxta Eutropium VII, *pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus, furcâ capiti ejus inſertâ, virgis uſque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de ſaxo.*

[9] Pridem abolita] A ſenatu mollitam fuiſſe legem docet Julius Paulus Sentent. V, Tit. 4. de injuriis. Leg. 15. *Qui carmen famoſum in injuriam alicujus, vel alia quælibet cantica, quo agnoſci poſſit, compoſuerit, ex auctoritate ampliſſimi ordinis in inſulam deportatur.*

A. U. C. 815. J. C. 62.

»privatim miſeriorem, & publicæ clementiæ maximum exem»plum futurum».

XLIX. Libertas Thraſeæ ſervitium aliorum rupit : & poſtquam diſceſſionem [1] conſul permiſerat, pedibus in ſententiam ejus iere, paucis exemptis : in quibus adulatione promptiſſimus fuit A. Vitellius [2], optimum quemque jurgio laceſſens, & reſpondenti reticens, ut pavida ingenia ſolent. At conſules perficere ſenatûs decretum non auſi, de conſenſu [3] ſcripſere Cæſari. Ille inter pudorem & iram cunctatus, poſtremò reſcripſit, « nullâ injuriâ provocatum Antiſtium graviſſimas in »Principem contumelias dixiſſe : earum ultionem a patribus »poſtulatam. Et pro magnitudine delicti, pœnam ſtatui par »fuiſſe : ceterùm ſe, qui ſeveritatem decernentium impeditu»rus fuerit, moderationem non prohibere : ſtatuerent ut vel»lent : datam etiam abſolvendi licentiam ». His atque talibus recitatis, & offenſione manifeſtâ, non ideo aut conſules mutavere relationem, aut Thraſea deceſſit ſententiâ, ceterive, quæ probaverant, deſeruere : pars, ne Principem objeciſſe invidiæ viderentur; plures numero tuti; Thraſea ſuetâ firmitudine animi, & ne gloria intercideret [4].

L. Haud diſpari crimine Fabricius Vejento [5] conflictatus eſt, « quòd multa & probroſa in patres & ſacerdotes compo»ſuiſſet, iis libris quibus nomen *codicillorum* [6] dederat ».

[1] Postquam discessionem] Poſtquam conſul permiſit, ut ſenatores in partem, cui faverent, diſcederent, pedibus in ſententiam Thraſeæ iere. De hac formulâ Plinius VIII, Ep. 14. Lex *ita diſceſſionem fieri jubet*, QVI HAEC SENTITIS IN HANC PARTEM : QVI ALIA OMNIA IN ILLAM PARTEM ITE QVA SENTITIS.

[2] A. Vitellius] Poſtea Imperator.

[3] De consensu] De conſenſu ſenatûs, qui pedibus in Thraſeæ ſententiam ierat.

[4] Gloria intercideret] Thraſea *veræ gloriæ exemplar* appellatur infrà Hiſt. II, 91.

[5] Fabricius Vejento] Ejus ingenium laudat Petronius initio Satyrici. *Fabr. Vejento de religionis erroribus jam nunc ingenioſè locutus eſt, & detexit quo doloſo vaticinandi furore ſacerdotes myſteria, illis ſæpe ignota, publicant.* Homo tamen ridiculus, qui, cùm prætor eſſet, canes equorum loco in ludis introduxit, teſte Dione LXI, pag. 692. Poſtea, imperitante Domitiano, de rhombo ſententiam dixit, quam argutè irridet Juvenalis IV, 123.

Non cedit Vejento : ſed ut fanaticus æſtro
Percuſſus, Bellona, tuo divinat, & ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi.
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. Peregrina eſt bellua. Cernis
Erectas in terga ſudes? hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret & annos.

[6] Nomen codicillorum] Quàm

Adjiciebat

A. U. C. 815. J. C. 62.

Adjiciebat Talius Geminus, accuſator, « venditata ab eo mu»nera Principis, & adipiſcendorum honorum jus » : quæ cauſa Neroni fuit ſuſcipiendi judicii : convictumque Vejentonem Italiâ depulit, & libros exuri juſſit, conquiſitos lectitatoſque, donec cum periculo parabantur : mox licentia habendi, oblivionem attulit.

LI. Sed graveſcentibus in dies publicis malis, ſubſidia minuebantur : conceſſitque vitâ Burrus, incertum valetudine, an veneno [1]. Valetudo ex eo conjectabatur, quòd in ſe tumeſcentibus paullatim faucibus & impedito meatu, ſpiritum finiebat. Plures juſſu Neronis, quaſi remedium adhiberetur, inlitum palatum ejus noxio medicamine, adſeverabant : & Burrum, intellecto ſcelere, cùm ad viſendum eum Princeps veniſſet, aſpectum ejus averſatum, ſciſcitanti, « hactenus », reſpondiſſe, « ego me bene habeo ». Civitati grande deſiderium ejus manſit, per memoriam virtutis, & ſucceſſorum alterius ſegnem innocentiam, alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria : quippe Cæſar duos prætoriis cohortibus impoſuerat : Fenium Rufum, ex vulgi favore, quia rem frumentariam ſine quæſtu tractabat : Sophonium Tigellinum [2], veterem impudicitiam atque infamiam in eo ſecutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere [3] : validior Tigellinus in animo Principis, & intimis libidinibus adſumptus : proſperâ populi & militum famâ Rufus, quod apud Neronem adverſum experiebatur.

LII. Mors Burri infregit Senecæ potentiam, quia nec bonis artibus [4] idem virium erat, altero velut duce amoto, &

atrocia in codicillis, ſeu ſupremis tabulis, ſcriberent Romani vidimus ſuprà Annal. VI, 38. Eam teſtamentorum licentiam inhibere voluit Senatus, imperante Auguſto. Interceſſit Princeps, qui, cùm libertatem in omni vitâ tolleret, aliquod libertatis veſtigium, nec umquam nociturum, in teſtamentis irridebat.

[1] An veneno] Burrum veneno exſtinctum fuiſſe ſcribunt Dio LXII, pag. 706. Sueton. in Ner. XXXV. *Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit.*

[2] Sophonium Tigellinum] *Crudelitatis omnis, omniſque laſciviæ magiſter erat Neroni*, πάσης ὠμότητος καὶ ἀσελγείας διδάσκαλος ἦν τῷ Νέρωνι, teſte Apollonio apud Philoſtrat. Vit. Apollon. IV, 44, pag. 186. Si de Tigellino plura volueris, vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 51.

[3] Pro cognitis moribus fuere] Rufus & Tigellinus pro cognitis & diverſis moribus diversâ fuere gratiâ.

[4] Nec bonis artibus] Burro quidem egregiæ artes : bonæ quoque

A. U. C. 815. J. C. 62.

Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, « tamquam ingentes & privatum ſupra modum » evectas opes adhuc augeret; quodque ſtudia civium in ſe verteret : hortorum quoque amœnitate [1] & villarum magnificentiâ quaſi Principem ſupergrederetur ». Objiciebant « etiam » eloquentiæ laudem uni ſibi adſciſcere, & carmina crebriùs » factitare [2], poſtquam Neroni amor eorum veniſſet. Nam oble» ctamentis Principis palam iniquum, detrectare vim ejus equos » regentis; inludere voces, quotiens caneret. Quem ad finem » nihil in republicâ clarum fore, quod non ab illo reperiri cre» datur. Certè finitam Neronis pueritiam, & robur juventæ » adeſſe: exueret magiſtrum, ſatis amplis doctoribus inſtructus, » majoribus ſuis ».

LIII. At Seneca criminantium non ignarus, prodentibus iis, quibus aliqua honeſti cura, & familiaritatem ejus magis aſpernante Cæſare, tempus ſermoni orat: & accepto, ita incipit. « Quartuſdecimus annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei » tuæ admotus ſum : octavus, ut imperium obtines. Medio tem» poris tantum honorum atque opum in me cumulaſti, ut nihil » felicitati meæ deſit, niſi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, » nec meæ fortunæ, ſed tuæ. Abavus tuus Auguſtus, M. Agrip» pæ Mitylenenſe ſecretum [3]; C. Mæcenati Urbe in ipsâ [4] velut

Senecæ, ſed non ſatis viriles, & ob fortunæ inſolentiam, gloriæ aviditatem, Principis licentiam ſæpe philoſopho, nedum Stoico, indignæ. Eò magis arguendus, quòd, Neronis indolem ſubodoratus, *inter familiares ſolitus* eſſet *dicere : Non fore ſævo illi leoni, quin, guſtato ſemel hominis cruore, ingenita redeat ſævitia*, Vetus Scholiaſtes in Juvenalis Satyr. V, 109.

[1] Hortorum quoque amœnitate] De his plura cap. ſeq.

[2] Carmina crebrius factitare] Fortè etiam quaſdam e tragœdiis, quæ ſub ejus nomine circumferuntur; ſatis ſententioſas, at tragicâ arte mediocriter commendabiles. Quædam etiam nec ejus ingenium, nec ejus ætatem decent.

[3] Mitylenense secretum] At *pudenda fuit* Auguſto *hæc Agrippæ ablegatio*, teſte Plinio VII, 45. Vide & Suetonium in Aug. LXVI. in Tiber. X. Dionem LIII. pag. 518. Id contigit anno U. C. dccxxxi. quo Agrippa, vitandæ ſimultatis cauſâ, in inſulam Lesbum, nunc *Metelin*, ex urbe principe Mitylene ita appellatam, ſeceſſit.

[4] Urbe in ipsa] In quâ erant regales Mæcenatis horti. Quod quidem meritò arguit Plinius XIX, 4. *Jam quidem hortorum nomine in ipsâ Urbe delicias, agros, villaſque poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus, otii magiſter. Uſque ad eum, moris non fuerat in oppidis habitari rura. Romæ quidem per ſe hortus ager pauperis erat.* De Mæcenatis hortis dicetur infrà Annal. XV, 39.

»peregrinum otium permiſit: quorum alter bellorum ſocius, »alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, ſed »pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud »munificentiæ tuæ adhibere potui, quàm ſtudia, ut ſic dixerim, »in umbrâ educata: & quibus claritudo venit, quòd juventæ »tuæ rudimentis adfuiſſe videor? grande hujus rei pretium. At »tu gratiam immenſam, innumeram pecuniam circumdediſti, »adeò ut plerumque intra me ipſe voluam: Egone equeſtri & »provinciali loco [1] ortus, proceribus civitatis adnumeror? Inter nobiles, & longa decora præferentes, novitas mea enituit? »Ubi eſt animus ille modicis contentus? Tales hortos inſtruit [2], »& per hæc ſuburbana incedit [3], & tantis agrorum ſpatiis, tam »lato fenore exuberat [4]? Una defenſio occurrit, quòd muneribus tuis obniti non debui.

A. U. C. 815. J. C. 62.

LIV. »Sed uterque menſuram implevimus, & tu, »quantum Princeps tribuere amico poſſet, & ego, quantum »amicus a Principe accipere. Cetera invidiam augent: quæ »quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacent; ſed mihi incumbunt: mihi ſubveniendum eſt. Quo »modo in militiâ, aut viâ, feſſus adminiculum orarem; ita in »hoc itinere vitæ, ſenex, & leviſſimis quoque curis impar, cùm »opes meas ultrà ſuſtinere non poſſim, præſidium peto. Jube »eas per procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam; ſed traditis, »quorum fulgore perſtringor, quod temporis hortorum, aut »villarum, curæ ſeponitur, in animum revocabo. Supereſt tibi »robur, & tot per annos [5] nixum faſtigii regimen: poſſumus

[1] Et provinciali loco] Seneca natus Cordubæ, nunc *Cordoue*, in Hiſpaniâ.

[2] Tales hortos instruit] *Inſtruit*, id eſt, ſtatuis, aquis, tonſilibus nemoribus, aliiſque hortorum ornamentis extollit. Juvenalis X, 16. memorat

Magnos Senecæ prædivitis hortos.

[3] Suburbana incedit] Villam ſuam Nomentanam appellat Seneca Ep. CX. *Ex Nomentano meo te ſaluto.*

[4] Tam lato fenore exuberat] Lato quidem & immenſo, cum vel in unâ Britanniâ, teſte Dione LXII. pag. 701. *quadringenties ſeſtertiùm*, monetæ Gallicæ libras 7,782,010, *ſub largarum ſpe uſurarum crediſſet*, ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας ἄκουσιν ἐπὶ χρησαῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας. Unde etiam prioris motùs rebellioniſque Britannicæ cauſa.

[5] Tot per annos] Octo per annos.

A. U. C. 815. J. C. 62.

»ſeniores amici, quiete reſpondere [1]. Hoc quoque in tuam »gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe, qui & modica tole»rarent».

LV. Ad quæ Nero ſic ferme reſpondit : « Quòd medi»tatæ orationi tuæ ſtatim occurram, id primum tui muneris »habeo, qui me non tantùm prævisa, ſed ſubita expedire do»cuiſti. Abavus meus Auguſtus Agrippæ & Mæcenati uſurpare »otium poſt labores conceſſit; ſed in eâ ipsâ ætate, cujus au»ctoritas tueretur, quidquid illud & qualecumque tribuiſſet : »attamen neutrum datis a ſe præmiis exuit. Bello & periculis »meruerant. In his enim juventa Auguſti verſata eſt. Nec mihi »tela & manus tuæ defuiſſent, in armis agenti. Sed quod præ»ſens conditio poſcebat, ratione, conſilio, præceptis pueri»tiam, dein juventam meam, foviſti. Et tua quidem erga me »munera, dum vita ſuppetet, æterna erunt. Quæ a me habes, »horti, & fenus, & villæ, caſibus obnoxia ſunt: ac licet multa »videantur, plerique, haud quaquam artibus tuis pares, plura »tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores ſpectantur. »Unde etiam rubori mihi eſt, quòd præcipuus caritate [2], nondum »omnes fortunâ antecellis.

LVI. » Verum & tibi valida ætas, rebuſque & fructui »rerum ſufficiens; & nos prima imperii ſpatia ingredimur : »niſi fortè aut te Vitellio ter conſuli [3], aut me Claudio poſt»ponis [4]. Sed quantum Voluſio [5] longa parcimonia quæſivit, »tantum in te mea liberalitas explere non poteſt. Quin, ſi quâ

[1] Quiete respondere] Mallet eruditus Petavius, *quietem reſpicere.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 54.

[2] Præcipuus caritate] Tuâ in me, meâ in te caritate præcipuus.

[3] Vitellio ter consuli] L. Vitellium, Claudii amicum, ter conſulem, cenſuræ collegam, juvenem egregium, flagitioſum ſenem vidimus ſuprà Annal. VI, 32. & paſſim Annal. XI & XII.

[4] Aut me Claudio postponis] Vulgò, *præponis.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 56. Senſus verò eſt : *Et nos prima imperii ſpatia ingredimur ; plurima adhuc in te collaturi, niſi fortè aut te Vitellio ter conſuli, aut me Claudio poſtponis ; vel quantum* (ſic enim emendandum eſſe puto) *Voluſio longa parcimonia quæſivit, tantum in te mea liberalitas explere non poteſt.* Olim Claudius Vitellium ter conſulem fecerat. Nondum conſul fuerat Seneca, niſi fortè hoc anno fuerit conſul ſuffectus, ut quibuſdam viris eruditis placet, cum Trebellio Maximo.

[5] Sed quantum Volusio] Voluſii opes bonis artibus partæ laudantur Annal. XIII, 32.

A. U. C. 815. J. C. 62.

» in parte lubricum adoleſcentiæ noſtræ declinat, revocas, ornatumque robur ſubſidio impenſiùs regis. Non tua moderatio, ſi reddideris pecuniam; nec quies, ſi reliqueris Principem; ſed mea avaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium verſabitur. Quòd ſi maximè continentia tua laudetur, non tamen ſapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam ſibi recipere [1] ». His adjicit complexum & oſcula, factus naturâ, & conſuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis. Seneca (qui finis omnium cum dominante ſermonum) grates agit: ſed inſtituta prioris potentiæ commutat: prohibet cœtus ſalutantium: vitat comitantes: rarus per Urbem; quaſi valetudine infensâ, aut ſapientiæ ſtudiis domi attineretur.

LVII. Perculso Senecâ, promptum fuit Ruſum Fenium imminuere [2], Agrippinæ [3] amicitiam in eo criminantibus. Validiorque in dies Tigellinus; & malas artes, quibus ſolis pollebat, gratiores ratus, ſi Principem ſocietate ſcelerum obſtringeret, metus ejus rimatur: compertoque Plautum & Sullam [4] maximè timeri, Plautum in Aſiam, Sullam in Galliam Narbonenſem nuper amotos: « nobilitatem eorum, & propinquos » huic Orientis, illi Germaniæ exercitus » commemorat. « Non » ſe, ut Burrum, diverſas ſpes, ſed ſolam incolumitatem Neronis ſpectare: cui caveri utcumque ab Urbanis inſidiis præſentiâ [5]; longinquos motus quonam modo comprimi poſſe? Erectas Gallias ad nomen dictatorium [6], nec minùs ſuſpectos Aſiæ populos, claritudine avi Druſi [7]. Sullam inopem, unde præcipuam audaciam; & ſimulatorem ſegnitiæ, dum temeritati

[1] Gloriam sibi recipere] Utraque oratio utriuſque ingenio digna. Arte multiplici præſtat Nero: Seneca, pro more ſuo, virtutis præceptor magis, quàm cultor rigidus.

[2] Fenium imminuere] Poſtea interemptum, ut dicetur Annal. XV, 66 & 68.

[3] Agrippinæ] Neronis matris.

[4] Plautum et Sullam] Rubellium Plautum, de quo dictum eſt ſuprà cap. 22. & Cornelium Syllam, de quo in libro priore cap. 47. De utroque vide Stemma Cæſarum, num. 76 & 107.

[5] Præsentia] Neronis ac Tigellini præſentiâ.

[6] Ad nomen dictatorium] Ad nomen Syllæ, quod olim, dictatore Syllâ, inclaruerat.

[7] Avi Drusi] Rubellius Plautus nepos erat Druſi Cæſaris, & atavum habebat Auguſtum, qui tantùm abavus erat Neronis. Vide Stemma Cæſarum, num. 76.

A. U. C. 815. J. C. 62.

» locum reperiret. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem » cupidinem otii, ſed veterum Romanorum imitamenta præ- » ferre, adſumptâ etiam Stoicorum arrogantiâ, ſectâque, quæ » turbidos, & negotiorum appetentes faciat [1] ». Nec ultrà mora. Sulla, ſexto die pervectis Maſſiliam percuſſoribus, ante metum & rumorem interficitur, cùm epulandi cauſâ diſcumberet. Relatum caput ejus inluſit Nero, tamquam præmaturâ canitie deforme.

LVIII. Plauto parari necem, non perinde occultum fuit, quia pluribus ſalus ejus curabatur, & ſpatium itineris ac maris tempuſque interjectum moverat famam: vulgóque fingebant, « petitum ab eo Corbulonem », magnis tum exercitibus præſidentem [2], ſi clari atque inſontes interficerentur, præcipuum ad pericula: « quin & Aſiam favore juvenis arma cepiſſe, » nec milites, ad ſcelus miſſos, aut numero validos, aut animo » promptos: poſtquam juſſa efficere nequiverint, ad ſpes no- » vas tranſiſſe ». Una hæc [3] more famæ, credentium otio augebantur. Ceterùm libertus Plauti, celeritate ventorum prævenit centurionem, & mandata L. Antiſtii, ſoceri [4], attulit: « effu- » geret ſegnem mortem, otium, ſuffugium [5], & magni nomi- » nis miſerationem [6]: reperturum bonos, conſociaturum auda- » ces: nullum interim ſubſidium aſpernandum: ſi ſexaginta » milites (tot enim adveniebant) propuliſſet; dum refertur » nuntius Neroni, dum manus alia permeat, multa ſecutura, » quæ ad uſque bellum evaleſcerent: denique aut ſalutem tali

[1] Quæ turbidos, et negotiorum appetentes faciat] Hæc non ſectæ, auſteræ quidem, &, ut fateor, ex placitorum naturâ arrogantis, ſed hominum vitia, qui honeſti imagine falluntur, vel fallunt. Vide Annal. XVI, 32. Inde tamen Cl. Baconus, de Augm. Scient. VI, 3, hauſit illud ἀντίθετον: *Non Epicuri ſchola, ſed Stoa, veteres reſpublicas perturbavit.*

[2] Exercitibus præsidentem] In Syriâ, ut dictum ſuprà cap. 26.

[3] Transisse. Una hæc] Mallem, *unà tranſiſſe. Hæc, &c.* vel, *tranſiſſe. Vana hæc.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 58.

[4] L. Antistii soceri] L. Antiſtius pater Antiſtiæ Pollutiæ, Rubellii Plauti conjugis. Vide Stemma Cæſarum, num. 77.

[5] Otium, suffugium] Meliùs, *otioſum ſuffugium.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 58.

[6] Nominis miserationem] Emendandum mihi videtur: *Effugeret ſegnem mortem, & otioſum ſuffugium: magni nominis miſeratione, reperturum bonos, conſociaturum audaces.*

» conſilio quæri, aut nihil gravius audenti, quàm ignavo, pa» tiendum eſſe ». A. U. C. 815. J. C. 62.

LIX. Sed Plautum ea non movêre: ſive nullam opem providebat inermis atque exſul; ſeu tædio ambiguæ ſpei; an amore conjugis & liberorum, quibus placabiliorem fore Principem rebatur, nullâ ſollicitudine turbatum. Sunt, qui « alios » a ſocero nuntios veniſſe » ferant, « tamquam nihil atrox im» mineret; doctoreſque ſapientiæ [1], Cœranum Græci [2], Muſo» nium Tuſci generis [3], conſtantiam opperiendæ mortis, pro » incertâ & trepidâ vitâ ſuaſiſſe ». Repertus eſt certè, per medium diei, nudus, exercitando corpori. Talem eum centurio trucidavit, coram Pelagone, ſpadone, quem Nero centurioni & manipulo, quaſi ſatellitibus miniſtrum regium, præpoſuerat. Caput interfecti relatum: cujus aſpectu (ipſa Principis verba referam [4]) « Quin », inquit, « Nero, depoſito metu, nuptias » Poppææ, ob ejuſmodi terrores dilatas, maturare parat, Oc» taviamque conjugem amoliri, quamvis modeſtè agat, & no» mine patris [5], & ſtudiis populi gravem »? Sed ad ſenatum literas miſit, de cæde Sullæ Plautique haud confeſſus; verùm « utriuſque turbidum ingenium eſſe, & ſibi incolumitatem rei» publicæ magnâ curâ haberi ». Decretæ eo nomine « ſupplica» tiones, utque Sulla & Plautus ſenatu moverentur », gravioribus tamen ludibriis, quàm malis [6].

[1] Doctoreſque sapientiæ] Philoſophos Stoicos.

[2] Cœranum Græci] Græcis Κοίρανος. Laudatur a Plinio inter auctores. Vide Harduinum in Indic. Auctor. Fruſtra ergo exiſtimavit Lipſius eumdem fortè eſſe ac Claranum, Senecæ condiſcipulum, qui *ad cetera contemnenda a contemptu ſui venit*, Senec. Epiſtolâ LXVI, quâ nulla Stoica magis.

[3] Musonium Tusci generis] Ὃν φασι τελεώτατα ἀνθρώπων φιλοσοφῆσαι, *quem maximè mortalium philoſophiâ excelluiſſe aiunt*, Philoſtrat. Vit. Apollon. IV, 46. pag. 187. Cùm apud eumdem Philoſtratum IV, 35. pag. 176. Βαβυλώνιος dicitur, id ne accipias de patriâ, ſed de ſtudiorum genere, quòd philoſophos, quaſi Chaldæos, puniret Nero. Unde ipſe Muſonius a Nerone in inſulam Gyaron projectus, teſte eodem Philoſtrato, Vit. Apollon. VII, 16. pag. 297. qui hîc Μουσώνιον τὸν Τυῤῥηνὸν appellat. De illo adhuc infrà Annal. XV, 71.

[4] Principis verba referam] Juxta Dionem, LXII. pag. 707. Nero, viſo Plauti capite, ait, *neſciebam magnum ei fuiſſe naſum*, οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν. Verba Nerone digna, ſed quæ meritò omiſit Tacitus. Alius eſt Aulus Plautius, juvenis, a Nerone interfectus, de quo Suetonius in Ner. XXXV.

[5] Nomine patris] Claudii. Octavia enim Claudii & Meſſalinæ filia. Vide Stemma Cæſarum, num. 36.

[6] Quam malis] Hæcque ludibria

A. U. C. 815. J. C. 62.

LX. Igitur accepto patrum conſulto, poſtquam cuncta ſcelerum ſuorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, « ſterilem » dictitans. Exin Poppææ [1] conjungitur. Ea diu pellex, & adulteri Neronis, mox mariti potens, quemdam ex miniſtris Octaviæ impulit, « ſervilem ei amorem » objicere : deſtinaturque reus cognomento *Eucerus*, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Actæ ob id de ancillis quæſtiones, & vi tormentorum victis quibuſdam, ut falſa adnuerent, plures perſtitere [2] ſanctitatem dominæ tueri. Ex quibus una inſtanti Tigellino, « caſtiora eſſe muliebria Octaviæ » reſpondit, « quàm » os ejus ». Movetur tamen primò civilis diſcidii [3] ſpecie : domumque Burri, & prædia Plauti, infauſta dona, accipit. Mox in Campaniam pulſa eſt, additâ militari cuſtodiâ. Inde crebri queſtus, nec occulti per vulgum, cui minor ſapientia, & ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula ſunt. His motus Nero, haud quaquam [4] pœnitentia flagitii, conjugem revocavit Octaviam.

LXI. Exin læti Capitolium ſcandunt, deoſque tandem venerantur. Effigies Poppææ proruunt : Octaviæ imagines geſtant humeris, ſpargunt floribus, foroque ac templis ſtatuunt. Itur etiam in Principis laudes, expetitur venerantibus [5]. Jamque & palatium multitudine & clamoribus complebant, cùm emiſſi militum globi verberibus & intento ferro turbatos disjecere. Mutataque [6], quæ per ſeditionem verterant, & Poppææ honos repoſitus eſt. Quæ ſemper odio, tum & metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi

malis ipſis graviora. Quid enim gravius hac pudendâ ſenatûs ſervitute?

[1] Exin Poppææ] De quâ multa ſunt dicta Annal. XIII, 45 & 46.

[2] Plures perstitere] Si Dioni LXII. pag. 707. fides, ſola Pythias perſtitit, faciem Tigellini conſpuit, eumque allocuta eſt : *Μόνη δ' ἡ Πυθιὰς οὔτε τι κατεψεύσατο αὐτῆς, καίπερ πικρότατα βασανισθεῖσα, καὶ τέλος, ὡς ὁ Τιγελλῖνος ἐνέκειτο αὐτῇ, προσέπτυσέ τε αὐτῷ, καὶ εἶπε· Καθαρώτερον, ὦ Τιγελλῖνε, τὸ αἰδοῖον ἡ δέσποινά μου τοῦ σοῦ στόματος ἔχει.*

[3] Civilis discidii] Divortii.

[4] His ... haud quaquam] Nero his populi clamoribus, haud quaquam pœnitentiâ flagitii motus, Octaviam e Campaniâ revocavit.

[5] Expetitur venerantibus] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, 61.

[6] Mutataque] Mutata ſunt, quæ per ſeditionem verterant, & prorutæ effigies Poppææ repoſitæ ſunt. Everſas Poppææ imagines fusè deſcribit Seneca, Octavia, Act. IV, 791 & ſeqq.

mutaretur,

A. U. C. 815. J. C. 62.

mutaretur, provoluta genibus ejus: « Non eò loci res ſuas agi, » ut de matrimonio certet (quamquam id ſibi vitâ potius), ſed » vitam ipſam in extremum adductam a clientelis & ſervitiis » Octaviæ, quæ plebis [1] ſibi nomen indiderint, eâ in pace auſi, » quæ vix bello evenirent. Arma illa adversùs Principem ſump- » ta: ducem tantùm deſuiſſe, qui, motis rebus, facilè reperire- » tur. Omitteret [2] modò Campaniam, & in Urbem ipſam per- » geret, ad cujus nutum abſentis tumultus cierentur. Quod » alioquin ſuum delictum? quam cujuſquam offenſionem? An, » quia veram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit, malle » populum Romanum tibicinis Ægyptii ſubolem Imperatorio » faſtigio induci? Denique, ſi id rebus conducat, libens, quàm » coactus, acciret dominam, vel conſuleret ſecuritati juſtâ » ultione. Et modicis remediis, primos motus conſediſſe: at, » ſi deſperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum » daturos ».

LXII. Varius ſermo, & ad metum atque iram accommodatus, terruit ſimul audientem, & accendit. Sed parum valebat ſuſpicio in ſervo, & quæſtionibus ancillarum eluſa erat. Ergo confeſſionem alicujus quæri placet, cui rerum quoque novarum crimen adfingeretur. Et viſus idoneus maternæ necis patrator [3], Anicetus, claſſi apud Miſenum, ut memoravi, præfectus, levi poſt admiſſum ſcelus gratiâ, dein graviore odio: quia malorum facinorum miniſtri quaſi exprobrantes aſpiciuntur. Igitur accitum eum Cæſar « operæ prioris » admonet.

[1] Quæ plebis] Quæ plebis Urbanæ, aut populi Romani, nomen ſibi indiderint. Hæc illuſtrat Seneca, Octaviâ, Act. III, 675.

Ubi Romani vis eſt populi?
Fregit claros quæ ſæpe duces;
Dedit invictæ leges patriæ,
Faſces dignis civibus olim;
Juſſit bellum pacemque; feras
Gentes domuit; captos reges
Carcere cluſit.

[2] Omitteret] Omitteret modò Campaniam, in Urbem ipſam pergeret Octavia, ad cujus abſentis nutum tumultus cierentur. Quod alioquin Poppææ delictum? Quem offendit? An, quia veram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit, malle populum Romanum Euceri, tibicinis Alexandrini, ſobolem Imperatorio faſtigio induci. Denique, ſi id reipublicæ conducat, libens potiùs, quàm coactus acciret dominam, vel ſecuritati juſtâ ultione conſuleret. Primos quidem motus modicis remediis ſedatos fuiſſe: at Octaviæ maritum daturos, ſi illam Neronis uxorem fore deſperaverint.

[3] Maternæ necis patrator] Anicetus, interfector Agrippinæ, Neronis matris, ut dictum eſt ſuprà cap. 7.

A. U. C. 815. J. C. 62.

«Solum incolumitati Principis adversùs inſidiantem matrem »ſubveniſſe: locum haud minoris gratiæ inſtare, ſi conjugem »infenſam depelleret: nec manu aut telo opus. Fateretur Oc»taviæ adulterium. Occulta quidem ad præſens, ſed magna ei »præmia, & ſeceſſus amœnos» promittit: «vel ſi negaviſſet, »necem» intentat. Ille inſitâ vecordiâ, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam [1], quàm juſſum erat, fingit, fateturque apud amicos, quos velut conſilio adhibuerat Princeps. Tum in Sardiniam [2] pellitur, ubi non inops exſilium toleravit, & fato obiit.

LXIII. At Nero, «præfectum in ſpem ſociandæ claſſis »corruptum [3]», & incuſatæ paullo antè «ſterilitatis [4]» oblitus, «abactos partus conſcientiâ libidinum, eaque ſibi com»perta», edicto memorat: inſulâque Pandatariâ [5] Octaviam claudit. Non alia exſul viſentium oculos majore miſericordiâ adfecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ a Tiberio [6]; recentior Juliæ memoria [7] obverſabatur, a Claudio pulſæ. Sed illis robur ætatis adfuerat. Læta aliqua viderant, & præſentem ſævitiam melioris olim fortunæ recordatione allevabant. Huic primùm nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum [8], in quâ nihil niſi luctuoſum haberet, erepto per venenum patre, & ſtatim fratre [9]: tum ancilla [10] dominâ validior: & Poppæa non niſi in perniciem uxoris nupta: poſtremò crimen [11] omni exitio gravius.

[1] Plura etiam] Non modò adulterium fatetur, ſed fingit ſe corruptum ut claſſem Miſenatium ſociaret, & in partes Octaviæ adversùs Neronem traheret.

[2] In Sardiniam] *L'iſle de Sardaigne*, de quâ Mela II, 7. Sardinia *fertilis*, & *ſoli*, *quam cæli*, *melioris: atque ut fecunda*, *ita pene peſtilens*.

[3] Corruptum] Quod ab Aniceto confictum modò diximus.

[4] Sterilitatis] Incuſatam ſterilitatem vidimus cap. 60.

[5] Insulaque Pandataria] *L'iſle Sainte Marie* in Puteolano ſinu.

[6] Agrippinæ a Tiberio] Agrippina, Germanici uxor, a Tiberio in Pandatariam projecta, ut diximus in Supplemento Annal. V, 12.

[7] Juliæ memoria] Juliæ, Germanici & Agrippinæ filiæ, exſilium mortemque memorabimus in Supplemento Annal. IX, 24 & 48. Vide & Stemma Cæſarum, num. 97.

[8] In domum] In domum Neronis.

[9] Patre, et statim fratre] Claudio patre, fratre Britannico.

[10] Tum ancilla] Acte, ancilla, de quâ dictum eſt ſuprà cap. 2. & Annal. XIII, 46.

[11] Postremo crimen] Abactos partus conſcientiâ libidinum.

A. U. C. 815. J. C. 62.

LXIV. Ac puella, viceſimo ætatis anno, inter centuriones & milites, præſagio malorum jam vitâ exempta, nondum tamen morte acquieſcebat [1]. Paucis dehinc interjectis diebus, mori jubetur: cùm jam « viduam ſe, & tantùm ſo»rorem [2] » teſtaretur, communeſque « Germanicos [3] », & poſtremò « Agrippinæ [4] » nomen cieret, « quâ incolumi, in»felix quidem matrimonium, ſed ſine exitio pertuliſſet ». Reſtringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exſolvuntur; &, quia preſſus pavore ſanguis tardiùs labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. Additurque atrocior ſævitia, quòd caput amputatum latumque in Urbem Poppæa vidit. Dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memoravimus, ut, quicumque caſus temporum illorum, nobis vel aliis auctoribus, noſcent, præſumptum habeant, quotiens fugas & cædes juſſit Princeps, totiens grates deis actas; quæque rerum ſecundarum olim, tum publicæ cladis inſignia fuiſſe. Neque tamen ſilebimus, ſi quod ſenatuſconſultum, adulatione novum, aut patientiâ poſtremum fuit.

LXV. Eodem anno libertorum potiſſimos [5] veneno interfeciſſe creditus eſt, Doryphorum [6], quaſi adverſatum nuptiis Poppææ; Pallantem [7], quòd immenſam pecuniam longâ

[1] Morte acquiescebat] Elegantiſſimè dictum, licèt paulo ingenioſiùs. Præſagio malorum jam a vitâ exempta erat Octavia, nondum tamen morte, quæ & ipſi ultimum malorum levamentum, Neroni & Poppææ extremum ſcelus ſupererat, acquieſcebat, id eſt, nondum occubuerat.

[2] Viduam se, et tantum sororem] Viduam ob divortium: ſororem Neronis, adoptione. Sic ferme apud Senecam, Octaviâ, Act. III, 658.

Soror Auguſti, non uxor, ero.
Abſint tantùm triſtes pœnæ,
Lethique metus.

[3] Communesque Germanicos] Claudium, Germanicum, Neronem Druſum, omnes Germanicos, & Octaviæ progenitores, ipſi cum Nerone communes propter Neronis adoptionem, unde Nero quoque dictus eſt Germanicus. Vide Stemma Cæſarum, num. 79.

[4] Agrippinæ] Germanici filiæ, Neronis matris, Claudii uxoris. Vide Stemma Cæſarum, num. 93.

[5] Libertorum potissimos] Sueton. in Ner. XXXV. *Libertos divites & ſenes olim adoptionis, mox dominationis ſuæ fautores, veneno partim cibis, partim potionibus, indito, intercepit.*

[6] Doryphorum] A libellis Neroni, qui illi, teſte Dione LXI, pag. 692. ducenties ſeſtertium, monetæ Gallicæ libras, 3,891,005, dederat. Olim prodigus, nunc crudelis. Doryphorum, qui Neroni denupſit, memorat Suetonius in Ner. XXIX. At, ut exiſtimant viri eruditi, Suetonius librariive *Doryphorum* pro *Pythagoram* ſcripſere, de quo dicetur infrà Annal. XV, 37.

[7] Pallantem] Sæpe memoratum in

ſenectâ detineret. Romanus ſecretis criminationibus incuſa-
A. U. C. 815. verat Senecam, ut C. Piſonis ſocium [1], ſed validiùs a Senecâ
J. C. 62. eodem crimine perculſus eſt. Unde Piſoni timor, & orta inſidiarum in Neronem magna moles, ſed improſpera.

libris ſuperioribus. De Pallantis ſepulcro, abhinc annos prope quinquaginta reperto, vide Notas & Emendationes ad Annal. XIV, *65*.

[1] C. Pisonis socium] De illo plura Annal. XV, 48.

BREVIARIUM

LIBRI DECIMI QUINTI.

I. ARMENIAM *invadit Vologeſes, Parthorum rex, quem Corbulo cautè, fortiter tamen, repreſſit.* VI. *Cæſennius Pætus adventat, proprius Armeniæ tuendæ dux: imperitiâ & temeritate rem perdit: Corbulo ei, ſed ſerò, ſuccurrit.* XVIII. *Romæ tropæa de Parthis decreta, integro adhuc bello.* XIX. *Senatuſconſultum de fictis adoptionibus.* XXIII. *Neroni filia ex Poppæâ naſcitur. Ingens, ſed fluxa, lætitia. Infans, quartum intra menſem defuncta, honorem divæ obtinet.* XXIV. *Parthorum legati Romam veniunt, ſuper retinendâ Armeniâ: inriti remittuntur; & bellum Corbuloni permiſſum. Armeniam iterum invadit; metuque Parthis injecto, ad Colloquium ventum eſt. Placuit arma poni, & Tiridatem diadema ſtatuæ Neronis ſubmittere, nec niſi ſponte ejus reſumere.* XXXII. *Nationes Alpium maritimarum in jus Latii tranſlatæ.* XXXIII. *Nero Neapoli canit in publico: Romæ luxu & libidine omnia polluit.* XXXV. *Torquatus Silanus mori adigitur.* XXXVIII. *Urbs ardet, fortè incertum, an dolo Principis; qui, patriæ ruinis uſus, auream domum exſtruit.*

XLIV. *Chriſtiani quæſitiſſimis pœnis adfecti, falſo crimine incendii. Addita ſuppliciis ludibria.* XLVII. *Prodigia.* XLVIII. *Conjuratio in Neronem inita & prodita, duce ejus C. Piſone. Multi inluſtrium interempti, quos inter Lucanus & Seneca.* LXXIV. *Decreta dona & grates diis. Menſis Aprilis Neronis cognomentum accipit.*

Geſta hæc annis paullo amplius tribus.

A. U. C.	J. C.		
DCCCXVI.	63.	*Coſſ.*	C. MEMMIO Regulo, L. VERGINIO Rufo.
DCCCXVII.	64.	*Coſſ.*	C. LÆCANIO Baſſo, M. LICINIO Craſſo.
DCCCXVIII.	65.	*Coſſ.*	A. LICINIO Nervâ Siliano, M. VESTINO Attico.

C. CORNELII *TACITI* ANNALES.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

A. U. C. 815. J. C. 62.

INTEREA rex Parthorum Vologeſes [1], cognitis Corbulonis rebus, regemque alienigenam Tigranen [2] Armeniæ impoſitum: ſimul, fratre Tiridate pulſo [3], ſpretum Arſacidarum faſtigium ire ultum volens; magnitudine rurſum Romanâ & continui fœderis reverentiâ, diverſas ad curas trahebatur: cunctator ingenio, & defectione Hyrcanorum [4], gentis validæ, multiſque ex eo bellis inligatus. Atque illum ambiguum novus inſuper nuntius contumeliæ exſtimulat: quippe egreſſus Armeniâ Tigranes, Adiabenos [5], conterminam nationem, latiùs ac diutiùs, quàm per latrocinia, vaſtaverat. Idque primores gentium ægre tolerabant: « eo contemptionis deſcenſum, ut ne duce quidem » Romano incurſarentur, ſed temeritate obſidis [6], tot per an» nos inter mancipia habiti ». Accendebat dolorem eorum

[1] VOLOGESES] Vologeſes I, de quo ſæpe dictum Annal. XII, XIII & XIV. Vide & Canonem regum Parthorum in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 1.

[2] TIGRANEN] Tigranen IV, jam memoratum ſuprà Annal. XIV, 26. Vide & Canonem regum Armeniorum in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 3.

[3] TIRIDATE PULSO] Vide Stemma regum Armeniorum, *ibid.*

[4] DEFECTIONE HYRCANORUM] De quâ ſuprà Annal. XIV, 25.

[5] ADIABENOS] Nunc *partie du Kurdiſtan*, & *de la Méſopotamie*. Vide Annal. XII, 13.

[6] TEMERITATE OBSIDIS] Tigranis.

A. U. C. 815. J. C. 62.

Monobazus [1], quem penes Adiabenum regimen, « quod præſidium, aut unde peteret », rogitans. « Jam de Armeniâ conceſſum; & proxima trahi, niſi defendant Parthi : levius ſervitium apud Romanos deditis, quàm captis eſſe ». Tiridates quoque regni profugus, per ſilentium, aut modicè querendo, gravior erat. « Non enim ignaviâ, magna imperia contineri : virorum armorumque faciendum certamen. Id in ſummâ fortunâ æquius, quod validius. Et ſua retinere, privatæ domûs : de alienis certare, regiam laudem eſſe ».

II. Igitur commotus his Vologeſes concilium vocat, & proximum ſibi Tiridaten conſtituit, atque ita orditur : « Hunc ego, eodem mecum patre [2] genitum, cùm mihi, per ætatem, ſummo nomine [3] conceſſiſſet, in poſſeſſionem Armeniæ deduxi, qui tertius potentiæ gradus habetur : nam Medos Pacorus anteceperat : videbarque contra vetera fratrum odia & certamina, familiæ noſtræ penates rite compoſuiſſe : prohibent Romani, & pacem ipſis numquam proſpere laceſſitam, nunc quoque in exitium ſuum abrumpunt. Non ibo inficias : æquitate quàm ſanguine, causâ quàm armis, retinere parta majoribus malueram : ſi cunctatione deliqui, virtute corrigam. Veſtra quidem vis & gloria in integro eſt, additâ modeſtiæ famâ; quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & a diis æſtimatur ». Simul diademate caput Tiridatis evinxit; promptam equitum manum, quæ regem ex more ſectatur, Moneſi, nobili viro, tradidit, adjectis Adiabenorum auxiliis : mandavitque « Tigranen Armeniâ exturbari », dum ipſe, poſitis adversùs Hyrcanos diſcordiis, vires intimas,

[1] Monobazus] Monobazus, penes quem erat Adiabenorum regimen, Vologeſis & primorum gentium illarum dolorem accendebat, rogitans, quod præſidium, aut unde peteret? Jam Romanos Armeniam potiri : Adiabenen, aliaque proxima trahi, niſi defendant Parthi : cogitandam deditionem : levius enim ſervitium apud Romanos deditis, quam captis eſſe. Monobazus filius erat Monobazi & Helenæ, Izatis frater natu maximus, Judaicam religionem profeſſus, teſte Joſepho, Antiq. Judaic. XX, 4.

[2] Eodem mecum patre] Vonone II, Vologeſis, Tiridatis & Pacori patre; de quo ſuprà Annal. XII, 14. & infrà cap. 14. Vide quoque Canonem regum Parthorum & Armeniorum in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 1 & 3.

[3] Summo nomine] Id eſt, Parthorum regno, ſummo Arſacidarum faſtigio.

molemque

moleṁque belli ciet, provinciis Romanis minitans.

III. Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis audita ſunt, legiones duas cum Verulano Severo, & Vettio Bolano, ſubſidium Tigrani mittit, occulto præcepto, «compoſitiùs cuncta, »quàm feſtinantiùs, agerent»: quippe bellum habere, quàm gerere, malebat. Scripſeratque Cæſari, «proprio duce opus »eſſe, qui Armeniam defenderet: Syriam, ingruente Vologeſe, »acriore in diſcrimine eſſe». Atque interim reliquas legiones [1] pro ripâ Euphratis locat: tumultuariam provincialium manum armat: hoſtiles ingreſſus præſidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio eſt, caſtella fontibus impoſita [2]: quoſdam rivos congeſtu arenæ abdidit. A. U. C. 815. J. C. 62.

IV. Ea dum a Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneſes, ut famam ſuî præiret, non ideo neſcium, aut incautum, Tigranen offendit. Occupaverat Tigranocerta, urbem copiâ defenſorum & magnitudine mœnium [3] validam. Ad hæc Nicephorius, amnis [4] haud ſpernendâ latitudine, partem murorum ambit: & ducta ingens foſſa, quà fluvio diffidebatur [5]. Inerantque milites; & proviſi antè commeatus: quorum ſubvectu pauci avidiùs progreſſi, & repentinis hoſtibus circumventi, irâ magis, quàm metu, ceteros accenderant. Sed Partho ad exſequendas obſidiones nulla cominus audacia: raris ſagittis [6], neque clauſos exterret, & ſemet fruſtratur. Adiabeni, cùm promovere ſcalas & machinamenta inciperent, facilè detruſi, mox, erumpentibus noſtris, cæduntur,

[1] Reliquas legiones] Reliquas tres legiones. Vide Annal. IV, 5. & XIII, 35.

[2] Fontibus imposita] Caſtella fontibus impoſuit Corbulo; & rivos, quos caſtellis defendere non poterat, congeſtu arenæ abdidit. Quàm tota hæc regio aquarum ſit egena, ex veterum recentiorumque viatorum narrationibus conſtat.

[3] Et magnitudine mœnium] Urbem hanc regiam paulo antè bellum Mithridaticum condidit Tigranes; *eamque circumdedit mœnibus quinquaginta cubitorum altitudine*, τείχη τε αὐτοῦ περιέβαλε πεντήκοντα πήχη τὸ ὕψος. Appian. Bell. Mithridatic. pag. 228.

[4] Nicephorius, amnis] In Tigrim influit. Cl. d'Anville putat Nicephorium amnem nunc dici *Khabour*: urbem verò Tigranocerta referri poſſe ad oppidum *Sered*.

[5] Fluvio diffidebatur] Quia in iis locis non ſatis profundus.

[6] Raris sagittis] Sagittis valebant Parthi: at rarus earum uſus adversùs clauſos mœnibus.

A. U. C. 815. J. C. 62.

V. Corbulo tamen, quamvis ſecundis rebus ſuis, moderandum fortunæ ratus, miſit ad Vologeſen, qui expoſtularent « vim provinciæ inlatam : ſocium amicumque regem, cohortes » Romanas circumſideri : omitteret potiùs obſidionem, aut ſe » quoque in agro hoſtili caſtra poſiturum ». Caſperius Centurio, in eam legationem delectus, apud oppidum Niſibin [1], ſeptem & triginta millibus paſſuum a Tigranocertâ diſtantem, adiit regem, & mandata ferociter edidit. Vologeſi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi : nec præſentia proſpere fluebant : inritum obſidium : tutus manu & copiis [2] Tigranes : fugati, qui expugnationem ſumpſerant : miſſæ in Armeniam legiones : & aliæ pro Syriâ, paratæ ultrò inrumpere : ſibi imbecillum equitem pabuli inopiâ : nam exorta vis locuſtarum ambederat quidquid herbidum, aut frondoſum. Igitur, metu abſtruſo, mitiora obtendens, « miſſurum ad Imperatorem » Romanum [3] legatos, ſuper petendâ Armeniâ, & firmandâ » pace », reſpondet. Moneſen « omittere Tigranocerta » jubet ; ipſe retro concedit.

VI. Hæc plures, ut « formidine regis, & Corbulonis mi» nis patrata » ac magnifica extollebant. Alii « occultè pepi» giſſe » interpretabantur ; « ut omiſſo utrimque bello, & » abeunte Vologeſe, Tigranes quoque Armeniâ abſcederet. Cur » enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum ? Cur » deſerta per otium, quæ bello defenderant ? An melius hiber» naviſſe in extremâ Cappadociâ, raptim erectis tuguriis, quàm » in ſede regni modò retenti ? Dilata prorſus arma, ut Volo» geſes cum alio, quàm cum Corbulone, certaret : Corbulo me» ritæ tot per annos gloriæ non ultrà periculum faceret ». Nam, ut retuli [4], proprium ducem tuendæ Armeniæ popoſcerat, &

[1] Oppidum Nisibin] Oppidum Adiabenes in Meſopotamiâ, hodieque dictum, *Neſibin*. Plin. VI, 13. *Antiochia, quam Niſibin vocant. Abeſt ab Artaxatis* DCCL. *M. paſſuum*. In hac diſtantiâ adſignandâ Plinii librarios erraſſe, & emendandum CCCL. *M. paſſ.* exiſtimo.

[2] Tutus manu et copiis] Id eſt, tutus vi militum & commeatuum. Copias hoc ſenſu accipi videbimus infrà cap. 16. Bene vertit Cl. Gordon, *Tigranes ſat ſecure and ſtrong in men and proviſions*.

[3] Imperatorem Romanum] Neronem. Infrà cap. 7.

[4] Ut retuli] Suprà cap. 3.

A. U. C. 815. J. C. 62.

adventare Cæſennius Pætus [1] audiebatur : jamque aderat, copiis ita diviſis, ut quarta & duodecima legiones, additâ quintâ, quæ recèns e Mœſis excita erat [2], ſimul Pontica, & Galatarum Cappadocumque auxilia Pæto obedirent : tertia, & ſexta, & decima legiones, priorque Syriæ miles apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum uſu ſociarent, partirenturve. Sed neque Corbulo æmuli patiens [3]; & Pætus, cui ſatis ad gloriam erat, ſi proximus haberetur, deſpiciebat geſta, « nihil cædis » aut prædæ, uſurpatas nomine tenus urbium expugnationes » dictitans. « Se tributa ac leges, &, pro umbrâ regis [4] Romanum » jus victis impoſiturum ».

VII. Sub idem tempus legati Vologeſis, quos ad Principem miſſos memoravi [5], revertêre inriti : bellumque propalam ſumptum a Parthis : nec Pætus detrectavit, ſed duabus legionibus, quarum quartam Funiſulanus Vettonianus eo in tempore, duodecimam Calavius Sabinus regebant, Armeniam intrat, triſti omine. Nam in tranſgreſſu Euphratis, quem ponte tranſmittebat, nullâ palam causâ, turbatus equus, qui conſularia inſignia [6] geſtabat, retro evaſit. Hoſtiaque [7], quæ muniebantur, hibernaculis adſiſtens, ſemifacta opera fugâ perrupit, ſeque vallo extulit : & pila militum [8] arſere, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat.

VIII. Ceterùm Pætus, ſpretis ominibus, necdum ſatis

[1] Cæsennius Pætus] De quo dictum eſt ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XIV, 29.

[2] E Mœsis excita erat] Mœſia duabus legionibus attinebatur. Annal. IV, 5.

[3] Æmuli patiens] Tantóque impatientior, quòd deſpiceretur ab homine, cui ſatis ad gloriam erat, ſi ipſi proximus haberetur.

[4] Pro umbra regis] Regis Tigranis, Armeniis impoſiti, ſe tributa, leges, Romanum jus victis Armeniis impoſiturum.

[5] Missos memoravi] Suprà cap. 5.

[6] Consularia insignia] Trabeam & ſellam curulem, aliaque conſulum inſignia.

[7] Hostiaque] Taurus, de quo Plinius VIII, 45. *Hinc victimæ opimæ, & lautiſſima deorum placatio* ; deo Marti immolabatur.

[8] Pila militum] Pila, *miſſilia erant ferro triangulo, unciarum novem, haſtili pedum quinque & ſemis*. Veget. II, 15. Superſtitionem Romanam mirare. Taurus fugit, ſemifacta opera perrumpit : ex ferreis pilorum cuſpidibus emicat flammula. Quæ prodigia ! Has verò flammulas, *electricitatis teſtes*, nonnumquam nobis exhibent cuſpidatæ virgæ ferreæ, cruceſque eccleſiarum turribus impoſitæ ; ut ſæpe ac feliciter noſtris temporibus obſervatum eſt.

A. U. C. 815. J. C. 62. firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ proviſu, rapit exercitum trans montem Taurum, « reciperandis », ut ferebat, « Tigranocertis, vaſtandiſque regionibus, quas Corbulo » integras omiſiſſet ». Et capta quædam caſtella, gloriæque & prædæ nonnihil partum, ſi aut gloriam cum modo, aut prædam cum curâ habuiſſet. Longinquis itineribus percurſando, quæ obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, & inſtante jam hieme, reduxit exercitum; compoſuitque ad Cæſarem literas, quaſi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.

IX. INTERIM Corbulo numquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præſidiis inſedit: &, ne ponti injiciendo impedimentum hoſtiles turmæ adferrent, (jam enim ſubjectis campis magnâ ſpecie volitabant) naves magnitudine præſtantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultiſque & baliſtis proturbat barbaros, in quos ſaxa & haſtæ longiùs permeabant, quàm ut contrario ſagittarum jactu adæquarentur. Dein pons continuatus; colleſque adverſi per ſocias cohortes, pòſt legionum caſtris occupantur [1], tantâ celeritate & oſtentatione virium, ut Parthi, omiſſo paratu invadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam verterent.

X. IBI Pætus, imminentium neſcius, quintam legionem procul in Ponto habebat. Reliquas promiſcuis militum commeatibus [2] infirmaverat; donec, adventare Vologeſen magno & infenſo agmine, auditum. Accitur legio duodecima, &, unde famam aucti exercitûs ſperaverat, prodita infrequentia: quâ tamen retineri caſtra, & eludi Parthus tractu belli poterat, ſi Pæto aut in ſuis, aut in alienis conſiliis conſtantia fuiſſet. Verùm ubi a viris militaribus adversùs urgentes caſus firmatus erat, rurſus, ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diverſa ac deteriora tranſibat. Et tunc relictis hibernis, « non foſſam, neque » vallum ſibi, ſed corpora & arma in hoſtem data » clamitans, duxit legiones, quaſi prœlio certaturus: deinde, amiſſo

[1] CASTRIS OCCUPANTUR] Ultra Euphratem. Infrà cap. 17.

[2] COMMEATIBUS] Gallicè *des congés*. De his vide infrà Hiſt. I, 46.

centurione & paucis militibus, quos viſendis hoſtium copiis præmiſerat, trepidus remeavit. Et quia minùs acriter Vologeſes inſtiterat, vanâ rurſus fiduciâ, tria millia delecti peditis proximo Tauri jugo impoſuit, quò tranſitum regis arcerent. Alares quoque Pannonios, robur equitatûs, in parte campi locat. Conjunx ac filius caſtello, cui Arſamoſata [1] nomen eſt, abditi, datâ in præſidium cohorte, ac diſperſo milite, qui in uno habitus, vagum hoſtem promptiùs ſuſtentaviſſet : & ægre compulſum ferunt, ut inſtantem Corbuloni fateretur [2] : nec a Corbulone properatum, quò, gliſcentibus periculis, etiam ſubſidii laus augeretur. Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parem numerum e cohortibus juſſit.

XI. At Vologeſes, quamvis « obſeſſa a Pæto itinera hinc » peditatu, inde equite » accepiſſet, nihil mutato conſilio, ſed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtrivit, uno tantùm centurione Tarquitio Creſcente turrim, in quâ præſidium agitabat, defendere auſo; factâque ſæpius eruptione, & cæſis, qui barbarorum propiùs ſuggrediebantur, donec ignium jactu circumveniretur : peditum ſi quis integer, longinqua & avia; vulnerati, caſtra repetivere : « virtutem regis, ſævitiam & co» pias gentium », cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant. Ne dux quidem obniti adverſis, ſed cuncta militiæ munia deſeruerat, miſſis iterum ad Corbulonem precibus, « veniret properè, ſigna & aquilas, & nomen » reliquum infelicis exercitùs tueretur : ſe fidem interim, donec » vita ſuppeditet, retenturos ».

XII. Ille interritus, & parte copiarum apud Syriam relictâ, ut munimenta Euphrati impoſita retinerenrur, quâ proximum & commeatibus non egenum, regionem Commagenam,

[1] Arsamosata] Urbs Armeniæ majoris, Euphrati proxima : hodie *Simſat*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 10.

[2] Instantem Corbuloni fateretur] Pætus, vanâ fiduciâ pudore quoque impeditus, ægre compulſus eſt, ut Vologeſen, ſibi inſtantem, Corbuloni fateretur, auxiliumque oraret. Nec a Corbulone properatum, ut, creſcentibus periculis, etiam ſubſidii laus augeretur.

A. U. C. 815. J. C. 62. exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur exercitum præter alia ſueta bello, magna vis camelorum onuſta frumenti, ut ſimul hoſtem famemque [1] depelleret. Primùm e perculſis Pactium, primi pili centurionem [2], obvium habuit, dein pleroſque militum: quos diverſas fugæ cauſas obtendentes, « redire ad ſigna, & clementiam Pæti experiri » monebat: « ſe » niſi victoribus [3] immitem eſſe ». Simul ſuas legiones adire, hortari, priorum admonere [4], novam gloriam oſtendere. « Non » vicos aut oppida Armeniorum, ſed caſtra Romana, duaſque » in iis legiones pretium laboris peti. Si ſingulis manipularibus » præcipua ſervati civis corona imperatoriâ manu tribueretur, » quod illud & quantum decus, ubi par eorum numerus adipiſce» retur [5], qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent »? His atque talibus in commune alacres, (& erant quos pericula fratrum, aut propinquorum propriis ſtimulis incenderent) continuum diu noctuque iter properabant.

XIII. Eóque intentiùs Vologeſes premere obſeſſos, modò vallum legionum, modò caſtellum [6], quo imbellis ætas defendebatur, adpugnare, propiùs incedens, quàm mos Parthis, ſi eâ temeritate hoſtem in prœlium eliceret. At illi vix contuberniis extracti; nec aliud quàm munimenta propugnabant: pars juſſu ducis, & alii propriâ ignaviâ, ut Corbulonem opperientes, ac ſi vis ingrueret, proviſis exemplis Caudinæ ac

[1] Famemque] Quòd Pætus rei frumentariæ non providiſſet. Vide ſuprà cap. 8.

[2] Primi pili centurionem] Id eſt, primum centurionem, ſic enim Livius VII, 41. P. Salonius *alternis prope annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primi pili appellant.* De primipilis jam dictum Annal. II, 11. De Pactio Orfito Annal. XIII, 36.

[3] Nisi victoribus] Se iis tantùm, qui fortiter pugnarent & vincerent, clementem eſſe: ceteris omnibus immitem.

[4] Priorum admonere] Victoriarum, de quibus dictum Annal. XIII, 39 & ſeqq. XIV, 23 & ſeqq.

[5] Numerus adipisceretur] Si, utì mos erat, ſingulis militibus, qui civem ſervaſſent, præcipua, & aureis, muralibus, vallaribus, obſidionalibuſque coronis præſtantior, ſervati civis corona imperatoriâ manu tribueretur, quod illud & quantum decus, ubi duæ legiones, ob ſervatas duas legiones, civicas coronas, militum virtutis inſigne clariſſimum, adipiſcerentur. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 12.

[6] Modò Castellum] Arſamoſata. Suprà cap. 10.

A. U. C. 815. J. C. 62.

Numantinæ cladis [1] : « Neque eamdem vim [2] Samnitibus, Italico populo, aut Pœnis, Romani imperii æmulis. Validam » quoque & laudatam antiquitatem, quotiens fortuna contrà » daret, ſaluti conſuluiſſe ». Quâ deſperatione exercitûs dux ſubactus, primas tamen literas ad Vologeſen, non ſupplices, ſed in modum querentis compoſuit, « quòd pro Armeniis ſem» per Romanæ ditionis, aut ſubjectis regi, quem Imperator de» legiſſet, hoſtilia faceret. Pacem ex æquo utilem. Nec præſen» tia tantùm ſpectaret. Ipſum adversùs duas legiones, totis re» gni viribus adveniſſe : at Romanis orbem terrarum reliquum, » quo bellum juvarent ».

XIV. Ad ea Vologeſes, nihil pro causâ, ſed « opperien» dos, ſibi fratres, Pacorum ac Tiridaten » reſcripſit : « illum » locum tempuſque conſilio deſtinatum, quo de Armeniâ cer» nerent : adjeciſſe deos dignum Arſacidarum [3], ſimul & de le» gionibus Romanis ſtatuerent ». Miſſi pòſt a Pæto nuntii, & regis colloquium petitum, qui Vaſacen, præfectum equitatûs, ire juſſit. Tum Pætus, « Lucullos, Pompeios, & ſi qua » Cæſares obtinendæ donandæve Armeniæ egerant » : Vaſaces, « imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Par» thos » memorat. Et multùm invicem diſceptato, Monobazus Adiabenus in diem poſterum teſtis iis, quæ pepigiſſent, adhibetur. Placuitque « liberari obſidio legiones, & decedere om» nem militem finibus Armeniorum, caſtellaque & commeatus

[1] Caudinæ ac Numantinæ cladis] Anno U. C. cdxxxiii. Veturium & Poſtumium conſules ad Furcas Caudinas vicerunt Samnites, Romanoſque ſub jugum miſerunt, Florus I, 16. Turpior adhuc clades Numantina contigit anno U. C. dcxvii. Quatuor millia Numantinorum, per annos quatuordecim, quadraginta millium exercitum Romanum ſuſtinuerunt; & Hoſtilium Mancinum conſulem ita aſſiduis cædibus ſubegerunt, *ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtineret*, Florus II, 18. Graviores caſus nondum experta erat Roma.

[2] Neque eamdem vim] Intelligendum, *fuiſſe*. Neque Samnites, Italicum populum, neque ipſos Pœnos Romani imperii æmulos, umquam fuiſſe æquè formidandos, ac Parthos.

[3] Dignum Arsacidarum] Vologeſes reſcripſit opperiendos ſibi fratres ſuos, Pacorum & Tiridaten : illum locum tempuſque deſtinatum eſſe conſilio, quo de Armeniâ cernerent : deos rem, Arſacidarum faſtigio dignam, adjeciſſe, ut & ſimul de legionibus Romanis ſtatuerent. Hæc adeò ſunt obvia, ut mirer a Lipſio deplorata pronuntiari, & a pleriſque interpretibus adulterari. Fortè tamen ſcripſerat Tacitus, *ſimul ut de legionibus Romanis ſtatuerent*.

A. U. C. 815. J. C. 62.

» Parthis tradi. Quibus perpetratis, copia Vologeſi fieret, mittendi ad Neronem legatos ».

XV. Interim flumini Arſaniæ [1] (is caſtra præfluebat) pontem impoſuit, ſpecie ſibi illud iter expedientis [2]. Sed Parthi, quaſi documentum victoriæ, juſſerant: namque iis uſui fuit. Noſtri per diverſum iere. Addidit rumor, « ſub jugum » miſſas legiones [3] », & alia ex rebus infauſtis, quorum ſimulacrum [4] ab Armeniis uſurpatum eſt. Namque & munimenta ingreſſi ſunt, antequam agmen Romanum excederet; & circumſtetere vias, captiva olim mancipia, aut jumenta agnoſcentes, abſtrahenteſque. Raptæ etiam veſtes, retenta arma, pavido milite, & concedente, ne qua prœlii cauſa exſiſteret. Vologeſes, armis & corporibus cæſorum aggregatis, quò cladem noſtram teſtaretur, viſu fugientium legionum abſtinuit. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbiam expleverat. Flumen Arſaniam elephanto inſidens, proximus quiſque regem, vi equorum perrupere, quia rumor inceſſerat, « pontem » ceſſurum oneri, dolo fabricantium ». Sed qui ingredi auſi ſunt, validum & fidum intellexere.

XVI. Ceterùm obſeſſis adeò ſuppeditaviſſe rem frumentariam conſtitit, ut horreis ignem injicerent: contráque prodiderit Corbulo [5], « Parthos inopes copiarum, & pabulo » attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere » abfuiſſe ». Adjecit, « jurejurando Pæti cautum apud ſigna [6], adſtantibus iis, quos teſtificando rex miſiſſet, neminem

[1] Flumini Arsaniæ] Arſanias, nunc *Arſen*, Armeniæ majoris fluvius, in Euphratem influit.

[2] Illud iter expedientis] Pætus quidem impoſuit pontem, quaſi ſibi illud iter expedire vellet. At revera Parthi, quaſi victoriæ ſuæ documentum, id juſſerant: iiſque uſui fuit: Romani per diverſum iere.

[3] Sub jugum missas legiones] Livius III, 28. *Tribus haſtis jugum fit, humi fixis duabus, ſuperque eas tranſverſa una deligata.* Legiones ſub jugum miſſas, ægreque Syriam retentam ſcribit Suetonius in Ner. XXXIX. atrocia, quàm vera narrandi curioſior.

[4] Quorum simulacrum] Multa enim dura, & in ſervitii modum, ab Armeniis uſurpata; ſi quidem munimenta ingreſſi ſunt, antequam agmen Romanum excederet, circumſtetere vias, captiva mancipia, veſtes, rapuere, arma retinuere.

[5] Prodiderit Corbulo] Corbulo, Julii Cæſaris æmulus, non modò factis, ſed & ſcriptis inclaruit, a Plinio in Geographicis ſæpe laudatus.

[6] Apud signa] In principiis, apud aquilas & ſigna, quæ erant caſtrorum numina, jurabatur.

Romanum

A. U. C. 815. J. C. 62.

»Romanum Armeniam ingreſſurum, donec referrentur literæ »Neronis, an paci annueret ». Quæ ut augendæ infamiæ compoſita, ſic reliqua non in obſcuro habentur: unâ die quadraginta millium ſpatium emenſum eſſe Pætum, deſertis paſſim ſauciis; neque minùs deformem illam fugientium trepidationem, quàm ſi terga in acie vertiſſent. Corbulo cum ſuis copiis apud ripam Euphratis obvius, non eam ſpeciem inſignium [1] & armorum prætulit, ut diverſitatem exprobraret. Mæſti manipuli [2], ac vicem commilitonum miſerantes, ne lacrimis quidem temperare: vix præ fletu uſurpata conſalutatio. Deceſſerat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus: ſola miſericordia valebat, & apud minores magis.

XVII. Ducum inter ſe brevis ſermo ſecutus eſt, hoc conquerente [3] « inritum laborem: potuiſſe bellum fugâ Partho»rum finiri ». Ille « integra utrique cuncta » reſpondit, « converterent aquilas, & juncti invaderent Armeniam, ab»ſceſſu Vologeſis infirmatam ». « Non ea Imperatoris habere »mandata », Corbulo: « periculo legionum commotum, e pro»vinciâ egreſſum. Quando in incerto habeantur Parthorum »conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortu»nam orandam, ut pedes confectus ſpatiis itinerum, alacrem »& facilitate camporum prævenientem equitem adſequere»tur ». Exin Pætus per Cappadociam hibernavit. At Vologeſis ad Corbulonem miſſi nuntii, « detraheret caſtella trans Eu»phraten, amnemque, ut olim, medium faceret ». Ille, « Ar»meniam quoque diverſis præſidiis vacuam [4] fieri » expoſtulabat. Et poſtremò conceſſit rex: dirutaque, quæ ultra Euphraten communierat Corbulo; & Armenii ſine arbitro [5] relicti ſunt.

[1] Speciem insignium] Non fulgentes aquilas, ſed incompta ſigna prætulit. Vide quæ hac de re notavimus ſuprà Annal. III, 2.

[2] Mæsti manipuli] Quàm hæc Tacito digna! Quantum ſcriptoribus exemplum!

[3] Hoc conquerente] Corbulone.

[4] Diversis præsidiis vacuam] Corbulo quoque expoſtulabat, ut Armeniam, deductis aliò præſidiis, vacuam faceret Vologeſes.

[5] Sine arbitro] Sine domino. Ita quoque Annal. I, 26.

A. U. C. 815. J. C. 62.

XVIII. At Romæ tropæa de Parthis, arcuſque [1] medio Capitolini montis ſiſtebantur, decreta ab ſenatu, integro adhuc bello, neque tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur, ſpretâ conſcientiâ. Quin & diſſimulandis rerum externarum curis, Nero frumentum plebis, vetuſtate corruptum, in Tiberim jecit, quò ſecuritatem annonæ ſuſtentaret : cujus pretio nihil additum eſt, quamvis ducentas ferme naves portu in ipſo, violentia tempeſtatis, & centum alias, Tiberi ſubvectas, fortuitus ignis abſumpſiſſet. Tres dein conſulares [2], L. Piſonem, Ducennium Geminum [3], Pompeium Paullinum vectigalibus publicis præpoſuit, cum inſectatione priorum Principum, « qui » gravitate ſumptuum juſtos reditus anteiſſent [4] : ſe annuum ſex» centies ſeſtertiùm [5] reipublicæ largiri ».

XIX. Percrebuerat eâ tempeſtate praviſſimus mos, cùm propinquis comitiis, aut ſorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios [6], præturaſque & provincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptaverant. Magnâ cum invidiâ ſenatum adeunt [7], « jus na» turæ, labores educandi, adversùs fraudem & artes & brevi» tatem adoptionis » enumerant : « Satis pretii eſſe orbis, » quòd multâ ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores [8],

[1] Arcusque] De his trophæis, arcuque vide Alex. Donatum, de Urbe Româ, II, 10.

[2] Tres dein consulares] Julius Cæſar *monetæ, publiciſque vectigalibus, peculiares ſervos* præpoſuerat. Sueton. in Jul. LXXVI.

[3] Ducennium Geminum] Poſtea præfectum Urbis, ut dicetur Hiſt. I, 14.

[4] Justos reditus antеissent] Quâ in re immensùm peccaverat Caligula : teſte enim Suetonio in Caio XL. *Vectigalia nova atque inaudita primùm per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunoſque prætorianos exercuit : nullo rerum aut hominum genere omiſſò, cui non tributi aliquid imponeret.*

[5] Sexcenties sestertium] Monetæ Gallicæ libras, 11,673,015.

[6] Adsciscerent filios] Ut præturas, provinciaſque ſortirentur, eaſque liberorum multitudine obtinerent. Hæc enim erant patrum jura. De his patrum privilegiis jam dictum Annal. II, 51 & III, 28.

[7] Senatum adeunt] Patres ſenatum adeunt, ſuaque jura vindicant.

[8] Gratiam, honores] Ob hereditatis ſpem, & captatorum aviditatem, gratiâ, honoribus valebat orbitas, cunctaque prompta & obvia habebat. Id queritur Plinius XIV, 1. *Poſtquam cæpere orbitas in auctoritate ſummâ & potentiâ eſſe, captatio in quæſtu fertiliſſimo, ac ſola gaudia in poſſidendo : peſſùm iere vitæ pretia : omneſque a maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere, ac ſervitute ſolâ profici cæptum.* Quo ſtudio, quibus officiis orbitas ſuis jam temporibus coleretur, graphicè deſcribit Plautus, Mil. Glorioſ. Act. III, Sc. I, 110. Hæc adhuc mali initia.

A. U. C. 815. J. C. 62.

»cuncta prompta & obvia haberent. Sibi promiſſa legum [1] diu »exſpectata in ludibrium verti, quando quis ſine ſollicitudine »parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæ»quaret». Factum ex eo ſenatuſconſultum, « ne ſimulata »adoptio in ullâ parte muneris publici juvaret, ac ne uſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet ».

XX. Exin Claudius Timarchus, Cretenſis [2], reus agitur, ceteris criminibus, ut ſolent prævalidi provincialium, & opibus nimiis ad injurias minorum elati: una vox ejus uſque ad contumeliam ſenatûs penetraverat, quòd dictitaſſet, « in ſuâ »poteſtate ſitum, an proconſulibus, qui Cretam obtinuiſſent, »grates agerentur [3] ». Quam occaſionem Pætus Thraſea ad bonum publicum vertens, poſtquam de reo cenſuerat, « provin»ciâ Cretâ depellendum », hæc addidit: «Uſu probatum eſt, »patres conſcripti, leges egregias, exempla honeſta, apud bo»nos ex delictis aliorum gigni [4]. Sic oratorum licentia, Cinciam »rogationem [5]; candidatorum ambitus, Julias leges [6]; magiſ»tratuum avaritia, Calpurnia ſcita [7], pepererunt. Nam culpa, »quàm pœna, tempore prior: emendari, quàm peccare, poſ»terius eſt. Ergo adversùs novam provincialium ſuperbiam »dignum fide conſtantiâque Romanâ capiamus conſilium, quo »tutelæ ſociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat [8],

[1] Promissa legum] De quibus dictum ſuprà ad Annal. III, 28.

[2] Cretensis] Creta, nunc *l'iſle de Candie.*

[3] Grates agerentur] Re bene geſtâ, proconſulibus Romam reducibus grates agebantur.

[4] Ex delictis aliorum gigni] *Vetus verbum eſt*, teſte Macrobio, Sat. II, 13. *Leges bonæ ex malis moribus procreantur.*

[5] Cinciam rogationem] De quâ dictum Annal. XI, 5.

[6] Julias leges] Ab Auguſto latas, Sueton. in Aug. XXXIV & XL. Pœnam legibus ſtatutam memorat Julius Paulus, Sententiar. V, Tit. 30. *Ad legem Juliam Ambitûs.* leg. 1. *Petiturus magiſtratus, vel provinciæ ſacerdotium, ſi turbam ſuffragiorum causâ conduxerit, ſervos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus, ut vis publicæ reus, in inſulam deportatur.*

[7] Calpurnia scita] Hæc eſt lex Calpurnia *repetundarum*, ſeu *de pecuniis repetundis*, quam L. Calpurnius Piſo Frugi, tribunus plebis, L. Marcio Cenſorino, M. Manilio conſulibus, anno U. C. dcv, initio tertii belli Punici, tulit. Poſtea multis aliis legibus firmata, auctaque: ſed ſemper invalida adversùs malum, quo nullum pejus rempublicam imperiumque perdidit.

[8] Nobis opinio decedat] Capiamus conſilium, quo quidem tutelæ ſociorum nihil derogetur, ſed a nobis depellatur illa opinio alios, quàm cives, ſtatuere qualis quiſque ſit habendus; laudanduſne, an vituperandus.

A. U. C. 815. J. C. 62.

» qualis quiſque habeatur, alibi quàm in civium judicio eſſe.

XXI. « Olim quidem non modò prætor, aut conſul, ſed » privati etiam mittebantur, qui provincias viſerent, & quid » de cujuſque obſequio videretur, referrent: trepidabantque » gentes de exiſtimatione ſingulorum. At nunc colimus exter» nos, & adulamur; & quomodo ad nutum alicujus grates, ita » promptiùs accuſatio decernitur. Decernaturque, & maneat » provincialibus, potentiam ſuam tali modo oſtentandi[1]: ſed » laus falſa & precibus expreſſa, perinde cohibeantur, quàm » malitia, quàm crudelitas. Plura ſæpe peccantur[2], dum de» meremur, quàm dum offendimus. Quædam immo virtutes » odio ſunt, ſeveritas obſtinata, invictus adversùm gratiam » animus. Inde initia magiſtratuum noſtrorum meliora ferme, » & finis inclinat, dum, in modum candidatorum, ſuffragia » conquirimus: quæ ſi arceantur, æqualiùs atque conſtantiùs » provinciæ regentur: nam ut metu repetundarum infracta ava» ritia eſt, ita, vetitâ gratiarum actione, ambitio cohibetur ».

XXII. Magno aſſenſu celebrata ſententia. Non tamen ſenatuſconſultum perfici potuit, abnuentibus conſulibus « eâ » de re relatum[3] ». Mox, auctore Principe, ſanxere, « ne quis » ad concilium ſociorum referret[4], agendas apud ſenatum pro-

[1] Tali modo ostentandi] In hac publicâ morum corruptelâ decernatur, maneatque provincialibus jus potentiam ſuam magiſtratuum accuſatione oſtentandi.

[2] Plura sæpe peccantur] Hæc de vitiis & virtutibus, quàm grandia! quàm Thraſeâ virilique ingenio digna! Nihil tale quæras apud Senecam, licèt in iis ſit plurimus.

[3] Ea de re relatum] Conſulum erat relationem facere: id & Principibus conceſſum. At, licèt nondum factâ relatione, quod in commune conduceret expromere poterant ſenatores. Nunc verò relationem abnuentibus conſulibus, illius auctor fuit ipſe Princeps; factumque ſenatuſconſultum. De his relationibus jam dictum Annal. II, 38. XIII, 49. Dicetur & infrà in Notis & Emendationibus ad Hiſt. IV, 6.

[4] Ad concilium sociorum referret] Ut hæc intelligantur, obſervandum moris fuiſſe ut provinciales mitterent legatos, qui provinciarum adminiſtratione perfunctos proprætores aut proconſules publicè in ſenatu laudarent, & gratias agerent. Inde magiſtratuum Romanorum finis in deteriora inclinabat; &, in modum candidatorum, ſuffragia conquirebant. Quod ut arceret Auguſtus, vetuerat anno U. C. DCCLXIV. ne cui provinciarum præfecto tempore magiſtratûs, vel ſexageſimum intra diem poſt ſuum e provinciâ diſceſſum ullus honos daretur. *Quidam* enim, teſte Dione LVI, pag. 586, *cùm teſtimonia & laudes in provinciis ſibi ita paraſſent, multa deinde mala patraverant*, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι, πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν. Poſt Auguſti ac Neronis decreta,

A. U. C. 815. J. C. 62.

prætoribus proveconſulibus grates, neu quis eâ legatione fungeretur. Iiſdem conſulibus, gymnaſium [1] ictu fulminis conflagravit, effigieſque in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ oppidum, Pompeii [2], magnâ ex parte proruit. Defunctaque virgo Veſtalis Lælia [3], in cujus locum Cornelia ex familiâ Coſſorum capta eſt.

A. U. C. 816. J. C. 63.

XXIII. Memmio Regulo & Verginio Rufo conſulibus [4], natam ſibi ex Poppæâ filiam [5] Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque *Auguſtam*, dato & Poppææ eodem cognomento [6]. Locus puerperio colonia Antium fuit [7], ubi ipſe generatus erat. Jam ſenatus « uterum Poppææ » commendaverat diis, votaque publicè ſuſceperat : quæ multiplicata, exſolutaque. Et additæ « ſupplicationes, templumque Fecunditati, » & certamen ad exemplar Actiacæ religionis [8] » decretum : « utque Fortunarum effigies [9] aureæ in ſolio Capitolini Jovis

vetus conſuetudo revocata, ut accipimus a Plinio in Panegyric. LXX. *Volo ego, qui provinciam rexerit, non tantùm codicillos amicorum, nec urbanâ conjuratione eblanditas preces, ſed decreta coloniarum, decreta civitatum alleget; ut ſuffragiis conſularium virorum urbes, populi, gentes inſerantur. Efficaciſſimum pro candidato genus eſt rogandi, gratias agere.*

1 Gymnasium] De quo ſuprà Annal. XIV, 47.

2 Oppidum Pompeii] Nunc *Torre dell' Annunciata*, in ſinu Neapolitano. Id anno ſequenti contigiſſe ſcribit Seneca. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 22.

3 Virgo Vestalis Lælia] De virginibus Veſtalibus dictum eſt Annal. II, 86.

4 Verginio Rufo Consulibus] C. Memmius Regulus & L. Verginius Rufus conſules fuere anno Urbis conditæ DCCCXVI. Jeſu Chriſti 63. In Inſcriptione veteri apud Gruterum, pag. MVI. num. 5.

L. VERGINIO RVFO
C. MEMMIO REGULO COS.

5 Ex Poppæa filiam] Claudiam Auguſtam. Vide Stemma Cæſarum, num. 38.

6 Poppææ eodem cognomento] Poppæam quoque matrem *Auguſtam* appellavit. Hoc anno cuſus eſt nummus, ab Harduino, Select. Oper. pag. 723 laudatus : ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Nero Claudius Auguſtus*, capite radiato. Ex averſâ parte ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, *Poppæa Auguſta*. L. I. *Anno decimo* imperii Neronis.

7 Antium fuit] Hodie *Capo d'Anzo*. De coloniâ dictum ſuprà Annal. XIV, 27.

8 Actiacæ religionis] De ludis Actiacis Suetonius in Aug. XVIII. *Quò Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, urbem Nicopolim apud Actium condidit* Auguſtus : *ludoſque illic quinquennales conſtituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum navalibus ſpoliis, Neptuno ac Marti conſecravit*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 23.

9 Fortunarum effigies] Fortunarum Antiatum, Felicis ſcilicet & Equeſtris, quarum beneficio nata videbatur Neronis filia. Quanta eſſet Antii Fortunarum veneratio neminem latet; jamque diximus Annal. III, 71. Sed de his plura vide apud Vulpium, *Vetus Latium*, Tom. III. pag. 98 & ſeqq. Extantia adhuc earum templi rudera exhibet.

A. U. C. 816. J. C. 63.

»locarentur : ludicrum Circenſe, ut Juliæ genti apud Bovillas[1], »ita Claudiæ Domitiæque [2] apud Antium ederetur » : quæ fluxa fuere, quartum intra menſem defunctâ infante. Rurſuſque exortæ adulationes, cenſentium « honorem divæ, & pulvinar, ædem»que & ſacerdotem ». Atque ipſe ut lætitiæ, ita mæroris immodicus egit. Adnotatum eſt, omni ſenatu Antium ſub recentem partum effuſo, Thraſeam prohibitum, immoto animo, prænuntiam imminentis cædis contumeliam excepiſſe. Secutam dehinc vocem Cæſaris ferunt, quâ « reconciliatum ſe Thra»ſeæ », apud Senecam jactaverit, ac Senecam Cæſari gratulatum. Unde gloria egregiis viris, & pericula gliſcebant.

XXIV. Inter quæ, veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologeſis, literaſque in eamdem formam attulere : « Se priora, & totiens jactata ſuper obtinendâ Armeniâ, »nunc omittere, quoniam dii, quamvis potentium populorum »arbitri, poſſeſſionem Parthis, non ſine ignominiâ Romanâ, »tradidiſſent. Nuper clauſum Tigranen ; pòſt Pætum legioneſ»que, cùm opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis appro»batam vim : datum & lenitatis experimentum. Nec recuſa»turum Tiridaten accipiendo diademati in Urbem venire, niſi »ſacerdotii religione attineretur [3]. Iturum ad ſigna & effigies »Principis, ubi, legionibus coram, regnum auſpicaretur ».

XXV. Talibus Vologeſis literis, quia Pætus diverſa, tamquam rebus integris, ſcribebat, interrogatus centurio, qui cum legatis advenerat, « quo in ſtatu Armenia eſſet » ? « omnes inde Romanos exceſſiſſe » reſpondit. Tum intellecto barbarorum inriſu, qui peterent, quod eripuerant, conſuluit inter primores civitatis Nero, « bellum anceps, an pax »inhoneſta placeret ». Nec dubitatum de bello. Et Corbulo,

[1] Apud Bovillas] Bovillæ jam memoratæ ſuprà Annal. II, 41 ; ſed non ſatis accuratè. Itaque Bovillæ erant viâ Appiâ ad decimum ab Urbe lapidem. Magna adhuc manent rudera, quæ uſque ad diverſorium, l'*Oſteria delle Fratocchie* vocitatum, protenduntur. Vide Corradinum, *Vetus Latium*, Tom. II. pag. 187.

[2] Claudiæ Domitiæque] Naturâ familiæ Domitiæ, adoptione Claudiæ erat Nero.

[3] Sacerdotii religione attineretur] De ſuperſtitioſo hoc Principe, magicis artibus dedito, plura dicentur in Supplemento Annal. XVI, 37 & ſeqq.

tot per annos militum atque hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cujus alterius inſcitiâ rurſum peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde ſpes fieret, non fruſtra eadem oraturum Tiridaten, ſi preces ipſe attuliſſet. Syriæque exſecutio Ceſtio [1], copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celſo, e Pannoniâ adjecta eſt. Scribitur tetrarchis ac regibus, præfectiſque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas provincias regebant, « juſſis Corbulonis obſequi », in tantum ferme modum auctâ poteſtate, quem populus Romanus Cn. Pompeio [2], bellum Piraticum geſturo, dederat. Regreſſum Pætum, cùm graviora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Cæſar, his ferme verbis: « Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promptus in pavorem, longiore ſollicitudine ægreſceret ».

A. U. C. 816. J. C. 63.

XXVI. At Corbulo, quartâ & duodecimâ legionibus, quæ fortiſſimo quoque amiſſo, & ceteris exterritis, parum habiles prœlio videbantur, in Syriam tranſlatis, ſextam inde ac tertiam legiones, integrum militem, & crebris ac proſperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam, quæ per Pontum agens, expers cladis fuerat. Simul quintadecimanos, recèns adductos, & vexilla delectorum ex Illyrico & Ægypto, quódque alarum cohortiumque, & auxilia regum in unum conducta apud Melitenen [3], quà

[1] Cestio] Apud Harduinum, Select. Oper. pag. 22 & 636. habetur nummus biennio pòſt cuſus: IMP. NERO CAESAR. Nero capite laureato. In averſâ parte, ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΔΙΡ. *Sub Ceſtio*, Syriæ præſide, *Antiochenſium* nummus, *anno CXIV*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 25.

[2] Cn. Pompeio] Hanc ferme immenſam poteſtatem accepit Pompeius anno U. C. DCLXXXVII. Nec claſſis tantùm ac maris intra columnas Herculis, ſed in terras ac homines totius illius tractûs ad quinquaginta a mari millia paſſuum imperium illi datum: permiſſumque, ut quindecim legatos, qui provincias regerent, eligeret; quantum liberet argenti ex ærario & publicanis, ducentaſque naves ſumeret: militum, ſociorumque navalium, quantum viſum eſſet, conſcriberet. Vide Plutarchum in Pompeio, pag. 631. Dionem XXXVI, pag. 18. Paucis Velleius Paterculus II, 31. *Aulus Gabinius, tribunus, legem tulit, ut, cùm belli more, non latrociniorum, orbem claſſibus jam, non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quaſdam etiam Italiæ urbes diripuiſſent; Cnæus Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; eſſetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconſulibus, uſque ad quinquageſimum milliarium a mari: Quo ſenatuſconſulto pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur.*

[3] Apud Melitenen] Urbem Cappa-

A. U. C. 816. J. C. 63.

tranſmittere Euphraten parabat. Tum luſtratum rite exercitum [1] ad concionem vocat, orditurque magnifica « de auſpi»ciis Imperatoris, rebuſque a ſe geſtis », adverſa « in inſcitiam »Pæti » declinans : multâ auctoritate, quæ viro militari pro facundiâ erat.

XXVII. Mox iter L. Lucullo [2] quondam penetratum, apertis, quæ vetuſtas obſepſerat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologeſiſque de pace legatos haud aſpernatus, adjungit iis centuriones, cum mandatis non immitibus : « nec enim adhuc »eò ventum, ut certamine extremo opus eſſet. Multa Roma»nis ſecunda, quædam Parthis eveniſſe, documento adversùs »ſuperbiam : proinde & Tiridati conducere, intactum vaſta»tionibus regnum dono accipere ; & Vologeſen meliùs ſocie»tate Romanâ, quàm damnis mutuis genti Parthorum conſul»turum. Scire quantum intus diſcordiarum, quàmque indomi»tas & præferoces nationes regeret. Contrà Imperatori ſuo »immotam ubique pacem, & unum id bellum eſſe ». Simul conſilio terrorem adjicere; & Megiſtanas Armenios [3], qui primi a nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum exſcindit : plana, edita, validos, invalidoſque, pari metu complet.

XXVIII. Non inſenſum, nedum hoſtili odio, Corbulonis nomen etiam barbaris habebatur, eóque conſilium ejus fidum credebant. Ergo Vologeſes neque atrox in ſummam, & quibuſdam præfecturis inducias petit [4]. Tiridates locum diemque

dociæ, ſeu minoris Armeniæ, hodie *Malatié*. Plinius VI, 3. memorat Melitam, *a Semiramide conditam, haud procul Euphrate*. Libro V, 24. eam *Melitenen Cappadociæ* appellaverat. Plura vide apud Procopium, de Ædific. III, 4.

[1] Lustratum rite exercitum] Militibus in campo ſtantibus, lauro coronatis, fiebat luſtrale ſacrum; cæſiſque Marti victimis, habebantur auſpicia : & exercitum dux alloquebatur. Livius I, 28 & alibi paſſim de his luſtrationibus agit.

[2] L. Lucullo] Anno U. C. dclxxxv bellum geſſit in Armeniâ L. Lucullus, de quo plura Plutarchus in Lucullo, pag. 508. Dio XXXV, pag. 1 & ſeqq.

[3] Megistanas Armenios] Proceres Armenios. Bene Suidas, *Μεγιστᾶνες, οἱ τοῦ βασιλέως περίβλεπτοι ἐπεξούσιοι*, *Megiſtanes, regis præcipui miniſtri*. Inde ubi apud Jonam III, 7. המלך וגדליו, *regis & procerum ejus* mentio, vertunt LXX interpretes *παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ παρὰ τῶν μεγιστάνων αὐτοῦ*. *Omnes illos megiſtanas & ſatrapas . . . . oblivio alta ſuppreſſit*, Senec. Ep. XXI. Rabbinis adhuc dicuntur, מגיסטים.

[4] Inducias petit] Vologeſes, in ſummam belli minimè atrox, quibuſdam Megiſtanarum Armeniorum præ-

colloquio

colloquio poſcit. Tempus propinquum, locus [1], in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant, cùm a barbaris delectus eſſet, ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt a Corbulone vitatus, ut diſſimilitudo fortunæ gloriam augeret. Neque inſamiâ Pæti angebatur, quod eò maximè patuit, quia filio ejus, tribuno, ducere manipulos, atque operire reliquias malæ pugnæ [2] imperavit. Die pactâ, Tiberius Alexander [3], inluſtris eques Romanus, miniſter bello datus [4], & Vivianus Annius, gener Corbulonis, nondum ſenatoriâ ætate [5], ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Tiridatis venêre, honore ejus, ac ne metueret inſidias, tali pignore. Viceni dehinc equites adſumpti. Et viſo Corbulone, rex prior equo deſiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes uterque dextras miſcuere.

A. U. C. 816. J. C. 63.

XXIX. Exin Romanus laudat juvenem [6], « omiſſis præ» cipitibus, tuta & ſalutaria capeſſentem ». Ille « de nobili» tate generis » multum præfatus, cetera temperanter adjungit: « Iturum quippe Romam, laturumque novum Cæſari decus, » non adverſis Parthorum rebus ſupplicem Arſaciden ». Tum placuit Tiridaten ponere, apud effigiem Cæſaris, inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere: & colloquium oſculo finitum. Dein paucis diebus interjectis, magnâ utrimque ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patriis, hinc agmina legionum ſtetere, fulgentibus aquilis, ſigniſque & ſimulacris deûm in modum templi. Medio tribunal ſedem curulem, & ſedes effigiem Neronis, ſuſtinebat. Ad quam

fecturis, quas terruerat Corbulo, inducias petit.

[1] Locus] Locus ille fuit apud Arſamoſatam, ut dictum eſt ſuprà cap. 10 & ſeqq. Fortè Arſamoſatam inter & Rhandeam: certè Ῥάνδειαν memorat Dio, LXII, pag. 710.

[2] Reliquias malæ pugnæ] Inſepulta cadavera eorum, qui malâ pugnâ occubuerant, terrâ tegere; ut verè explicat Grotius.

[3] Tiberius Alexander] *Pater ei fuerat Alexander, Alabarcha Alexandriæ, omnium in eâ urbe ſuo tempore genere & divitiis primus.* Τιβέριος Ἀλέξανδρος .... Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, γένει τε καὶ πλούτῳ πρωτεύσαντος τῶν ἐκεῖ καθ' αὐτόν. Paternæ pietatis, Judaicæque religionis deſertor, fuit poſt Cuſpium Fadum Judææ procurator, Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. De equitibus illuſtribus dictum Annal. II, 59.

[4] Minister bello datus] Datus a Nerone Corbuloni miniſter bello. Tales miniſtros in Galliâ dicimus, *des Lieutenans Généraux.*

[5] Senatoria ætate] Nondum annos quinque & viginti natus.

[6] Laudat juvenem] Corbulo laudat Tiridaten.

A. U. C. 816. J. C. 63. progreſſus Tiridates, cæſis ex more victimis, ſublatum capite diadema imagini ſubjecit: magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat inſita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obſidio. « At nunc verſos caſus: iturum »Tiridaten oſtentui gentibus, quantò minùs quàm captivum [1] »?

XXX. Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulaſque, & rogitante rege cauſas, quotiens novum aliquid adverterat: ut, initia vigiliarum [2] per centurionem nuntiari, convivium buccinâ dimitti [3], & ſtructam ante Augurale [4] aram ſubditâ face accendi: cuncta in majus attollens, admiratione priſci moris adfecit [5]. Poſtero die « ſpatium » oravit, « quo tantum »itineris aditurus, fratres antè, matremque viſeret »: obſidem interea filiam tradit, literaſque ſupplices ad Neronem.

XXXI. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologeſen Ecbatanis [6] reperit, non incurioſum fratris: quippe & propriis nuntiis a Corbulone petierat, « ne quam imaginem

[1] Quam captivum] Ac ferme captivum.

[2] Initia vigiliarum] Apud Romanos nox in quatuor vigilias ad clepſydram erat diviſa; & cujuſque vigiliæ ſignum dabatur tubæ ſono. Vide infrà Hiſt. II, 29. & plura apud Vegetium, III, 8. Inde Lucanus, V, 506.

Jam caſtra ſilebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos.

Cùm tuba concinuerat, centurio vigilias obibat, & an omnia rectè haberent imperatori renuntiabat.

[3] Convivium buccina dimitti] Polyb. XIV, pag. 680. Ἐςι γὰρ ἔθος Ῥωμαίοις, κατὰ τον τȣ̃ δείπνȣ καιρὸν τȣ̀ς βυκανίτας καὶ σαλπιγκτὰς πάντας σημαίνειν παρὰ τὴν τȣ̃ ςρατηγȣ̃ σκηνὴν, χάριν τȣ̃ τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς κατὰ τὸν καιρὸν τȣ̃τον ἵςαϑαι κατὰ τȣ̀ς ἰδίȣς τόπȣς. *Eſt enim hæc Romanis conſuetudo, ut horâ cenæ buccinatores omnes & tubicines juxta prætorium concinant; quoniam id tempus eſt, quando nocturnæ vigiliæ in ſuis quæque locis & ſtationibus collocantur.* Verùm juxta Polybium ante cenam ſignum dabant tubicines. Tacitus verò ait convivium buccinâ dimitti. Hæc explices, ſi diſtinguas tempora. Olim horâ duodecimâ cenabatur, tuncque nocturnæ vigiliæ collocabantur. Poſtea verò cenatum eſt horâ nonâ, ac proinde tunc potuit convivium buccinâ dimitti.

[4] Ante Augurale] De Augurali jam dictum Annal. II, 13. Aram autem accendebant, utrum ut libatas cenæ dapes diis offerrent, quod Lipſio placuit; an ut pernox arderet, & ad eam vigilias obirent milites, quod vult Rutgerſius, Var. Lect. III, 20. incertum.

[5] Admiratione prisci moris adfecit] Corbulo, cuncta in majus extollens, regem nova omnia advertentem, & cauſas rogitantem, admiratione priſci moris adfecit.

[6] Vologesen Ecbatanis] Pacorus & Vologeſes fratres erant Tiridatis, ut dictum eſt ſuprà cap. 14. *Ecbatana*, *caput Mediæ*, a Seleuco rege condita, Plin. VI, 14. aut veriùs inſtaurata. Nunc appellantur *Hamedan*, in provinciâ *Irak Ajami*.

» ſervitii Tiridates perferret; neu ferrum traderet [1], aut complexu [2] provincias obtinentium arceretur, foribuſve eorum adſiſteret [3]: tantuſque ei Romæ, quantus conſulibus, honor » eſſet ». Scilicet externæ ſuperbiæ ſueto, non inerat notitia noſtrî: apud quos vis imperii valet, inania tranſmittuntur [4].

A. U. C. 816. J. C. 63.

XXXII. Eodem anno Cæſar nationes Alpium maritimarum [5] in jus Latii tranſtulit. Equitum Romanorum locos ſedilibus plebis antepoſuit [6], apud Circum: namque ad eam diem indiſcreti inibant, quia lex Roſcia nihil, niſi de quatuordecim ordinibus, ſanxit. Spectacula gladiatorum idem annus habuit,

[1] Neu ferrum traderet] Cùm adibantur Romani magiſtratus, ponebatur gladius.

[2] Aut complexu] Legatos, provinciarumque præſides amplecti non poterat provincialis, aut plebeius. Inde apud Spartianum in Severo, II. *In quâ Africæ legatione cùm eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem ipſe plebeius amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio ejuſdem præconis cecidit*, Legatum Populi Romani homo plebeius temere amplecti noli. *Ex quo factum eſt, ut in vehiculo etiam legati ſederent, qui antè pedibus ambulabant.*

[3] Adsisteret] Tum ob magiſtratuum ſuperbiam, tum ob operoſam ſalutantum turbam, diu foribus aſſiſtebatur; janitoribuſque noteſcere, pro magnifico accipiebatur.

[4] Inania transmittuntur] Quanta! Quàm Romana! Quàm paucis! Non erat notitia nostri: apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur. Reguli inanibus ſuperbiant. Apud Romanos, magnoſque reges, vis imperii valet, inania tranſmittuntur.

[5] Nationes Alpium maritimarum] Alpes maritimæ a mari ad montem *Viſo* protenduntur. Earum populi nominatim appellantur in Auguſti tropæo, apud Plinium, III, 20. Catvriges. Brigiani. Sogiontii. Brodiontii. Nemaloni. Edenates. Esvbiani. Veamini. Gallitæ. Trivllati. Ectini. Vergvnni. Egvitvri. Nementvri. Oratelli. Nervsi. Velavni. Svetri. Nunc, ut plerumque creditur, *Chorges*, *Brianſon*, *Digne*, *Embrun*, *Miolans*, *Seyne*, *Hubaye*, *Barreme*, *Colmars*, *Alloz*, *Anot*, *Vergons*, *Guillaumes*, *Entraunes*, *Entrevaux*, *Vence*, *Bueil*, *le val de Sture.* De ſingulis plura vide apud Harduinum in notis ad Plinium, & apud Honorat. Bouche, *Hiſtoire de Provence*, III, 1. Tom. I. pag. 103 & ſeqq. At neutri credas, cùm tropæum illud adhuc exſtare Secuſii, nunc *Suze en Piémont*, ſcribunt. Secuſianum tropæum a Pliniano eſt omnino diverſum. Illud exſtat in Alpibus Cottiis: hoc verò fuit in Alpibus maritimis, ubi nunc *la ville de Torbia*, *dans le dioceſe de Nice*, ut accipies ex egregio opere, cui titulus, *Théâtre des Etats de S. A. R. le Duc de Savoye.* Tom. I. pag. 72. De jure Latii jam dictum ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 23.

[6] Sedilibus plebis anteposuit] Lex theatralis Roſcia, a L. Roſcio Othone lata A. U. C. dclxxxv, equitibus Romanis quatuordecim ordines, ſeu gradus, in theatro ſpectandi gratiâ dederat. At in circo, ſenatus, eques, plebs, indiſcreti ſedebant. Tandem anno U. C. dcclvii. Cinnâ & Meſſalâ conſulibus, ſenatores ſeorſim, ſeorſim equites & a plebe ſejuncti, circenſes ludos ſpectarunt, teſte Dione LV. pag. 563. At cùm certas ſtataſque ſedes non haberent, ſenatoribus loca adſignavit Claudius, ut tradunt Dio, LX. pag. 669. & Suetonius in Claud. XXI. *Circo verò maximo marmoreis carceribus, auratiſque*

A. U. C. 817. J. C. 64.

pari magnificentiâ ac priora. Sed feminarum inluſtrium ſenatorumque plures per arenam fœdati ſunt [1].

XXXIII. C. Lᴀᴇᴄᴀɴɪᴏ, M. Licinio conſulibus [2] acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas ſcenas frequentandi : nam adhuc per domum, aut hortos cecinerat Juvenalibus ludis [3], quos, ut parum celebres, & tantæ voci anguſtos, ſpernebat. Non tamen Romæ incipere auſus, Neapolim, quaſi Græcam urbem [4], delegit : « Inde initium fore, ut tranſ»greſſus in Achaiam, inſigneſque, & antiquitus ſacras, co»ronas adeptus, majore famâ ſtudia civium eliceret ». Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos e proximis coloniis & municipiis ejus rei fama civerat, quique Cæſarem per honorem, aut varios uſus ſectantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum complent.

XXXIV. Iʟʟɪᴄ, plerique ut arbitrabantur, triſte, ut ipſe, providum potiùs, & ſecundis numinibus, evênit. Nam egreſſo, qui adfuerat, populo, vacuum & ſine ullius noxâ theatrum collapſum eſt. Ergo, per compoſitos cantus grates diis, atque

metis, quæ utraque & tophina ac lignea antè fuerant, exculto, propria ſenatoribus conſtituit loca, promiſcuè ſpectare ſolitis. Equites adhuc indiſcreti ſpectabant, euripos, quibus arenam Cæſar dictator circumdederat, *Nero Princeps ſuſtulit, equiti loca addens*, Plin. VIII, 7. Vide & Suetonium in Ner. XI. His ita conſtitutis, ſi qui ſenatores promiſcuè ſpectare vellent, poterant quidem, ſed vulgari veſte, non verò ſenatoriâ, ut accipimus ex Dione, LX. pag. *669*. Id quoque equitibus conceſſum videtur. Sed Domitianus, *ſuſceptâ morum correctione, licentiam theatralem promiſcuè in equite ſpectandi inhibuit*, Sueton. in Domit. VIII.

[1] Pᴇʀ ᴀʀᴇɴᴀᴍ ꜰœᴅᴀᴛɪ ꜱᴜɴᴛ] Turpiter fœdati ; cùm non modò equites, ſed ſenatores, atque etiam illuſtres feminæ, in arenam deſcenderent, & gladiatorum more pugnarent. Quod inauditum licentiæ genus execratur Dio, LXI. pag. *697*. ac maximè Juvenalis, Satyr. VI, 245 & ſeqq. VIII, 194. Paucis Suetonius in Ner. XII. *Exhibuit* Nero *ad ferrum* gladiatorium *etiam quadringentos ſenatores, ſexcentoſque equites Romanos, & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ, ex iiſdem ordinibus confectores quoque ferarum, & varia arenæ miniſteria*. Eadem quoque fuit poſtea Domitiani inſania, Sueton. in Domit. IV. *Nec virorum modo pugnas, ſed & feminarum commiſit.*

[2] M. Lɪᴄɪɴɪᴏ ᴄᴏɴꜱᴜʟɪʙᴜꜱ] C. Læcanius Baſſus & M. Licinius Craſſus conſules fuere anno U. C. ᴅᴄᴄᴄxᴠɪɪ. Jeſu Chriſti 64. In fragmento veteris lapidis apud Muratori, Nov. Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. ᴄᴄᴄᴠ. C. LAECANIO BASSO M. . . .

[3] Jᴜᴠᴇɴᴀʟɪʙᴜꜱ ʟᴜᴅɪꜱ] De quibus dictum ſuprà Annal. XIV, 15.

[4] Nᴇᴀᴘᴏʟɪᴍ, ǫᴜᴀꜱɪ Gʀᴀᴇᴄᴀᴍ ᴜʀʙᴇᴍ] A Chalcidenſibus conditam. Unde Plinius III, 5. Sect. 9. *Neapolis Chalcidenſium & ipſa, Parthenope a tumulo Sirenis appellata*. Hodie *Naples*, ut Velleii Paterculi ætate, ita & nunc *nobilitate & amœnitate* urbs præſtantiſſima, Patercul. I, 4.

A. U. C. 817. J. C. 64.

ipſam recentis caſûs fortunam celebrans, petituruſque maris Adriæ trajectus [1], apud Beneventum [2] interim conſedit: ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdiſſima ejus aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis ſcurrilibus: primò in contumelias adſumptus, deinde optimi cujuſque criminatione eò uſque valuit, ut gratiâ, pecuniâ [3], vi nocendi etiam malos præmineret.

XXXV. Ejus munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem a ſceleribus ceſſabatur. Iiſdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia, ſuper Juniæ familiæ claritudinem, divum Auguſtum abavum ferebat [4]. Juſſi accuſatores objicere, « prodigum largitionibus; neque » aliam ſpem, quàm in novis rebus eſſe: quin nec ignobiles ha» bere [5], quos ab epiſtolis, & libellis, & rationibus appellet, » nomina ſummæ curæ & meditamenta ». Tum intimus quiſque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit, ſecutaque Neronis oratio ex more: « Quamvis ſontem & defenſioni meritò diffiſum, » victurum tamen fuiſſe, ſi clementiam judicis exſpectaſſet ».

XXXVI. Nec multò pòſt omiſsâ in præſens Achaiâ (cauſæ in incerto fuere) Urbem reviſit; provincias Orientis, maximè Ægyptum, ſecretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto teſtificatus, « non longam ſuî abſentiam, & cuncta in

[1] Maris Adriæ trajectus] Nunc *le Golfe de Veniſe*.

[2] Apud Beneventum] Nunc *Benevent*, in Principatu Ulteriore. Plin. III, 11. *Hirpinorum colonia una Beneventum, auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.*

[3] Ut gratia, pecunia] Ab illo ſcurrili, ſed pecunioſo homine denominati calices Vatiniani, qui quatuor roſtra, ſeu naſos habebant. De iis Juvenalis, V, 46.

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor.

& Martialis, XIV, 96.

Vilia ſutoris calices monumenta Vatini,
Accipe: ſed naſus longior ille fuit.

Vatinii, quàm calicum, longior naſus, qui ubique crimina reoſque ſubodorabatur.

[4] Divum Augustum abavum ferebat] Vide Stemma Cæſarum, num. 61. Notas quoque & Emendationes ad Annal. XV, 35.

[5] Quin nec ignobiles habere] Quin ne ignobiles quidem ac ſervos, ſed libertos, habere, quos ab epiſtolis, & libellis, & rationibus appellet, certiſſima ſummæ curæ nomina, & imperii meditamenta. Vide Notas & Emenda-

A. U. C. 817. J. C. 64.

»republicâ perinde immota ac proſpera fore »; ſuper eâ profectione adiit Capitolium. Illic veneratus deos, cùm Veſtæ quoque templum iniſſet, repentè cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrente, ſeu facinorum recordatione numquam timore vacuus, deſeruit inceptum [1], « cunctas ſibi curas amore »patriæ leviores » dictitans. « Vidiſſe mæſtos civium vultus, »audire ſecretas querimonias, quòd tantum aditurus eſſet iter, »cujus ne modicos quidem egreſſus tolerarent, ſueti adversùm »fortuita aſpectu Principis refoveri. Ergo, ut in privatis ne»ceſſitudinibus [2] proxima pignora prævalerent, ita populum »Romanum vim plurimam habere; parendumque retinenti ». Hæc atque talia plebi volentia fuere [3], voluptatum cupidine, &, quæ præcipua cura eſt, rei frumentariæ anguſtias, ſi abeſſet, metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul an coràm atrocior haberetur: dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterius credebant [4], quod evenerat.

XXXVII. Ipse quò fidem adquireret, nihil uſquam perinde lætum ſibi; publicis locis [5] ſtruere convivia, totâque Urbe quaſi domo uti. Et celeberrimæ luxu famâque epulæ fuere, quas a Tigellino paratas, ut exemplum, referam, ne ſæpius

tiones ad Annal. XV, 35. Egregiè dictum, *nomina ſummæ curæ & meditamenta.*

[1] Deseruit inceptum] Sueton. in Ner. XIX. *Peregrinationes duas omnino ſuſcepit Alexandrinam & Achaicam: ſed Alexandrinâ ipſo profectionis die deſtitit, turbatus religione ſimul ac periculo. Nam circuitis templis cùm in æde Veſtæ reſediſſet, conſurgenti ei primùm lacinia obhæſit: deinde tanta oborta caligo eſt, ut diſpicere non poſſet.*

[2] In privatis necessitudinibus] Ergo, ut in privatorum hominum neceſſitudinibus filii ac proxima pignora prævalerent, ita populum Romanum vim plurimam apud Principem habere.

[3] Volentia fuere] Plebi grata & accepta fuere. Sic quoque locutus eſt Salluſtius, Fragment. Hiſt. IV, 9. *Multiſque ſuſpicionibus volentia plebi facturus videbatur.*

[4] Deterius credebant] Deterius credebant, quod Nero elegerat.

[5] Publicis locis] Hæc Principis dedecora diſce a Suetonio in Ner. XXVII. *Cenitabat nonnumquam & in publico, naumachiâ præcluſa, vel Martio campo, vel circo maximo, inter ſcortorum totius Urbis ambubajarumque miniſteria. Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Bajanum ſinum præternavigaret; diſpoſitæ per litora & ripas diverſoriæ tabernæ parabantur, inſignes ganeæ, & matronarum inſtitorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium ut appelleret. Indicebat & familiaribus cenas, quorum uni mitellita quadragies HS,* monetæ Gallicæ libras 778,315, *conſtitit, alteri pluris aliquantò roſaria.* Quantæ ergo cenarum impenſæ, ubi tanta coronarum, quæ convivis dabantur, pretia? De his coronis, ab Indiâ, aut ultra Indos petitis, vide Plinium, XXI, 3. Sect. 8. Tigellianæ cenæ portenta pluribus narrat Dio, LXII. pag. 707.

eadem prodigentia narranda ſit. Igitur in ſtagno Agrippæ [1] fabricatus eſt ratem [2], cui ſuperpoſitum convivium aliarum tractu navium moveretur: naves auro & ebore diſtinctæ: remigeſque exoleti, per ætates & ſcientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diverſis e terris, & animalia maris Oceano abuſque petiverat. Crepidinibus ſtagni lupanaria adſtabant, inluſtribus feminis completa: & contrà ſcorta viſebantur, nudis corporibus. Jam geſtus motuſque obſceni; &, poſtquam tenebræ incedebant, quantum juxtà nemoris [3], & circumjecta tecta, conſonare cantu & luminibus clareſcere. Ipſe, per licita atque inlicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quò corruptior ageret; niſi paucos poſt dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen *Pythagoræ* fuit [4], in modum ſollemnium conjugiorum denupſiſſet. Inditum Imperatori flammeum [5], viſi auſpices, dos, & genialis torus [6], & faces nuptiales: cuncta denique ſpectata, quæ etiam in feminâ nox operit.

A. U. C. 817. J. C. 64.

XXXVIII. Sequitur clades, fortè, an dolo Principis incertum [7]: nam utrumque auctores prodidere: ſed omnibus,

[1] In stagno Agrippæ] Stagnum Agrippæ, ut rectè conjicit Donatus, de Urbe Româ, III, 23. erat in ipſis Agrippæ hortis; ac proinde prope Pantheon, & locum qui nunc dicitur *Palazzo della Accademia Eccleſiaſtica*.

[2] Ratem] Cave ne hæc intelligas de nave, ut interpretum vulgus. Hic agitur de rate, quam Gallicè dicimus *un radeau*. Bene Feſtus, *Rates vocantur tigna inter ſe colligata, quæ per aquam aguntur.* Ratis & ſuperpoſitum convivium aliarum tractu navium movebantur. Hæc inſigni Lucani loco magis adhuc illuſtrata vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XV, 37.

[3] Quantum juxta nemoris] Nemus, ſeu lucus, qui erat juxta ſtagnum hortoſque Agrippæ.

[4] Nomen Pythagoræ fuit] Sceleratas iſtas nuptias, quæ Neronem Pythagoræ uxorem fecere, ſicut & poſtea Sporum, eunuchum, uxorem accepit, memorat Dio, LXIII. pag. 721. Vide & Suetonium in Ner. XXVIII & XXIX. Sed *Doryphorum*, pro *Pythagorâ*, ſcripſiſſe videtur.

[5] Flammeum] Flammeum, velum erat luteum, quo ſponſæ caput tegebatur. Plin. XXI, 8. *Lutei* coloris *video honorem antiquiſſimum, in nuptialibus flammeis totum feminis conceſſum.* Et Lucanus, II, 361.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

[6] Dos, et genialis torus] Illos omnes nuptiarum ritus exprimit Juvenalis, X, 333.

Dum ſedet illa parato
Flammeolo, Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.

Qui plura volet, adeat doctiſſimum Briſſonium, de Ritu Nuptiar. pag. 22 & ſeqq. & Admiranda Romæ a Bartolo delineata, fol. 57 & ſeqq.

[7] An dolo Principis incertum] Non dubitanter ceteri ſcriptores; ac maximè Suetonius in Ner. XXXVIII. *Nec populo aut mœnibus patriæ pepercit.*

A. U. C. 817. J. C. 64.

quæ huic Urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in eâ parte Circi [1] ortum, quæ Palatino Cælioque montibus contigua eſt. Ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus, longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primùm [2], deinde in edita adſurgens, & rurſus inferiora populando anteiit remedia velocitate mali, & obnoxiâ Urbe arctis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit [3]. Ad hoc lamenta paventium feminarum, feſſa ſenum aut rudis pueritiæ ætas, quique ſibi, quique aliis conſulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant: & ſæpe, dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel, ſi in proxima evaſerant, illis quoque igni correptis, etiam, quæ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebantur. Poſtremò, quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam amiſſis omnibus fortunis diurni quoque victûs [4], alii caritate ſuorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiere. Nec

Dicente quodam in ſermone communi,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. *Planéque ita fecit: nam quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, & anguſtiis flexuriſque vicorum incendit Urbem tam palam, ut plerique conſulares, cubicularios ejus, cum ſtupâ tædâque, in prædiis ſuis deprehenſos, non attigerint: & quædam horrea circa domum auream, quorum ſpatium maximè deſiderabat, ut bellicis machinis labefactata atque inflammata ſint, quod ſaxeo muro conſtructa erant.* Eadem vide apud Dionem, LXII. pag. 708. Sulpicium Severum, II, 29. Oroſium, VII, 7.

[1] IN EA PARTE CIRCI] Circi maximi; ubi velabrum erat. Horat. Serm. II, 3. vers. 229.

Cum Velabro omne macellum.

[2] PLANA PRIMUM] Plana primùm inter Circum maximum & montem Palatinum pervagatum eſt incendium, deinde in edita montis Palatini adſurrexit.

[3] VETUS ROMA FUIT] Cur poſt Gallicum incendium arctè, flexuosè, enormiter ædificata fuerit vetus Roma docet Livius, V, 55. *Antiquatâ lege, promiſcuè Urbs ædificari cœpta. Tegula publicè præbita eſt: ſaxi materiæque cædendæ, unde quiſque vellet, jus factum: prædibus acceptis eo anno ædificia perfecturos. Feſtinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omiſſo ſui alienique diſcrimine, in vacuo ædificant. Ea eſt cauſa, ut veteres cloacæ, primò per publicum ductæ, nunc privata paſſim ſubeant tecta: formaque Urbis ſit occupatæ magis, quàm diviſæ ſimilis.*

[4] DIURNI QUOQUE VICTUS] Fortè, *diurno quoque victu.*

quiſquam

quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium; & quia alii palam faces jaciebant, atque A. U. C. 817. ſibi eſſe auctorem vociferabantur; ſive ut raptus licentiùs exercerent, ſeu juſſu [1]. J. C. 64.

XXXIX. Eo in tempore Nero, Antii agens, non antè in Urbem regreſſus eſt, quàm domui ejus [2], quà palatium & Mæcenatis hortos [3] continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & palatium & domus [4], & cuncta circùm haurirentur. Sed ſolatium populo exturbato & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ [5], hortos quin etiam ſuos [6], patefecit: & ſubitaria ædificia exſtruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subvectaque utenſilia ab Oſtiâ, & propinquis municipiis. Pretiumque frumenti minutum, uſque ad ternos nummos [7]. Quæ, quamquam popularia, in inritum cadebant, quia pervaſerat rumor [8], « ipſo tempore flagrantis Urbis, iniſſe eum domeſticam ſcenam, & ceciniſſe Trojanum excidium, præſentia mala vetuſtis cladibus adſimulantem.

XL. Sexto demum die [9], apud imas Eſquilias [10], finis incendio factus, prorutis per immenſum ædificiis, ut continuæ violentiæ campus, & velut vacuum cælum occurreret. Nec dum poſito metu [11], redibat, haud levis, & rurſum graſſatus,

[1] Seu jussu] Mallet Illuſtr. Huetius, *juſſi*.

[2] Domui ejus] Quam a palatio Eſquilias uſque continuaverat, *tranſitoriamque* appellaverat. Eâ incensâ, auream condidit, de quâ mox dicetur.

[3] Mæcenatis hortos] In Eſquiliis, ſeu Eſquilino monte, quorum partem rudera thermarum Titi nunc occupant. Vide Cl. Piraneſe, *Antichita Romane* Tom. I. pag. 28.

[4] Et domus] Neronis.

[5] Monumenta Agrippæ] Thermas, hortos, diribitorium, ceteraque Agrippæ monumenta in IX Urbis regione. Manet adhuc Pantheon, & plurima inter rudera thermarum reliquiæ, quæ appellantur l'*Arco della Ciambella*.

[6] Hortos quin etiam suos] In Vaticano.

[7] Ternos nummos] Monetæ Gallicæ ferme aſſes duodecim. Rectè quidem minutum frumenti pretium. Verè enim Lucanus, III, 58.

Neſcit plebes jejuna timere.

[8] Pervaserat rumor] Id affirmat Suetonius in Ner. XXXVIII. *Hoc incendium e turri Mæcenatianâ proſpectans, lætuſque* flammæ, *ut aiebat*, pulchritudine, ἅλωσιν *Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit.* E ſummo palatii proſpectaſſe, perperam dicitur apud Dionem LXII. pag. 709. Rumorem illum, quem Tacitus ipſe retulit, fabulam eſſe confidentiùs adſeverat Cl. Reimarus.

[9] Sexto demum die] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 40.

[10] Apud imas Esquilias] Ima montis Eſquilini.

[11] Nec dum posito metu] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 40.

A. U. C. 817. J. C. 64.

ignis, patulis magis Urbis locis, eoque ſtrages hominum minor: delubra deûm, & porticus amœnitati dicatæ, latiùs procidêre. Pluſque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Æmilianis [1] proruperat. Videbaturque Nero condendæ Urbis novæ [2], & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant [3], tres ſolo tenus dejectæ [4]: ſeptem reliquis [5] pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera & ſemiuſta.

XLI. Domuum, & inſularum [6], & templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit: ſed vetuſtiſſimâ religione, quod Servius Tullius Lunæ [7], & Magna ara [8] fanumque [9], quæ præſenti Herculi Arcas Evander [10] ſacraverat,

[1] Prædiis Tigellini Æmilianis] Fuit in VII. Urbis regione vicus Æmilianus, in quo, auctore Nardino, *Roma Vetus*, IV, 10, videntur fuiſſe ædes, tabernæ, horrea, ceteraque id genus Urbana Tigellini prædia. Alia fuere Æmiliana extra Urbem, prope portam Flumentanam. De quibus hìc haud agitur.

[2] Condendæ Urbis novæ] Ferme iiſdem verbis Sulpicius Severus, II, 29 Credebaturque *Imperator gloriam innovandæ urbis quæſiſſe.*

[3] Quatuor integræ manebant] Regiones ſexta, ſeptima, nona & quartadecima.

[4] Solo tenus dejectæ] Regiones ſecunda, tertia & quarta.

[5] Septem reliquis] Regionibus primæ, quintæ, octavæ, decimæ, undecimæ, duodecimæ, decimæ tertiæ.

[6] Insularum] Domos primores Urbis, inſulas plebs habitabat. De inſulis jam dictum ſuprà Annal. VI, 45. Vide & Feſtum, voce *Inſulæ.* Ad oram Mſ. Vatic. 1958 adſcriptum: *Seneca ad Paulum Apoſtolum. Centum triginta duæ domus, & inſulæ quatuor ſex diebus arſerunt. Septimus pauſam dedit.* Hæc ſpuria ſunt, & nebulonis figmenta. Quàm verò id ſit abſurdum patet ex P. Victore, de Regionibus Urbis, Reg. II. *Inſulæ* III *M.* CVI. *Domus* CCCXXXIII. Reg. III. *Inſulæ* II *millia* DCCCVII. *Domus* CLX. Reg. IV. *Inſulæ* II *M.* DCCLVIII. *Domus* CXXXVIII. Hæ ſunt regiones ſolo tenus dejectæ. Quid ſi de ſeptem aliis laceris & ſemiuſtis dicerem? Totâ in Urbe, juxta Victorem fuere, *Inſulæ* XLVI *millia* DCII. *Domus mill.* DCCLXXX. Vide quæ hac de re jam diximus in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

[7] Lunæ] Templum Lunæ in Aventino monte, & XII Urbis regione; teſte Victore, *Templum Lunæ in Aventino magnum.* Quàm egregia monumenta, incenſo hoc templo, perierint æſtimare poſſumus ex Vitruvio, V, 5. *Auctorem habemus L. Mummium, qui, diruto theatro Corinthiorum, ejus ænea Romam deportavit, & de manubiis ad ædem Lunæ dedicavit.*

[8] Magna ara] In XI Urbis regione, quam ſibi ipſe Hercules poſuerat, Solin. II. Egregia ejus ex ære ſtatua inter aræ rudera inventa eſt. Dextrâ clavam, ſiniſtrâ mala aurea tenebat. Baſi inſcriptum, HERCVLI VICTORI POLLENTI POTENTI INVICTO D. D. L. M. FRONTO. Illam in ædibus Conſervatorum haberi teſtatur Ulyſſes Aldrovandi, *Le Statue di Roma*, pag. 273.

[9] Fanumque] Herculis Olivari in XI Urbis regione. De hoc fano vide Varronem de Linguâ Lat. pag. 54.

[10] Arcas Evander] *Evander enim, qui venit in Palatium e Græciâ, Arcas fuit,* Varro de Ling. Lat. pag. 9.

ædeſque Statoris Jovis [1] vota Romulo, Numæque regia [2], & delubrum Veſtæ cum penatibus populi Romani, exuſta. Jam opes tot victoriis quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum [3] antiqua & incorrupta. Quamvis in tantâ reſurgentis Urbis [4] pulchritudine, multa ſeniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui adnotarent, XIV. Kalendas Sextiles [5] principium incendii hujus ortum, quo & Senones captam urbem inflammaverant. Alii eò uſque curâ progreſſi ſunt, ut totidem annos menſeſque & dies inter utraque incendia numerent [6].

A. U. C. 817. J. C. 64.

XLII. CETERUM Nero uſus eſt patriæ ruinis [7], exſtruxitque

[1] STATORIS JOVIS] In X Urbis regione, & Palatini montis radice. Templi nominiſque originem docet Livius, I, 12. Cùm enim vincerent Sabini, Romani fugerent, Romulus arma ad cælum tollens, *Jupiter, tuis*, inquit, *juſſus avibus hìc in Palatino prima urbi fundamenta jeci : arcem jam ſcelere emptam Sabini habent : inde huc armati, ſuperatâ mediâ valle tendunt. At tu, pater Deûm hominumque, hinc ſaltem arce hoſtes : deme terrorem Romanis, fugamque fœdam ſiſte : Hìc ego tibi templum Statori Jovi, quod monumentum ſit poſteris, tuâ præſenti ope ſervatam urbem eſſe, voveo.*

[2] NUMÆQUE REGIA] In clivo quoque Palatini montis, prope gradus palatii, ſeu domûs Auguſtæ, erant Numæ regia, & delubrum Veſtæ. De iis Horatius, I Od. II, 13.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis
Templaque Veſtæ.

In delubro Veſtæ erat Palladium, Penates, ignis, virgines Veſtales. Templum illud occurrit in nummis familiæ Æmiliæ, reſtitutum in nummis Veſpaſiani. Deos verò Penates exhibent nummi familiarum Antiæ & Sulpiciæ. Paucis Ovidius, III Triſt. Eleg. I, 27.

Hæc ſunt fora Cæſaris, inquit,
Hæc eſt a Sacris quæ via nomen habet.
Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſervat & ignem:
Hæc fuit antiqui regia parva Numæ.
Inde petens dextram, Porta eſt, ait, iſta Palati,
Hic Stator: hoc primùm condita Roma loco eſt.

[3] MONIMENTA INGENIORUM] Libri ac ſcripta veterum.

[4] RESURGENTIS URBIS] In Veſpaſiani aliorumque deinde Imperatorum nummis nonnumquam occurrit, ROMA RESVRGENS.

[5] XIV. CALENDAS SEXTILES] Die decimâ nonâ Julii. Idque egregiè confirmat Livius VI, 1. Illo enim teſte, ad Alliam pugnatum eſt *XV Kalendas Sextiles*. Et libro V, 41. ait victores Gallos Urbem ingreſſos eſſe *poſtero* die. Nec diſſentit Verrius Flaccus a Gellio, V, 17. laudatus. Haud ergo Tacitus erroris inſimulandus, ut placuit nonnullis, qui hæc contigiſſe XVI, non vero XIV, Kalendas Sextiles exiſtimant.

[6] TOTIDEM ANNOS MENSESQUE ET DIES] A vetuſtis Urbis primordiis inter utraque incendia totidem annos, menſes dieſque otioſi numerabant. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 41.

[7] USUS EST PATRIÆ RUINIS] Certè uſus eſt. Nam, teſte Suetonio in Ner. XXXVIII, *Ne non hinc quoque quantùm poſſet prædæ & manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum & ruderum gratuitam egeſtionem, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit : collationibuſque non receptis modò, verùm & efflagitatis, provincias privatorumque cenſus propè exhauſit.* Teſte Oroſio, VII, 7, *Centies centena millia ſeſtertiûm*, monetæ Gallicæ libras 1,945,502, *annua ad expenſas a ſenatu ſibi conferri imperavit.*

A. U. C. 817. J. C. 64.

domum [1], in quâ haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu vulgata, quàm arva & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſilvæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus: magiſtris & machinatoribus Severo & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis inludere. Namque « ab lacu Averno [2] navigabilem foſſam uſque ad oſtia Tiberina » depreſſuros » promiſerant, ſqualenti litore, aut per montes adverſos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes [3]: cetera abrupta, aut arentia; ac ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor, nec ſatis cauſæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor [4], effodere proxima Averno juga connixus eſt: manentque veſtigia inritæ ſpei [5].

XLIII. Ceterum, Urbis quæ domui ſupererant [6], non, ut poſt Gallica incendia, nullâ diſtinctione, nec paſſim, erecta: ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatiis, cohibitâque ædificiorum altitudine [7], ac patefactis areis, addi-

[1] Exstruxitque domum] Cùm de aureâ Neronis domo multa ſint dicenda, vide Notas & Emend. ad Annal. XV, 42.

[2] Ab lacu Averno] Hodie *lago Averno* prope Baias, in ſinu Puteolano. De hac foſsâ ejuſque causâ & utilitate commodiùs dicetur infrà Hiſt. I, 86.

[3] Pomptinæ paludes] Nunc *paludi Pontine*, in agro Romano. De iis Plinius, III, 5. Sect. 9. *Aliud miraculum: a Circeiis palus Pomptina eſt, quem locum* XXXIII *urbium fuiſſe Mucianus ter conſul prodidit.*

[4] Incredibilium cupitor] Verè incredibilium. Si quidem inchoaverat *piſcinam a Miſeno ad Avernum lacum, contectam, porticibus concluſam, quo quicquid totis Baiis calidarum eſſet, converteretur. Foſſam ab Averno Oſtiam uſque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per centum ſexaginta millia: latitudinis, quâ contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratiâ, quod ubique eſſet cuſtodiæ in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, non niſi ad opus damnari, præceperat.*

[5] Vestigia inritæ spei] Et quidem funeſta, teſte Plinio, XIV, 6. *Antea Cæcubo* vino *erat generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano: quod jam intercidit, & incuriâ coloni, locique anguſtiâ: magis tamen foſsâ Neronis, quam a Baiano lacu Oſtiam uſque navigabilem inchoaverat.*

[6] Quæ domui supererant] Urbis loca, quæ, exſtructâ, aut ſaltem dimensâ, domo aureâ, ſupererant.

[7] Cohibitaque ædificiorum altitudine] Qænam ſit illa altitudo a Nerone præſcripta incertum eſt. Id tantum novimus ex Strabone, V. pag. 235, Auguſtum, ut ob nimiam domorum altitudinem frequentes ruinæ caverentur, *edixiſſe ne novum ullum ædificium ad viam publicam factum ultra* LXX *pedes attolleretur.* Πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελών, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ο΄ τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Trajanus verò ſtatuit, *ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſiquando talia contingerent, exitioſos*, Aurel. Victor in Epitom. XIII. Unde videtur Nero inter LXX & LX pedes domorum altitudinem definiviſſe. Qui plura hac de re deſiderat, adeat eruditiſſimum Btiſſonium, Selectæ ex Jur. Civ. Antiquitates, I, 1.

A. U. C. 817. J. C. 64.

tiſque porticibus [1], quæ frontem inſularum protegerent. « Eas » porticus » Nero « ſuâ pecuniâ exſtructurum, purgataſque » areas dominis traditurum », pollicitus eſt. Addidit præmia pro cujuſque ordine, & rei familiaris copiis: finivitque tempus [2], intra quod, effectis domibus, aut inſulis, adipiſcerentur. « Ruderi accipiendo [3] Oſtienſes paludes » deſtinabat, « utique naves, quæ frumentum Tiberi ſubvectaſſent, onuſtæ » rudere decurrerent. Ædificiaque ipſa certâ ſui parte, ſine » trabibus, ſaxo Gabino Albanove [4] ſolidarentur (quòd is lapis » ignibus impervius eſt). Jam aqua privatorum licentiâ inter» cepta [5], quò largior, & pluribus locis in publicum flueret, » cuſtodes: & ſubſidia reprimendis ignibus, in propatulo quiſ» que haberet; nec communione parietum, ſed propriis quæque » muris ambirentur [6] ». Ea ex utilitate accepta, decorem, quoque novæ Urbi attulere. Erant tamen qui crederent, « ve» terem illam formam ſalubritati [7] magis conduxiſſe, quoniam

[1] Additisque porticibus] Sueton. in Ner. XVI. *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur: eaſque ſumptu ſuo exſtruxit. Deſtinarat etiam Oſtiâ tenus mœnia promovere, atque inde foſsâ mare veteri Urbi inducere.*

[2] Finivitque tempus] Intra quod, qui domos, aut inſulas, effeciſſent, præmia adipiſcerentur.

[3] Ruderi accipiendo] Domorum tum incenſarum, tum recèns exſtructarum ruderibus accipiendis, ut paludes illæ complerentur. Paludes iſtæ adhuc viſuntur in viâ Oſtienſi, paulò ſupra lacum Oſtienſem.

[4] Saxo Gabino Albanove solidarentur] Sine trabibus, ſaxo Gabino Albanoque concamerata ſolidarentur. Præterquàm quòd Gabinæ Albanæque lapidicinæ Urbi proximæ, mollibus adhuc earum lapidibus ignis nocere non poterat. Contrà verò duriores Tiburtini lapides, ſed igne tacti, diſſiliunt & diſſipantur, Vitruv. II, 7. Strabo, V. pag. 238.

[5] Privatorum licentia intercepta] Nero edixit, ut aqua, privatorum licentiâ antè intercepta, cuſtodes haberet, quò largior & pluribus in locis in publicum flueret: quiſque etiam haberet in propatulo, ſeu in ædium veſtibulis, ſubſidia reprimendis ignibus. De ſervis, aquarum cuſtodibus, qui in Inſcriptionibus appellantur AQVARII, vide Petr. Burm. Diſſert. de Vectigalibus populi Rom. XII. pag. 241 & 242.

[6] Ambirentur] Sublata communione parietum, minus erat incendiorum periculum; ſolidioraque ædificia, quæ propriis muris ambiebantur. Olim, lege XII Tabularum, ſpatium inter domos inſulaſve in latitudinem duos pedes & ſemiſſem patebat, ad liberiorem circumeundi facultatem. AMBITVS PARIETVM SESTERTIVS PES ESTO. Vide eruditiſſimum Briſſonium, Selectæ ex Jure Civili Antiquitates, I, 2. In Urbe maximâ & ferme innumerabili id obſervari jam pridem deſierat.

[7] Salubritati] Conſtat adhuc medicorum experientiâ Romæ plures eſſe ægros æſtate in viâ ſuburbii novi, quæ latior eſt, quàm in viâ ſuburbii veteris anguſtiore. Vide Manelphum Eretanum, *Menſa Romana*, pag. 4. Scilicet patula latitudo, nullâ umbra defenſa, graviore æſtu ardeſcit.

A. U. C. 817. J. C. 64.

»anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde ſolis »vapore perrumperentur». At nunc patulam latitudinem, & nullâ umbrâ defenſam, graviore æſtu ardeſcere.

XLIV. Et hæc quidem humanis conſiliis providebantur. Mox petita diis piacula [1], aditique Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano & Cereri Proſerpinæque, ac propitiata Juno per matronas, primùm in Capitolio, deinde apud proximum mare [2]: unde hauſtâ aquâ, templum & ſimulacrum deæ proſperſum eſt; & ſelliſternia [3] ac pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant. Sed non ope humanâ, non largitionibus Principis, aut deûm placamentis, decedebat infamia, quin juſſum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis adfecit, quos per flagitia inviſos, vulgus *Chriſtianos* appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectus erat [4]. Repreſſaque in præſens [5]

[1] Petita diis piacula] Petita ſunt ut placarentur dii. De libris Sibyllæ diximus ſatis in Notis ad Annal. VI, 12.

[2] Apud proximum mare] Et ſanè Oſtiæ.

[3] Sellisternia] Lectos deis, ſellas deabus poſitas fuiſſe patet ex Valerio Maximo, II, 1. num. 2. *Feminæ cum viris cubantibus ſedentes cenitabant: quæ conſuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit: nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad cenam invitantur. Quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentiùs in Capitolio, quàm in ſuis domibus ſervat: videlicet quia magis ad rem pertinet, dearum quàm mulierum, diſciplina contineri.* Originem verò tradit Livius V, 13. *Inſanabili* enim peſtilentis æſtatis *pernicie, quando nec cauſa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex ſenatuſconſulto aditi ſunt. Duumviri ſacris faciundis, lectiſternio tum primùm in urbe Romanâ facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus, quàm ampliſſimè tum apparari poterat, ſtratis lectis placavere.* Præcipua alia lectiſternia vide apud eumdem Livium, XXI, 62. & XXII, 10. De pervigiliis, eorum celebritate, ac poſtea ſcelere, ſatis compertum.

[4] Supplicio adfectus erat] Nec in eo erubeſcimus; illudque ultro memoravimus in Supplemento Annal. V, 8.

[5] Repressaque in præsens] Cùm *præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos a Româ*, D. Luc. Act. Apoſt. XVIII, 2. Chriſtiani quoque, quorum plurimi erant Judæi, Româ diſcedere fuerant coacti; ideoque repreſſi in præſens dicuntur. Ne tamen exiſtimes, ut Lipſio, aliiſque eruditis viris placuit, Chriſtianos, Judæorum nomine, memorari apud Arrianum in Epictet. II, 9. Hìc enim, ſicut & ſuprà I, 22. puri putique Judæi appellantur. Eodem in errore verſantur, qui ad Chriſtianos, Chriſtumque referunt verba Suetonii in Claud. XXV, *Judæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes Româ expulit.* Non Jeſu Chriſto, ſed Judæo quodam Chreſto (nec apud Græcos Latinoſque inſolitum nomen) impulſore, tumultuantes Judæi pulſi ſunt. Fruſtraque erroris inſimulatur Suetonius, quaſi Jeſum Chriſtum, imperitante Claudio, vixiſſe & tumultuatum eſſe ſcripſerit. Alius adhuc, nec nobis ſilendus, apud

A. U. C. 817. J. C. 64.

exitiabilis ſuperſtitio [1] rurſus erumpebat, non modò per Judæam, originem ejus mali, ſed per Urbem etiam, quò cuncta undique atrocia, aut pudenda, confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti ſunt [2]. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Hortos ſuos [3] ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo inſiſtens. Unde quamquam adversùs ſontes & noviſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur, tamquam non utilitate publicâ, ſed in ſævitiam unius abſumerentur.

XLV. Interea conferendis pecuniis [4] pervaſtata Italia,

eruditos invaluit error, quòd quæ de Judæis narrat Dio, LX. pag. *669*, cum D. Lucæ & Suetonii narratione perperam confundunt. Novem enim anni, inter vetita a Claudio Judæorum conventicula eorumque expulſionem interjecti.

[1] Exitiabilis superstitio] Proh ſuperſtitio! Teſte enim ipſo Plinio X. Ep. *97*. Hæc fuit ſumma, *vel culpæ*, *vel erroris*, *quòd* Chriſtiani *eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe rurſuſque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium: quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundùm mandata tua hetærias eſſe vetueram.* Se ſacramento, non in ſcelus, ſed in virtutem obſtringere, hæccine exitiabilis ſuperſtitio? Meritò igitur gloriatur Tertullianus ad Scapulam, IV. *Pro tantâ innocentiâ, pro tantâ probitate, pro juſtitiâ, pro pudicitiâ, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur; quod nec ſacrilegi, nec hoſtes publici, verum nec tot majeſtatis rei pati ſolent ..... Crudelitas veſtra gloria eſt noſtra.*

[2] Odio humani generis convicti sunt] Primùm correpti ſunt, qui ſe Chriſtianos eſſe fatebantur, deinde eorum indicio capta multitudo ingens Chriſtianorum: omneſque non crimine incendii, cujus immunes, ſed profeſſione religionis, quæ odiſſet genus humanum, convicti ſunt; ob ea flagitia inviſi. Sic Romani criminabantur religionem, cujus quidem ſingulare, ſed divinum eſt effatum: *Si quis veniat ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* D. Luc. XIV, *26*. Verùm hac de re & de Chriſtianis a Nerone interfectis vide peculiarem diſſertationem in Notis & Emendationibus ad Annal. XV, 44.

[3] Hortos suos] In Vaticano. Ibi Chriſtianorum ſanguis effuſus, ubi maximus effulſit adhucque effulget Chriſtianæ fidei ſplendor.

[4] Conferendis pecuniis] Ut domus aurea, urbſque nova ædificaretur. Huc ſpectat quod habet Suetonius in Ner. XXXII, *Nulli delegavit officium, ut non adjiceret: ſcis quid mihi opus ſit: &*,

A. U. C. 817. J. C. 64.

provinciæ everſæ, ſociique populi, & quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii ceſſere, ſpoliatis in Urbe templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis [1], omnis populi Romani ætas proſpere, aut in metu, ſacraverat. Enimvero per Aſiam atque Achaiam non dona tantùm, ſed ſimulacra numinum [2] abripiebantur, miſſis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate [3]. Ille libertus, cuicumque flagitio promptus: hic Græcâ doctrinâ ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. Ferebatur « Seneca,

hoc agamus, ne quis quidquam habeat. Ultimò templis compluribus dona detraxit, ſimulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit: in his Penatium deorum, quæ mox Galba reſtituit.

[1] Quod triumphis, quod votis] Ob proſperas adverſaſque res dona aurea diis ſacrabantur. Quot quantaque eſſent in Urbe æſtimare poſſumus ex Auguſto, cujus inſigne exſtat teſtimonium in monumento Ancyrano apud Cl. Chiſhull, Antiquit. Aſiatic. pag. 175. *Meæ* STATVAE. PEDESTRES. ET. EQVESTRES. ET. IN. QVADRIGEIS. ARGENTEAE. STETERVNT. IN. VRBE. XXC. CIRCITER. QVAS. IPSE. SVSTVLI. EXQVE. EA. PECVNIA. DONA. AVREA. IN. AEDE. APOLLINIS. MEO. NOMINE. ET. ILLORVM. QVI. MIHI. STATVARVM. HONOREM. HABVERVNT. POSVI. Nec ſilendus Suetonius in Aug. XXX. *Ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas, refecit: eaſque & ceteras opulentiſſimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis ſedecim millia pondo auri*, Gallicæ monetæ libras 15,120,000, *gemmaſque ac margaritas quingenties ſeſtertium*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *unâ donatione contulerit.* Senatum mille pondo auri, *Gallicæ monetæ libras 945,000*, promittere ſolitum docet Petronius in Satyric. Tom. I. pag. 356. *Ipſe ſenatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere ſolet.* Porro quot vota publicè ac privatim pro bellis, pro morbis, pro fortunâ conciperentur pronum eſt intelligere.

[2] Simulacra numinum abripiebantur] Non numinum tantùm, ſed & hominum. Inter varia Neronis ſcelera, recenſet Pauſanias, X, 7. pag. 813. in Phocic. quingentas æneas partim deorum, partim hominum ſtatuas, ex Delphico Apollinis templo ſublatas ἐς τὸν Ἀπόλλωνα πεντακοσίας θεῶν τε ἀναμὶξ ἀφείλετο καὶ ἀνθρώπων εἰκόνας χαλκᾶς. Quot ergo ex Olympiis, ex Pergamenis delubris, ex Athenarum arce, ex totâ Achaiâ & Aſiâ ſubripuit, cùm Acratus, teſte Dione Chryſoſtomo, Orat. XXXI. pag. 355. ne ullum quidem vicum omitteret, ſolaſque Rhodiorum ſtatuas intactas dimiſerit. Ἴςε γὰρ ὁ Κράτων (corrige ὁ Ἀκράτων) ἧκε μόνος, τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ἅπασαν περιελθὼν τούτου χάριν, καὶ μηδὲ κώμην παρεὶς μηδεμίαν, ὡς κἀνθάδε ἧκε. Λυπουμένων δ᾽ ὑμῶν, ὅπερ εἰκὸς, κατὰ θέαν ἔφη παρεῖναι· μηδὲ γὰρ ἔχειν ἐξουσίαν μηδενὸς ἅψασθαι τῶν ἐνθάδε. *Noſtis quot ſtatuas Acratus ſolus Neroni miſerit, orbem ferme omnem ideo peragrans, neque vicum ullum præteriens, utque tandem Rhodum etiam venerit. Vobis autem, ut par erat mærentibus, dixit ſe ſpectandi gratiâ adeſſe; neque ſe habere poteſtatem quicquam attingendi eorum, quæ hic eſſent.* Tot artis miracula, *violentiâ Neronis in Urbem convecta*, fuiſſe *in ſellariis domûs aureæ diſpoſita* docet Plinius, XXXIV, 8. num. 24.

[3] Secundo Carinate] Carinas olim rhetor, ſed miſellus, & ob orationem in Tyrannos a Caio relegatus: unde Juvenalis VII, 203.

Pœnituit multos vanæ, ſteriliſque cathedræ,
Sicut Thraſymachi probat exitus, atque Secundi Carrinatis.

Vide & Dionem, LIX. pag. 656.

» quò

»quò invidiam ſacrilegii a ſemet averteret, longinqui ruris »ſeceſſum oraviſſe; & poſtquam non concedebatur, fictâ va»letudine, quaſi æger nervis, cubiculum non egreſſus». Tradidere quidam, « venenum ei per libertum ipſius, cui »nomen *Cleonicus*, paratum, juſſu Neronis: vitatumque a »Senecâ proditione liberti, ſeu propriâ formidine, dum per»ſimplici victu [1], & agreſtibus pomis, ac, ſi ſitis admoneret, »profluente aquâ vitam tolerat».

A. U. C. 817. J. C. 64.

XLVI. Per idem tempus gladiatores, apud oppidum Præneſte [2], tentatâ eruptione [3], præſidio militis, qui cuſtos adeſſet, coerciti ſunt: jam « Spartacum [4] & vetera mala » rumoribus ferente populo, ut eſt novarum rerum cupiens paviduſque. Nec multò pòſt clades rei navalis accipitur, non bello (quippe haud aliàs tam immota pax) ſed certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero juſſerat, non exceptis maris caſibus. Ergo gubernatores, quamvis ſæviente pelago a Formiis [5] movêre, & gravi Africo [6], dum promontorium Miſeni [7] ſuperare contendunt, Cumanis litoribus [8] impacti, triremium pleraſque, & minora navigia paſſim amiſerunt.

XLVII. Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non aliàs crebrior, & ſidus cometes, ſanguine inluſtri ſemper Neroni expiatum [9]. Bicipites

[1] Persimplici victu] De quo audiendus ipſe Seneca Ep. LXXXIII. *Panis deinde ſiccus, & ſine menſâ prandium: poſt quod non ſunt lavandæ manus.* De Senecæ frugalitate vide adhuc epiſtolam CVIII.

[2] Oppidum Præneste] Nunc *Paleſtrine*, in agro Romano.

[3] Tentata eruptione] Tentatâ eruptione ut fugerent. Atrox enim gladiatorum ſors,

Uri virgis ferroque necari.

[4] Jam Spartacum] Spartacus, gladiator, bellum ſervile concitavit anno U. C. dclxxxi : nec illud ſervilium armorum dedecus ſublatum eſt niſi anno U. C. dclxxxiii. Vide Florum, III, 20. & Plutarchum in Craſſo, pag. 547 & ſeqq.

[5] A Formiis] Formiæ, oppidum Auruncorum: nunc *Mola*, *dans la terre de Labour.*

[6] Africo] *Le vent de Sud-Oueſt.*

[7] Promontorium Miseni] Nunc *Capo di Miſeno.*

[8] Cumanis litoribus] Inter *Capo di Miſeno* & *Monte Riſcello.* Hæc litora Cumanæ Sibyllæ ſpeluncâ celeberrima.

[9] Semper Neroni expiatum] Grotius delebat, *ſemper*, quod minimè quotidianum ſidus, cometes. Bentleius retinet, *ſemper;* ſed ſublatum vult, *Neroni.* Nihil demendum ſuadet Plinius, II, 25, cometes *terrificum magnâ ex parte ſidus, ac non leviter piatum, ut civili motu, Octavio conſule; iterumque Pompeii & Cæſaris bello. In noſtro verò*

A. U. C. 817. J. C. 64.

hominum aliorumve animalium partus abjecti in publicum, aut in ſacrificiis, quibus gravidas hoſtias immolare mos eſt, reperti. Et in agro Placentino [1], viam propter, natus vitulus, cui caput in crure eſſet. Secutaque haruſpicum interpretatio: « parari rerum humanarum aliud caput: ſed non fore vali» dum, neque occultum; quia non in utero repreſſum [2], at iter » juxta editum ſit ».

A. U. C. 818. J. C. 65.

XLVIII. Ineunt deinde conſulatum [3] Silius Nerva, & Atticus Veſtinus, cœptâ ſimul, & auctâ, conjuratione, in quam certatim nomina dederant, ſenatores, eques, miles, feminæ etiam, cùm odio Neronis, tum favore in C. Piſonem [4]. Is Calpurnio genere ortus, ac multas inſigneſque familias paternâ nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut ſpecies virtutibus ſimiles. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversùs amicos; & ignotis quoque comi ſermone & congreſſu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies: ſed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia: lenitati ac magnificentiæ,

ævo circa veneficium, quo Claudius imperium reliquit Domitio Neroni: ac deinde principatu ejus aſſiduum propè ac ſævum. Cometen Rubellii Plauti ſanguine expiatum vidimus ſuprà Annal. XIV, 22. Cruentas illas expiationes Neronem docuit Babilus, aſtrologus, teſte Suetonio in Ner. XXXVI. *Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius eâ re, ut ex Babilo aſtrologo didicit, ſolere reges talia oſtenta cæde aliquâ illuſtri expiare, atque a ſemet in capita procerum depellere: nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit.* Hic Babilus, vanus feruſque homo, a C. Balbillo, de quo dictum ſuprà Annal. XIII, 22. omnino diverſus.

[1] In agro Placentino] *Le Duché de Plaiſance.*

[2] Non in utero repressum] Vide Notas & Emend. ad Annal. XV, 47.

[3] Consulatum] A. Licinius Nerva Silianus & M. Veſtinus Atticus conſulatum inicre anno Urbis conditæ DCCCXVIII. Jeſu Chriſti 65.

[4] In C. Pisonem] Piſonianam conjurationem memorat quoque Suetonius in Ner. XXXVI. Obſcurè Dio, LXII. pag. 713. quia hac in parte mutilus. Verùm non ſilendum extat de Piſone fragmentum apud Scholiaſten Juvenalis, Satyr. V, 109. *Piſo Calpurnius, antiquâ familiâ, ſcenico habitu tragœdias actitavit: in latrunculatorum luſu tam perfectus & callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob hæc inſinuatus C. Cæſari, repetente* (fortè *repentè*) *etiam relegatus eſt, quòd conſuetudinem priſtinæ uxoris abductæ ſibi ab ipſo, deinde remiſſæ, repetiiſſe exiſtimabatur. Mox ſub Claudio reſtitutus, & poſt conſulatum maternâ hereditate ditatus, magnificentiſſimus vixit, meritis ſublevare inopes ex utroque ordine ſolitus: de plebe autem certos quotannis ad equeſtrem cenſum dignitatemque provehere.* Inde Juvenalis, loc. cit.

Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Senecâ, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri.

& aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui, in tantâ vitiorum dulcedine, ſummum imperium non reſtrictum, nec perſeverum volunt.

A. U. C. 818.
J. C. 65.

XLIX. Initium conjurationis non a cupidine ipſius fuit: nec tamen facilè memoraverim, quis primus auctor, cujus inſtinctu concitum ſit, quod tam multi ſumpſerunt. Promptiſſimos Subrium Flavium [1], tribunum prætoriæ cohortis, & Sulpicium Aſprum, centurionem, exſtitiſſe, conſtantia exitûs docuit. Et Lucanus Annæus, Plautiuſque Lateranus, conſul deſignatus, vivida odia intulere. Lucanum [2] propriæ cauſæ accendebant, quòd famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque oſtentare, vanus adſimulatione [3]. Lateranum, conſulem deſignatum, nulla injuria, ſed amor reipublicæ ſociavit. At Flavius Scevinus, & Afranius Quintianus, uterque ſenatorii ordinis, contra famam ſuî, principium tanti facinoris capeſſivere. Nam Scevino diſſoluta luxu mens, & proinde vita ſomno languida. Quintianus mollitiâ corporis infamis, & a Nerone probroſo carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.

L. Ergo, dum « ſcelera Principis, & finem adeſſe imperii, » deligendumque qui feſſis rebus ſuccurreret », inter ſe aut inter amicos jaciunt, aggregavere Tullium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Julium Tugurinum,

[1] Subrium Flavium] Dioni, LXII. pag. 713. Σούβιος Φλάβιος . . . . Σουλπίκιος Ἄπρος. *Subius Flavius . . . . . Sulpicius Aper.*

[2] Lucanum] Quo nobiliorem poetam non tulit Hiſpania: nimis quidem turgidum, ſed argumenti dignitate, granditate animi, ſententiarum majeſtate, ipſâque verborum gravitate laudatum.

[3] Vanus adsimulatione] Vanus adſimulatione Lucani, qui juſſus carmina reticebat, quaſi Neroni cederet. At Lucanum tandem ultum iit poſteritas, ut rectè augurabatur Statius, II Silv. Carm. ult. *Genethliacon Lucani*, *verſ.* 58.

Ingratus Nero dulcibus theatris,
Et noſter tibi præfertur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantis
Inſandos domini nocentis ignes.
Tu caſtæ titulum, decuſque Pollæ
Jucundâ dabis adlocutione.
Mox cœptâ generoſior juventâ
Albos oſſibus Italis Philippos,
Et Pharſalica bella detonabis.
Et fulmen ducis inter arma divi
Libertate gravem piâ Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Peluſiaci ſcelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo cruentâ
Pompeio dabis altius ſepulchrum.
Hæc primo juvenis canes ſub ævo
Ante annos Culicis Maroniani.
Cedet Muſa rudis ferocis Enni,
Et docti furor arduus Lucreti.
Et qui per freta duxit Argonautas.
Et qui corpora prima transfigurat.
Quin majus loquor? ipſa te Latinis
Æneis venerabitur canentem.

A. U. C. 818. J. C. 65.

Munatium Gratum, Antonium Natalem, Martium Feſtum, equites Romanos: ex quibus Senecio [1], e præcipuâ familiaritate Neronis, ſpeciem amicitiæ etiam tum retinens, eò pluribus periculis conflictabatur. Natalis [2] particeps ad omne ſecretum Piſoni erat. Ceteris ſpes ex novis rebus petebatur. Adſcitæ ſunt, ſuper Subrium & Sulpicium, de quibus retuli, militares manus, Granius Silvanus & Statius Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Venetus Paulus, centuriones. Sed ſummum robur in Fenio Rufo, præfecto [3], videbatur: quem vitâ famâque laudatum, per ſævitiam impudicitiamque Tigellinus in animo Principis anteibat, fatigabatque criminationibus, ac ſæpe in metum adduxerat, quaſi « adulterum Agrippinæ [4], & deſiderio ejus ultioni intentum ». Igitur ubi conjuratis, præfectum quoque prætorii in partes deſcendiſſe, crebro ipſius ſermone facta fides; promptiùs jam de tempore ac loco cædis agitabant. Et « cepiſſe impetum » Subrius Flavius ferebatur, « in ſcenâ canentem Neronem aggrediendi, aut cùm, ardente domo [5], per noctem huc illuc curſaret incuſtoditus ». Hìc occaſio ſolitudinis; ibi ipſa frequentia tanti decoris teſtis, pulcherrimum animum [6] exſtimulaverant: niſi impunitatis cupido retinuiſſet, magnis ſemper conatibus adverſa.

LI. Interim cunctantibus prolatantibuſque ſpem ac metum, Epicharis quædam, incertum quonam modo ſciſcitata, (neque illi antè ulla rerum honeſtarum cura fuerat) accendere, & arguere conjuratos: ac poſtremò lentitudinis eorum pertæſa, & in Campaniâ agens primores Claſſiariorum Miſenenſium [7]

[1] Ex quibus Senecio] Alius fuit (niſi ſi exemplarium vitium eſt in prænomine) Claudius Senecio, de quo dictum ſuprà Annal. XIII, 12.

[2] Natalis] An idem ac ille Natalis divitiſſimus ſimul & impuriſſimus, de quo Seneca Ep. LXXXVII?

[3] Præfecto] Prætorii præfecto, de quo ſuprà Annal. XIV, 51.

[4] Adulterum Agrippinæ] Matris Neronis, a filio interemptæ.

[5] Ardente domo] Neronis domui ignem injicere deſtinaverant, ut in tumultu Nero faciliùs interficeretur.

[6] Pulcherrimum animum] Quantò nobis ſanior mens ſacram inviolatamque eſſe Principum majeſtatem! Id ratio, id religio clamat. Id ad Romanos jam ſcripſerat D. Paulus, Ep. ad Rom. XIII, 1 & 2.

[7] Classiariorum Misenensium] De hac claſſe dictum ſuprà Annal. IV, 5.

labeſacere , & conſcientiâ inligare connixa eſt tali initio. Erat Chiliarchus [1] in eâ claſſe Voluſius Proculus , occidendæ matris Neronis inter miniſtros , non ex magnitudine ſceleris provectus , ut rebatur. Is mulieri cognitus , ſeu recèns ortâ amicitiâ , dum « merita erga Neronem ſua, & quàm in inritum » cecidiſſent », aperit , adjicitque queſtus , & « deſtinationem » vindictæ, ſi facultas oriretur », ſpem dedit poſſe impelli & plures conciliare : « nec leve auxilium in claſſe ; crebras oc»caſiones [2] », quia Nero multo apud Puteolos & Miſenum maris uſu lætabatur. Ergo Epicharis plura : & omnia ſcelera Principis orditur : « Neque ſenatui quid manere [3] , ſed provi»ſum quonam modo pœnas everſæ reipublicæ daret : accinge»retur modò navare operam, & militum acerrimos ducere in » partes , ac digna pretia exſpectaret ». Nomina tamen conjuratorum reticuit. Unde Proculi indicium inritum fuit , quamvis ea , quæ audierat , ad Neronem detuliſſet. Accita quippe Epicharis , & cum indice compoſita, nullis teſtibus innixum facilè confutavit. Sed ipſa in cuſtodiâ retenta eſt , ſuſpectante Nerone , haud falſa eſſe , etiam quæ vera non probabantur.

A. U. C. 818. J. C. 65.

LII. CONJURATIS tamen metu proditionis permotis , placitum maturare cædem apud Baias , in villâ Piſonis : cujus amœnitate captus Cæſar crebrò ventitabat [4], balneaſque & epulas inibat, omiſſis excubiis, & fortunæ ſuæ mole [5]. Sed abnuit Piſo « invidiam » prætendens , « ſi ſacra menſæ diique hoſpi»tales cæde qualiſcumque Principis cruentarentur. Meliùs » apud Urbem in illâ inviſâ , & ſpoliis civium exſtructâ domo, » vel in publico patraturos, quod pro republicâ ſuſcepiſſent ». Hæc in commune : ceterùm timore occulto, ne L. Silanus [6],

[1] CHILIARCHUS] Qui mille militibus præeſt.

[2] CREBRAS OCCASIONES] Nec leve futurum eſſe auxilium in claſſe Miſenenſi; crebraſque rei conficiendæ fore occaſiones.

[3] NEQUE SENATUI QUID MANERE] Neque ſenatui quidquam fidei erga Neronem manere : ſed ab eo proviſum , quonam modo pœnas everſæ reipublicæ daret.

[4] CREBRO VENTITABAT] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 52.

[5] FORTUNÆ SUÆ MOLE] Egregiè dictum. Excubiæ enim ſunt pariter fortunæ præſidium & moles.

[6] L. SILANUS] M. Junii Silani filius, Auguſti atnepos. Vide Stemma Cæſarum , num. 59.

A. U. C. 818. J. C. 65.

eximiâ nobilitate, diſciplinâque C. Caſſii [1], apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem ſublatus, imperium invaderet, promptè daturis operam, qui a conjuratione integri eſſent, quique miſerarentur Neronem, tamquam per ſcelus interfectum. Plerique « Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitaviſſe Piſonem » crediderunt, « ne ad libertatem moveretur, vel delecto Imperatore alio, ſui muneris rempublicam faceret [2] ». Etenim expers conjurationis erat; quamvis ſuper eo crimine Nero vetus adversùs inſontem odium expleverit.

LIII. Tandem ſtatuêre, Circenſium ludorum die [3], qui Cereri celebratur, exſequi deſtinata: quia Cæſar, rarus egreſſu, domoque aut hortis clauſus, ad ludicra Circi ventitabat; promptioreſque aditus erant lætitiâ ſpectaculi. Ordinem inſidiis compoſuerant, « ut Lateranus quaſi ſubſidium rei familiari oraret, » deprecabundus, & genibus Principis accidens, proſterneret » incautum premeretque, animi validus, & corpore ingens. » Tum jacentem & impeditum, tribuni & centuriones, & ce» terorum ut quiſque audentiæ habuiſſet, accurrerent, trucidarentque »: « primas ſibi partes » expoſtulante Scevino, qui pugionem, templo Salutis [4] in Etruriâ, ſive, ut alii tradidere, Fortunæ Ferentino in oppido [5] detraxerat, geſtabatque velut magno operi ſacrum. « Interim Piſo apud ædem Cereris [6] » opperiretur, unde eum præfectus Fenius & ceteri accitum

[1] C. Cassii] C. Caſſius conjux Lepidæ, L. Silani amitæ. Vide Stemma Cæſarum, num. 64 & 65. L. Silanus, interfecto patre ſuo M. Junio Silano, apud C. Caſſium educatus fuerat.

[2] Sui muneris rempublicam faceret] Ne ad libertatem reſtituendam moveretur, vel ſi Imperatorem deligere teneretur, rempublicam ſui muneris faceret, eumque crearet Imperatorem, quem ſibi tanto munere magis devinctum ſciret.

[3] Circensium ludorum die] Pridie Idus, ſeu die 12, Aprilis, initium fuit ludis Cerealicis. In vetere Kalendario prid. Id. April. ludi Cerealici. Per octo dies celebrabantur. Exiſtimo octavam diem, ſive 19 Aprilis, a conjuratis fuiſſe ſtatutam. Sic enim idem Kalendarium xiii Kal. Maii. Cerealici. Eâdem quoque die in latereulo Polemæi Silvii Circenses. consulis tertiæ mappæ. De his adhuc plura in Notis & Emendationibus ad Annal. XV, 53.

[4] Templo Salutis] In quo Etruriæ oppido fuerit id templum ignoratur. Fortè redundant, *in Etruriâ*.

[5] Ferentino in oppido] Ferentinum, oppidum Etruriæ, nunc *Frenti*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 53.

[6] Apud ædem Cereris] In XI Urbis regione, haud procul a Circo maximo.

«ferrent in caſtra [1], comitante Antoniâ [2], Claudii Cæſaris filiâ, »ad eliciendum vulgi favorem »: quod C. Plinius [3] memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis abſurdum videretur aut inanem ad ſpem Antoniam nomen & periculum commodaviſſe, aut Piſonem, notum amore uxoris, alii matrimonio [4] ſe obſtrinxiſſe : niſi ſi cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt [5].

A. U. C. 818. J. C. 65.

LIV. Sed mirum quàm inter diverſi generis, ordinis, ætatis, ſexûs, dites, pauperes, taciturnitate omnia cohibita ſint; donec proditio cœpit a domo Scevini : qui pridie inſidiarum, multo ſermone cum Antonio Natale, dein regreſſus domum, teſtamentum obſignavit : promptum vaginâ pugionem, de quo ſuprà retuli, « vetuſtate obtuſum » increpans, « aſperari »ſaxo, & in mucronem ardeſcere » juſſit. Eamque curam liberto Milicho [6] mandavit. Simul adfluentiùs ſolito convivium initum : ſervorum cariſſimi libertate, & alii pecuniâ donati : atque ipſe mæſtus, & magnæ cogitationis manifeſtus [7] erat, quamvis lætitiam vagis ſermonibus ſimularet. Poſtremò « vul»neribus ligamenta, quibuſque ſiſtitur ſanguis, parare » eumdem Milichum monet; ſive gnarum conjurationis, & illucuſque fidum, ſeu neſcium, & tunc primùm arreptis ſuſpicionibus, ut plerique tradidere, de conſequentibus [8]. Nam cùm

[1] Ferrent in castra] In prætorium ; ubi caſtra prætoriarum cohortium.

[2] Antonia] Claudii & Æliæ Petinæ filiâ. Vide Stemma Cæſarum, num. 105.

[3] C. Plinius] Jam memoratus ſuprà Annal. XIII, 20.

[4] Alii matrimonio] Antoniæ matrimonio, dimiſsâ priore uxore.

[5] Flagrantior est] Unde Polynices, amore regni furens ſimul & impius, apud Senecam, Thebais, IV, 662.

Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet conſtant bene.

[6] Liberto Milicho] Egregia in hortis Verſalicis exſtat Milichi ſtatua, cujus tamen vitium, cùm Milichus in eâ paulo curioſior videatur, quanto cum acumine repererit puer Burgundionum dux Latinâ Gallicâque eloquentiâ celebratum eſt. Quod quoque non ſiluerim, ut animum, tot ſcelerum lectione fatigatum, paululum recreet memoria optimi Principis, ad magnas ſpes nati, cum maximo deſiderio amiſſi.

[7] Magnæ cogitationis manifestus] Verè Seneca, Declam. II, 5. *Non bene tegit vultus magna conſilia.*

[8] De consequentibus] Tunc primum arreptis ſuſpicionibus de iſtorum mandatorum conſequentiis, ut plerique tradidere. Exiſtimat quidem Cl. Erneſtus hæc intelligenda eſſe de ſcriptoribus, id eſt, ut plerique de ſcriptoribus conſequentibus tradidere : ſed minùs placet.

A. U. C. 818. J. C. 65.

ſecum ſervilis animus præmia perfidiæ reputavit, ſimulque immenſa pecunia & potentia obverſabantur, ceſſit fas, & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Etenim uxoris quoque conſilium adſumpſerat, muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat, « multoſque adſtitiſſe libertos ac ſervos, » qui eadem viderint: nihil profuturum unius ſilentium: at » præmia penes unum fore, qui indicio præveniſſet ».

LV. Igitur, cœptâ luce, Milichus in hortos Servilianos[1] pergit; & cùm foribus arceretur, « magna, & atrocia adferre » dictitans, deductuſque ab janitoribus ad libertum Neronis, Epaphroditum[2], mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves conjurationes, & cetera quæ audierat, conjectaveratque, docet. Telum quoque in necem ejus paratum oſtendit, accirique reum juſſit. Is raptus per milites, & defenſionem orſus, « Ferrum, cujus argueretur, olim religione patriâ cul» tum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti ſubreptum » reſpondit. « Tabulas teſtamenti ſæpius a ſe, & incuſtoditâ » dierum obſervatione, ſignatas. Pecunias & libertates ſervis & » antè dono datas: ſed ideo tunc largiùs, quia tenui jam re fa» miliari, & inſtantibus creditoribus, teſtamento diffideret. » Enimvero liberales ſemper epulas ſtruxiſſe, & vitam amœ» nam[3], & duris judicibus parum probatam. Fomenta vulne» ribus nulla juſſu ſuo; ſed quia cetera palam vana objeciſſet, » adjungere crimen, cujus ſe pariter indicem & teſtem face» ret ». Adjicit dictis conſtantiam: incuſat ultro « inteſtabilem, » & conſceleratum », tantâ vocis ac vultûs ſecuritate, ut labaret indicium, niſi Milichum uxor admonuiſſet, « Antonium

Optimè vertit Davanzati, *ò come alcuni ſcrivono da quelli andamenti ne ſoſpicò.*

[1] In hortos Servilianos] Locum hortorum Servilianorum nemo veterum docet. Exiſtimat tamen Donatus, de Urbe Rom. III, 23, illos fuiſſe in IX Urbis regione haud procul a ponte Janiculenſi, nunc *le Pont de Sixte*. Fortè nomen acceperant a M. Servilio de quo dictum eſt ſuprà Annal. XIV, 19.

[2] Epaphroditum] Neroni erat a libellis: quem tamen fortuna minùs celebrem fecit, quàm ſervus ejus Epictetus, Stoicorum antiſtes. Quantò melior domino ſervus!

[3] Vitam amœnam] Liberales ſe ſemper epulas ſtruxiſſe, ſuamque vitam fuiſſe amœnam, & duris judicibus parum probatam.

» Natalem

» Natalem multa cum Scevino, ac ſecreta collocutum, & eſſe » utroſque C. Piſonis intimos ». A. U. C. 818.

LVI. Ergo accitur Natalis: & diverſi interrogantur, « quiſnam is ſermo, quâ de re fuiſſet »? cùm exorta ſuſpicio, quia non congruentia reſponderant: inditaque vincla. Et tormentorum aſpectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis, totius conjurationis magis gnarus, ſimul arguendi peritior, de Piſone primùm fatetur. Deinde adjicit Annæum Senecam, ſive internuntius inter eum Piſonemque fuit, ſive ut Neronis gratiam pararet, qui infenſus Senecæ, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum, cognito Natalis indicio, Scevinus quoque pari imbecillitate, an cuncta jam patefacta credens, nec ullum ſilentii emolumentum, edidit ceteros: ex quibus Lucanus, Quintianuſque, & Senecio diu abnuêre. Poſt, promiſsâ impunitate corrupti, quò tarditatem excuſarent, Lucanus Aciliam matrem ſuam, Quintianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum præcipuos, nominavere. J. C. 65.

LVII. Atque interim Nero, recordatus Voluſii Proculi indicio Epicharin [1] attineri, ratuſque muliebre corpus impar dolori, « tormentis dilacerari » jubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eò acriùs torquentium, ne a feminâ ſpernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. Sic primus quæſtionis dies contemptus. Poſtero cùm ad eoſdem cruciatus retraheretur geſtamine ſellæ (nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat) vinclo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit cervicem, & corporis pondere conniſa, tenuem jam ſpiritum expreſſit: clariore exemplo libertina mulier, in tantâ neceſſitate, alienos, ac propè ignotos protegendo, cùm ingenui, & viri, & equites Romani, ſenatoreſque, intacti tormentis, cariſſima ſuorum quiſque pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque, & Senecio, & Quintianus paſſim conſcios edere,

[1] Epicharin] De quâ dictum eſt ſuprà cap. 51.

A. U. C. 818. J. C. 65.

magis magiſque pavido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis ſemet ſepſiſſet.

LVIII. Quin & Urbem, per manipulos occupatis mœnibus, inſeſſo etiam mari & amne [1], velut in cuſtodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum, pedites equiteſque, permixti Germanis, quibus fidebat Princeps, quaſi externis. Continua hinc & juncta agmina trahi, ac foribus hortorum [2] adjacere. Atque ubi dicendam ad cauſam introiſſent, « lætatum [3] erga » conjuratos, ſi fortuitus ſermo, & ſubiti occurſus, ſi convi» vium, ſi ſpectaculum ſimul iniſſent » pro crimine accipi: cùm ſuper Neronis ac Tigellini ſævas percunctationes, Fenius quoque Rufus violenter urgeret, nondum ab indicibus nominatus, ſed quò fidem inſcitiæ pararet, atrox adversùs ſocios. Idem Subrio Flavio adſiſtenti [4], innuentique an inter ipſam cognitionem diſtringeret gladium, cædemque patraret, retinuit, infregitque impetum jam manum ad capulum referentis.

LIX. Fuere, qui, proditâ conjuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus, hortarentur Piſonem, « pergere in caſtra, aut roſtra eſcendere, ſtudiaque militum » & populi tentare: ſi conatibus ejus conſcii aggregarentur, » ſecuturos etiam integros; magnamque motæ rei famam, » quæ plurimùm in novis conſiliis valeret. Nihil adversùm » hoc Neroni proviſum: etiam fortes viros ſubitis terreri; » nedum ille ſcenicus, Tigellino ſcilicet cum pellicibus ſuis » comitante, arma contrà cieret. Multa experiendo confieri, » quæ ſegnibus ardua videantur. Fruſtra ſilentium & fidem in » tot conſciorum animis & corporibus ſperari. Cruciatu, aut

[1] Et amne] Tiberi.

[2] Foribus hortorum] Servilianorum.

[3] Lætatum] Non modò lætitia erga conjuratos, ſed etiam fortuitus ſermo, & ſubiti occurſus, ſi convivium, ſi ſpectaculum ſimul iniſſent, pro crimine accipi.

[4] Subrio Flavio adsistenti] Subrio Flavio, prætoriæ cohortis tribuno, adſiſtenti, nutuque interroganti an inter ipſam conjuratorum cognitionem diſtringeret gladium, Neronemque interficeret, idem Fenius renuit, & infregit impetum Flavii jam manum ad gladii capulum referentis.

A. U. C. 818. J. C. 65.

»præmio, cuncta pervia eſſe. Venturos, qui ipſum quoque »vincirent, poſtremò indignâ nece adficerent. Quantò lauda»biliùs periturum, dum amplectitur rempublicam, dum au»xilia libertati invocat? Miles potiùs deeſſet, & plebes deſe»reret, dum ipſe majoribus, dum poſteris, ſi vita præripe»retur, mortem approbaret?» Immotus his, & paullulum in publico verſatus, poſt domi ſecretus, animum adversùm ſuprema firmabat, donec manus militum adveniret, quos Nero tirones, aut ſtipendiis recentes, delegerat. Nam vetus miles timebatur, tamquam favore imbutus. Obiit, abruptis brachiorum venis. Teſtamentum fœdis adversùs Neronem adulationibus, amori uxoris dedit, quam degenerem, & ſolâ corporis formâ commendatam, amici matrimonio abſtulerat. Nomen mulieris, Arria Galla; priori marito, Domitius Silius: hic patientiâ, illa impudicitiâ, Piſonis infamiam propagavere.

LX. Proximam necem Plautii Laterani, conſulis deſignati, Nero adjungit, adeò properè, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium [1] permitteret. Raptus in locum ſervilibus pœnis ſepoſitum [2], manu Statii, tribuni, trucidatur, plenus conſtantis ſilentii [3], nec tribuno objiciens eamdem conſcientiam [4]. Sequitur cædes Annæi Senecæ, lætiſſima Principi, non quia conjurationis manifeſtum com-

[1] Breve mortis arbitrium] Breve quidem. Nam mori juſſis non amplius quàm *horarium ſpatium dabat*, Sueton. in Ner. XXXVII.

[2] Servilibus pœnis sepositum] Extra portam Eſquilinam, ut dictum Annal. II, 32. Locum illum Porphyrio in Horat. Epod. V, 100. appellat *regionem Aggeris*: Plutarchus in Galbâ pag. 1066, Σηςέρτιον, *ſeſtertium*; quia juxta Lipſium ſemitertio ab Urbe milliari diſtabat.

[3] Plenus constantis silentii] Generosè dictum. Sed de conſtantiſſimo viro audiendus quoque Arrianus in Epictet. I, 1. Οὐ θέλεις ἔτως ἐκτεῖναι τὸν τράχηλον, ὡς Λατερανός τις ἐν τῇ Ῥώμῃ κελευσθεὶς ὑπὸ τῦ Νέρωνος ἀποκεφαλισθῆναι; ἐκτείνας γὰρ τράχηλον, καὶ πληγεὶς, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν πληγὴν ἀσθενῆ γενομένην ἐπ' ὀλίγον συνελκυσθεὶς, πάλιν ἐξέτεινεν. Ἀλλὰ καὶ ἔτι πρότερον προσελθόντι Ἐπαφροδίτῳ τῷ ἀπελευθέρῳ τῦ Νέρωνος, καὶ ἀνακρίνοντι αὐτὸν ὑπὲρ τῦ συγκρυσθῆναι, Ἄν τι θέλω, φησὶν, ἐρῶ σῦ τῷ κυρίῳ. *Nonne vis ita porrigere jugulum, ut Romæ Lateranus, qui a Nerone capite plecti juſſus, porrecto jugulo percuſſus, & ad ictum infirmiorem pauliſper conſternatus, rurſus porrexit? Quin priùs etiam, cùm Neronis libertus, Epaphroditus, eum conveniſſet, ac de conjuratione interrogaret: Si quid, inquit, voluero, hero tuo dicam.*

[4] Eamdem conscientiam] Conſcientiam conjurationis, cujus ipſe Statius particeps.

A. U. C. 818. J. C. 65.

pererat, ſed ut ferro graſſaretur, quando venenum non proceſſerat [1]. Solus quippe Natalis, & hactenus [2] prompſit: « miſſum ſe ad ægrotum Senecam, utì viſeret, conquereretur» que, cur Piſonem aditu arceret? melius fore, ſi amicitiam » familiari congreſſu exercuiſſent ». Et reſpondiſſe Senecam: « ſermones mutuos, & crebra colloquia neutri conducere: » ceterùm ſalutem ſuam incolumitate Piſonis inniti ». Hæc ferre Granius Silvanus, tribunus prætoriæ cohortis, &, « an » dicta Natalis, ſuaque reſponſa noſceret », percunctari Senecam jubetur. Is, fortè, an prudens, ad eum diem ex Campaniâ remeaverat, quartumque apud lapidem, ſuburbano rure [3], ſubſtiterat. Illo, propinquâ veſperâ, tribunus venit, & villam globis militum ſepſit. Tum ipſi, cum Pompeiâ Paullinâ [4] uxore & amicis duobus epulanti, mandata Imperatoris edidit.

LXI. Seneca, « miſſum ad ſe Natalem, conqueſtum» que nomine Piſonis, quòd a viſendo eo prohiberetur, ſeque » rationem valetudinis & amorem quietis excuſaviſſe », reſpondit. « Cur ſalutem privati hominis incolumitati ſuæ ante» ferret, cauſam non habuiſſe: nec ſibi promptum in adula» tiones ingenium. Idque nulli magis gnarum, quàm Neroni, » qui ſæpius libertatem Senecæ, quàm ſervitium [5] expertus » eſſet ». Ubi hæc a tribuno relata ſunt, Poppæâ & Tigellino coram, quod erat ſævienti Principi intimum conſiliorum, interrogat, « an Seneca voluntariam mortem pararet »? Tum

[1] Venenum non processerat] De veneno dictum ſuprà cap. 45.

[2] Et hactenus] Solus Natalis, etiam hactenus, id eſt ad hanc uſque diem, prompſit. Fortè tamen & redundat. Abeſt a Mſ. Corb.

[3] Suburbano rure] Nomentano, de quo Seneca Ep. CIV. *In Nomentanum meum fugi.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 60.

[4] Pompeia Paullina] Paullinam fuiſſe filiam Pompeii Paulini, exercitûs Germaniæ inferioris legati, de quo ſuprà Annal. XIII, 53, exiſtimat Lipſius: ſororem verò Ryckius. Nihil certi pronuntiari poteſt. Illam adhuc adoleſcentem fuiſſe, cùm jam ſenex eſſet Seneca, patet ex Senecæ Ep. CIV.

[5] Libertatem Senecæ, quam servitium] Egregia, dignaque philoſopho. Sed ſera fuit libertas, jamque prævalidis Principis vitiis. Prius verò ſervitium, ſeu ut molliùs eloquar, prius promptiuſque in novas ferocientis animi libidines fuerat obſequium. Quâ in re quantùm ſit peccatum intelligent, qui hominum, ac maximè Principum, animos norunt.

tribunus, « nulla pavoris ſigna, nihil triſte in verbis ejus, »aut vultu, deprehenſum » confirmavit. Ergo, « regredi, & A. U. C. »indicere mortem » jubetur [1]. Tradit Fabius Ruſticus, « non 818. J. C. »eo, quo venerat, itinere reditum, ſed flexiſſe ad Fenium 65. »præfectum, & expoſitis Cæſaris juſſis, an obtemperaret », interrogaviſſe: monitumque ab eo, « ut exſequeretur »; fatali omnium ignaviâ. Nam & Silvanus inter conjuratos erat, augebatque ſcelera, in quorum ultionem conſenſerat. Voci tamen & aſpectui pepercit: intromiſitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui « neceſſitatem ultimam » denuntiaret.

LXII. Ille interritus poſcit « teſtamenti tabulas »: ac denegante centurione [2], converſus ad amicos, « quando me»ritis eorum referre gratiam prohibetur, quod unum jam, »& tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitæ ſuæ relin»quere teſtatur: cujus ſi memores eſſent bonarum artium, »famam tam conſtantis amicitiæ laturos ». Simul lacrimas eorum, modo ſermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans: « Ubi præcepta ſa»pientiæ [3]? ubi tot per annos meditata ratio adversùm im»minentia? Cui enim ignaram fuiſſe ſævitiam Neronis? Ne»que aliud ſupereſſe poſt matrem, fratremque [4] interfectos, »quàm ut educatoris præceptoriſque necem adjiceret ».

LXIII. Ubi hæc atque talia in commune diſſeruit, complectitur uxorem; & paullulum adversùs præſentem formidinem molitus [5], rogat oratque, « temperaret dolorem, ne æter»num ſuſciperet; ſed in contemplatione vitæ per virtutem »actæ, deſiderium mariti ſolatiis honeſtis toleraret ». Illa con-

[1] Indicere mortem jubetur] Sueton. in Ner. XXXV. *Senecam præceptorem ad mortem compulit: quamvis ſæpe commeatum petenti, boniſque cedenti, perſanctè juraſſet, ſuſpectum ſe fruſtra, periturumque potiùs, quàm nociturum ei.*

[2] Denegante centurione] Quàm breve tempus mori juſſis daret Nero, dictum in Notis cap. 60.

[3] Ubi præcepta sapientiæ?] Hæc & ſequentia totidem verbis recitat Scholiaſtes Juvenalis, quem laudatum vide inter Teſtimonia Veterum.

[4] Matrem fratremque] Matrem Agrippinam, fratrem Britannicum.

[5] Molitus] Malè in vulgatis libris *mollitus*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 63. Quantùm ſe mutuò diligerent Seneca & Paullina intelliges ex Senecæ Ep. CIV.

A. U. C. 818. J. C. 65.

trà, ſibi quoque deſtinatam mortem adſeverat [1], manumque percuſſoris expoſcit. Tum Seneca, gloriæ ejus non adverſus, ſimul amore, ne ſibi unicè dilectam ad injurias relinqueret: « Vitæ », inquit, « delinimenta monſtraveram tibi, tu mortis » decus mavis: non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis » exitûs conſtantia penes utroſque par, claritudinis plus in » tuo fine ». Poſt quæ, eodem ictu brachia ferro exſolvunt. Seneca, quoniam ſenile corpus, & parco victu [2] tenuatum, lenta effugia ſanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit. Sævisque cruciatibus defeſſus, ne dolore ſuo animum uxoris infringeret, atque ipſe viſendo ejus tormenta, ad impatientiam delaberetur, ſuadet « in aliud cu» biculum abſcedere ». Et noviſſimo quoque momento ſuppeditante eloquentiâ, advocatis ſcriptoribus, pleraque tradidit [3], quæ, in vulgus edita ejus verbis, invertere ſuperſedeo [4].

LXIV. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne gliſceret invidia crudelitatis, « inhiberi mortem » imperat. Hortantibus militibus, ſervi libertique obligant brachia, premunt ſanguinem, incertum an ignaræ. Nam, ut eſt vulgus ad deteriora promptum, non defuere, qui crederent, « donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ » cum marito mortis petiviſſe: deinde, oblatâ mitiore ſpe, » blandimentis vitæ evictam »: cui addidit paucos poſtea annos, laudabili in maritum memoriâ, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritûs egeſtum. Seneca interim, durante tractu [5], & lentitudine

[1] Destinatam mortem adseverat] Dio, Senecæ iniquior, & nonnumquam ſcriptor nugivendulus, hæc omnia depravat & adulterat, libro LXII. pag. 713. Nec eum pudet ſcribere Senecam uxorem ſuam interficere voluiſſe. Odi & ipſe loquaciorem Senecæ ſapientiam, ejuſque animum recti haud ſatis pervicacem; at veras ejus laudes numquam deteram.

[2] Parco victu] De quo dictum ſuprà cap. 45.

[3] Pleraque tradidit] Hæc ſuprema ſunt Senecæ verba ab advocatis ſcriptoribus excepta. Librum a Senecâ ſcriptum & emendatum comminiſcitur Dio loc. cit.

[4] Invertere supersedeo] Quæ, cùm in vulgus Senecæ verbis edita ſint, hìc invertere, & hiſtoriæ innectere ſuperſedeo. Utinam illa invertiſſet Tacitus! ſi non ipſa Senecæ verba, ſaltem ipſo digna & magnifica haberemus.

[5] Durante tractu] Stillantis ſanguinis.

A. U. C. 818. J. C. 65.

mortis, Statium Annæum, diu ſibi amicitiæ ſide & arte medicinæ probatum, orat proviſum pridem venenum [1], quo damnati publico Athenienſium judicio extinguerentur, promeret: allatumque hauſit fruſtra, frigidus jam artus [2] & cluſo corpore adversùm vim veneni. Poſtremò ſtagnum calidæ aquæ introiit, reſpergens proximos ſervorum, additâ voce, « Li»bare ſe liquorem illum JOVI LIBERATORI [3] ». Exin balneo inlatus, & vapore ejus exanimatus, ſine ullo funeris ſollemni crematur. Ita codicillis præſcripſerat, cùm etiam tum prædives & præpotens, ſupremis ſuis conſuleret.

LXV. FAMA fuit, Subrium Flavium cum centurionibus occulto conſilio, neque tamen ignorante Senecâ, deſtinaviſſe, « ut poſt occiſum operâ Piſonis Neronem, Piſo quo»que interficeretur, tradereturque imperium Senecæ, quaſi, »inſonti claritudine virtutum [4], ad ſummum faſtigium delec»to ». Quin & verba Flavii vulgabantur, « Non referre de»decori, ſi citharœdus demoveretur, & tragœdus ſuccede»ret »: quia, ut Nero citharâ, ita Piſo tragico ornatu canebat.

LXVI. CETERÙM militaris quoque conſpiratio non ultrà fefellit, accenſis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eumdem conſcium, & inquiſitorem, non tolerabant. Ergo inſtanti, minitantique renidens Scevinus, « neminem » ait « plura ſcire quàm ipſum ». Hortaturque ultro, « red»deret tam bono Principi vicem ». Non vox adversùm ea Fenio, non ſilentium; ſed verba ſua præpediens, & pavoris manifeſtus, ceteriſque, ac maximè Cervario Proculo, equite, ad convincendum eum conniſis, juſſu Imperatoris a Caſſio

[1] PROVISUM PRIDEM VENENUM] Cicutam, de quâ Plinius XXV, 13. *Cicuta quoque venenum eſt publicâ Athenienſium pœnâ inviſa.* Et ipſe Seneca Ep. XIII. *Cicuta magnum Socratem ſecit.*

[2] FRIGIDUS JAM ARTUS] Sic Virgilius Æneid. VIII, 425.

Nudus membra Pyracmon.

[3] JOVI LIBERATORI] Ut ultima fuit Socratis morientis vox, τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα· ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσητε. *Æſculapio debemus gallum: perſolvite; ne id negligatis*, Plato, in Phædon. Tom. I. pag. 118. Ita quoque Seneca *Jovi liberatori* libavit. Plus ſalis in Socrate: in utroque haud ſatis dignitatis.

[4] INSONTI CLARITUDINE VIRTUTUM] Ob inſontem virtutum claritudinem ad ſummum faſtigium delecto.

A. U. C. 818. J. C. 65.

milite, qui ob inſigne corporis robur adſtabat, corripitur, vinciturque.

LXVII. Mox eorumdem indicio Subrius Flavius, tribunus, pervertitur, primò « diſſimilitudinem morum » ad defenſionem trahens, « neque ſe armatum cum inermibus & » effeminatis tantum facinus conſociaturum ». Dein poſtquam urgebatur, confeſſionis gloriam amplexus, interrogatuſque a Nerone, quibus cauſis ad oblivionem ſacramenti [1] proceſſiſſet: « Oderam te [2] » inquit, « nec quiſquam tibi fi» delior militum fuit, dum amari meruiſti: odiſſe cœpi, poſt» quam parricida matris & uxoris, & auriga, & hiſtrio, & » incendiarius exſtitiſti ». Ipſa retuli verba, quia non ut Senecæ, vulgata erant: nec minùs noſci decebat militaris viri ſenſus incomptos & validos. Nihil in illâ conjuratione gravius auribus Neronis accidiſſe conſtitit, qui ut faciendis ſceleribus promptus, ita audiendi, quæ faceret, inſolens erat. Pœna Flavii Vejano Nigro, tribuno, mandatur. Is proximo in agro ſcrobem effodi juſſit [3], quam Flavius ut humilem & anguſtam increpans, circumſtantibus militibus, « Ne hoc » quidem », inquit, « ex diſciplinâ »: admonituſque fortiter protendere cervicem: « Utinam », ait, « tu tam fortiter ferias ». & ille multùm tremens, cùm vix duobus ictibus, caput amputaviſſet, ſævitiam apud Neronem jactavit, « ſeſquiplagâ » interfectum a ſe » dicendo.

LXVIII. Proximum conſtantiæ exemplum Sulpicius Aſper, centurio, præbuit: percunctanti Neroni, « cur in » cædem ſuam conſpiraviſſet »? breviter reſpondens: « Non » aliter tot flagitiis ejus ſubveniri potuiſſe [4] ». Tum juſſam pœnam ſubiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis ſuppliciis

[1] Ad oblivionem sacramenti] Jurabant ſcilicet milites ſalutem Principis ſibi rebus omnibus antiquiorem fore. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 67.

[2] Oderam te] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XV, 67.

[3] Scrobem effodi jussit] Scrobes plectendis ſontibus effoſſas vidimus ſuprà Annal. I, 61.

[4] Subveniri potuisse] Eadem verba recitat Dio, LXII. pag. 713. Huc quoque ſpectat Suetonius, in Ner. XXXVI. Nonnulli etiam crimen imputarunt, *tamquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus.*

degeneravere.

A. U. C. 818. J. C. 65.

degeneravere. At non Fenio Rufo par animus, ſed lamentationes ſuas etiam in teſtamentum contulit. Opperiebatur Nero, ut Veſtinus quoque conſul in crimen traheretur, violentum & infenſum ratus: ſed ex conjuratis conſilia cum Veſtino non miſcuerant, quidam, vetuſtis in eum ſimultatibus, plures, quia præcipitem & inſociabilem credebant. Ceterùm Neronis odium adversùs Veſtinum ex intimâ ſodalitate cœperat, dum hic ignaviam Principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam amici metuit, ſæpe aſperis facetiis inluſus; quæ ubi multùm ex vero traxere, acrem ſuî memoriam relinquunt [1]. Acceſſerat repens cauſa [2], quòd Veſtinus Statiliam Meſſalinam [3] matrimonio ſibi junxerat, haud neſcius inter adulteros ejus & Cæſarem eſſe.

LXIX. Igitur non crimine, non accuſatore exſiſtente, quia ſpeciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis converſus, Gerelanum, tribunum, cum cohorte militum immittit: jubetque « prævenire conatus conſulis, occupare velut » arcem ejus [4], opprimere delectam juventutem », quia Veſtinus imminentes foro ædes, decoraque ſervitia, & pari ætate habebat. Cuncta eo die munia conſulis impleverat, conviviumque celebrabat, nihil metuens, an diſſimulando metu, cùm ingreſſi milites « vocari eum a tribuno » dixere. Ille, nihil demoratus, exſurgit: & omnia ſimul properantur; clauditur cubiculo; præſto eſt medicus; abſcinduntur venæ; vigens adhuc balneo infertur; calidâ aquâ merſatur, nullâ editâ voce, quâ ſemet miſeraretur. Circumdati interim cuſtodiâ, qui ſimul diſcubuerant, nec, niſi provectâ nocte, omiſſi ſunt, poſtquam pavorem eorum, ex menſâ exitium opperientium, & imaginatus, & inridens Nero, « ſatis ſupplicii » luiſſe », ait « pro epulis conſularibus [5] ».

[1] Acrem sui memoriam relinquunt] Quàm longa ſit apud præpotentes acerbarum facetiarum memoria, jam dictum ſuprà Annal. V, 2.

[2] Repens causa] Id eſt *recens*.

[3] Statiliam Messalinam] Statilia Meſſalina, nunc pellex, poſtea uxor Neronis. Vide Stemma Cæſarum, num. 39.

[4] Arcem ejus] Sic datum crimini P. Valerio conſuli, *quia ædificabat in ſummâ Veliâ: ibi alto atque munito loco arcem inexpugnabilem fore*. Livius, II, 7.

[5] Pro epulis consularibus] *Ut pic-*

A. U. C. 818. J. C. 65.

LXX. Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is, profluente ſanguine, ubi frigeſcere pedes manuſque, & paullatim ab extremis cedere ſpiritum, fervido adhuc & compote mentis pectore, intelligit, recordatus carmen a ſe compoſitum, quo vulneratum militem [1] per ejuſmodi mortis imaginem obiiſſe tradiderat, verſus ipſos retulit; eaque illi ſuprema vox fuit. Senecio poſthac & Quintianus, & Scevinus, non ex priore vitæ mollitiâ, mox reliqui conjuratorum periere, nullo facto dictove memorando.

LXXI. Sed compleri interim Urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum [2], genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonii Natalis & Cervarii Proculi feſtinata indicia impunitate remuneratur: Milichus, præmiis ditatus, *Conſervatoris* ſibi nomen, Græco ejus rei vocabulo [3], adſumpſit. E tribunis Granius Silvanus, quamvis abſolutus, ſuâ manu cecidit: Statius Proximus veniam, quam ab Imperatore acceperat, vanitate exitûs corrupit [4]. Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius; « quaſi Principem non quidem odiſſent, » ſed tamen exiſtimarentur ». Novio Priſco per amicitiam Senecæ [5], & Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis,

tura, *poeſis*, ait vates. Bene quidem. Sed certè & picturâ & poeſi melior hæc Veſtini cædis narratio. Nec quidquam perfectius numeriſque omnibus abſolutius legere memini.

[1] Vulneratum Militem] Lycidam, de quo Lucanus, III, 635.

Ferrea dum puppi rapidos manus inſerit uncos,
Affixit Lycidam: merſus foret ille profundo,
Sed prohibent ſocii, ſuſpenſaque crura retentant.
Scinditur avulſus: nec ſicut vulnere, ſanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Diſcurſuſque animæ diverſa in membra meantis
Interceptus aquis, nullius vita perempti
Eſt tantâ dimiſſa viâ: pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus.
At tumidus quà pulmo jacet, quâ viſcera fervent,
Hæſerunt ibi fata diu: luctataque multùm
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.

Vide adhuc Notas & Emendationes ad Annal. XV, 70.

[2] Ornare lauru domum] Domum auream Neronis. Laurus a Plinio, XV, 30. dicitur *gratiſſima domibus*, *janitrix Cæſarum.*

[3] Græco ejus rei vocabulo] Proinde cognominatus eſt Milichus *Soter.* Græcè ΣΩΤΗΡ.

[4] Vanitate exitus corrupit.] Veniam, quam ab Imperatore acceperat, voluntariæ mortis vanitate irritam fecit.

[5] Per amicitiam Senecæ] Fortè *propter amicitiam Senecæ*, ut vult Cl. Erneſtus.

quàm convictis, data exſilia. Priſcum Antonia Flaccilla conjunx comitata eſt: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primùm & integris opibus, pòſt ademptis: quæ utraque gloriam ejus auxere. Pellitur & Rufius Criſpinus occaſione conjurationis, ſed Neroni inviſus, quòd Poppæam quondam matrimonio tenuerat [1]. Verginium [2] & Rufum [3] claritudo nominis expulit. Nam Verginius ſtudia juvenum eloquentiâ, Muſonius præceptis ſapientiæ fovebat. Cluvidieno Quieto, Julio Agrippæ, Blitio Catulino, Petronio Priſco, Julio Altino, velut in agmen & numerum, Ægæi maris [4] inſulæ permittuntur. At Cadicia, uxor Scevini, & Cæſonius Maximus [5] Italiâ prohibentur, reos fuiſſe ſe, tantùm pœnâ experti. Acilia, mater Annæi Lucani, ſine abſolutione, ſine ſupplicio, diſſimulata.

A. U. C. 818. J. C. 65.

LXXII. Quibus perpetratis Nero, & concione militum habitâ, bina nummûm millia [6] viritim manipularibus diviſit; addiditque ſine pretio frumentum, quo antè ex modo annonæ utebantur [7]. Tum, quaſi geſta bello expoſiturus, vocat ſenatum, & triumphale decus Petronio Turpiliano, conſulari [8], Cocceio Nervæ [9],

[1] Matrimonio tenuerat] Ut dictum ſuprà Annal. XIII, 45.

[2] Verginium] Rethorem, de quo, ut videtur, Quinctilianus, Inſtitut. Orat. III, 1. De oratoriâ arte ſcripſit *ætatis noſtræ Virginius*: in Mſ. Almelov. *Verginius*. Alius omnino Verginius Rufus, tum ſuperioris Germaniæ legatus, de quo plura dicentur infrà.

[3] Rufum] Rufum Muſonium, philoſophum, de quo ſuprà Annal. XIV, 59. Eum in Gyarum, inſulam, expulſum fuiſſe tradit Philoſtratus, Vit. Apollon. VII, 16. Vide & Dionem, LXII. pag. 714. De Gyaro dictum eſt Annal. III, 68.

[4] Ægæi maris] Nunc *l'Archipel*.

[5] Cæsonius Maximus] ille eſt

Facundi Senecæ potens amicus,

de quo Martialis, VII, 44. Ipſeque Seneca, Ep. LXXXVII, *Cum pauciſſimis ſervis, quos unum capere vehiculum potuit, ſine ullis rebus, niſi quæ corpore noſtro continebantur, ego & Maximus meus biduum jam beatiſſimum agimus.* Exſulem Maximum comitatus eſt quidam Ovidius, ad quem ſcripſit Martialis, VII, 43.

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæſonius hic eſt,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: ſed tu damnare Neronem
Auſus es, & profugi, non tua fata ſequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exſulis iſti:
Qui modò nolueras conſulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas eſt cineri me ſupereſſe meo:
Audiet hæc præſens, venturaque turba, fuiſſe
Illi te, Senecæ quod fuit ille ſuo.

[6] Bina nummûm millia] Monetæ Gallicæ libras 389.

[7] Ex modo annonæ utebantur] Frumentum, quod antè juxta modum annonæ emebant, gratuitum dedit. Unde Suetonius, in Ner. X, Nero conſtituit *Prætorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum.*

[8] Consulari] Conſulem vidimus ſuprà Annal. XIV, 29.

[9] Cocceio Nervæ] Poſtea Imperatori.

A. U. C. 818. J. C. 65. prætori deſignato, Tigellino, præfecto prætorii, tribuit; Tigellinum & Nervam ita extollens, ut, ſuper triumphales in foro imagines [1], apud palatium quoque effigies eorum ſiſteret: conſularia inſignia Nymphidio [2], de quo, quia nunc primùm oblatus eſt, pauca repetam: nam & ipſe pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertinâ ortus, quæ corpus decorum inter ſervos libertoſque Principum vulgaverat, ex C. Cæſare [3] ſe genitum ferebat, quoniam, forte quâdam habitu procerus, & torvo vultu erat [4]: ſive C. Cæſar ſcortorum quoque cupiens, etiam matri ejus inluſit.

LXXIII. Sed Nero, vocato ſenatu, oratione inter patres habitâ, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confeſſioneſque damnatorum adjunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, « tamquam viros inſontes, ob in» vidiam, aut metum, exſtinxiſſet ». Ceterum cœptam, adultamque, & revictam, conjurationem neque tunc dubitavere, quibus verum noſcendi cura erat, & fatentur, qui poſt interitum Neronis in Urbem regreſſi ſunt. At in ſenatu cunctis, ut cuique plurimum mæroris [5], in adulationem demiſſis, Junium Gallionem [6], Senecæ fratris morte pavidum, & pro ſuâ incolumitate ſupplicem, increpuit Salienus Clemens, « hoſtem & parricidam » vocans: donec conſenſu patrum deterritus eſt, « ne publicis malis abuti ad occaſionem privati » odii videretur, neu compoſita [7], & obliterata, manſuetudine

[1] Triumphales in foro imagines] Laureatas imagines, quæ in foro triumphalibus viris ponebantur.

[2] Nymphidio] De quo plura infrà Hiſt. I, 5.

[3] Ex C. Cæsare] Caio Caligulâ.

[4] Torvo vultu erat] De Caligulæ proceritate & torvitate vide Suetonium, in Caio, L. Plinium, XI, 37. ſect. 54. Nos quoque diximus in Supplemento Annal. VIII, 80.

[5] Ut cuique plurimum mæroris] Quò quiſque plus mæroris habebat ob parentum, affiniumve, cædem, eò erat in adulationem demiſſior, ut adulatione mærorem tegeret.

[6] Junium Gallionem] Duo memorantur fratres Senecæ, Annæus Mela, pater Lucani poetæ, & M. Annæus Novatus, qui, a Gallione poſtea adoptatus, Lucius Junius Gallio dictus eſt. Ille ipſe eſt Gallio, qui D. Paulum, a Judæis ad ſuum tribunal adductum, imperitante Claudio, dimiſit, Act. Apoſt. XVIII, 12. Inde, ut mihi videtur, commentitiæ Pauli ad Senecam, Senecæ ad Paulum epiſtolæ. Poſtea Gallio & Mela interfecti ſunt, teſte Dione, LXII. pag. 713. De Melâ dicetur infrà Annal. XVI, 17.

[7] Neu composita] Neu mala, compoſita & obliterata manſuetudine Principis, ad novam ſævitiam retraheret.

» Principis, novam ad ſævitiam retraheret ».

A. U. C. 818. J. C. 65.

LXXIV. Tum decreta « dona, & grates deis »; propriuſque honos Soli, cui eſt vetus ædes apud Circum [1], in quo facinus parabatur, qui occulta conjurationis, numine retexiſſet: utque Circenſium Cerealium [2] ludicrum pluribus equorum curſibus celebraretur: menſis quoque Aprilis *Neronis* cognomentum acciperet [3]: templum Saluti exſtrueretur, eò loci [4], ex quo Scevinus ferrum prompſerat. Ipſe eum pugionem apud Capitolium ſacravit, inſcripſitque IOVI VINDICI. In præſens haud animadverſum; poſt arma Julii Vindicis [5] ad auſpicium & præſagium futuræ ultionis trahebatur. Reperio in commentariis ſenatûs, Cerialem Anicium, conſulem deſignatum, pro ſententiâ dixiſſe, « ut templum divo Nero» ni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur ». Quod quidem ille decernebat tamquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem deûm merito: quod ad omina ſolùm ſui exitûs verteretur. Nam deûm honor Principi non antè habetur [6], quàm agere inter homines deſierit.

[1] Apud Circum] Apud Circum maximum.

[2] Circensium Cerealium] Vide ſuprà cap. 53.

[3] Neronis cognomentum acciperet] Dictuſque eſt *Neroneus*. Vide infrà Annal. XVI, 12.

[4] Eo loci] De hoc loco dictum ſuprà cap. 53.

[5] Arma julii Vindicis] Qui rebellione ſuâ Neronem ad mortem compulit. Vide Supplementum Annal. XVI, 66 & ſeqq.

[6] Non ante habetur] *Falſum id in Auguſto liquet ex Horatio & Manilio*, inquit Illuſtr. Huetius. At vir doctiſſimus non attendit Auguſtum quidem poetis dictum eſſe deum, & in provinciis aras & ſacra habuiſſe: verùm in Urbe honores deûm nondum habitos fuiſſe Principi, antequam agere inter homines deſiiſſet. Neronem autem in provinciis appellatum fuiſſe deum teſtatur nummus ex ære minimo ab Harduino laudatus, *Selecta opera*, pag. 724. ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ, *Nero Auguſtus deus*, capite laureato. Ex averſâ parte ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, *Julius Andronicus beneficus in Laodicenſes.*

BREVIARIUM

LIBRI DECIMI SEXTI.

I. *NERONI inludit fortuna per Ceſellium Baſſum, qui theſauros in Africâ ſe reperiſſe temere jactitat.* III. *Gliſcit luxuria ſpe inani.* IV. *Luſtrale certamen in quo cantat Nero, magnâ auditorum moleſtiâ, & Veſpaſiani periculo.* VI. *Poppæa mortem obit: corpus ejus diſſertum odoribus conditur: ductæ tamen publicæ exſequiæ.* VII. *C. Caſſius, L. Silanus in exſilium pulſi. Lepida Principis judicio permiſſa.* X. *L. Vetus, Sextia & Pollutia necem ſubiere.* XII. *Mutata menſium nomina.* XIII. *Tempeſtates & morbi.* XIV. *Anteius & Oſtorius ad mortem aguntur.* XVII. *Eodem agmine Annæus Mela, Cerialis Anicius, Rufius Criſpinus, C. Petronius cecidere.* XX. *Siliæ exſilium.* XXI. *Nerone virtutis ipſius exſcindendæ cupido, gravior criminationum moles in Thraſeam Pætum & Baream Soranum ingruit. Servilia, Sorani filia, patris diſcrimini connectitur. Interrita eorum conſtantia: iis datur mortis arbitrium. Accuſatoribus Eprio, Coſſutiano, & Oſtorio Sabino*

tribuuntur præmia. Cetera temporum iniquitate periere. Vide Supplementum libri XVI. Annalium.

Geſta autem hæc,

A. U. C. J. C.

DCCCXIX. *66.* *Coſſ.* { C. SUETONIO Paullino.
C. LUCIO Teleſino.

C. CORNELII

C. CORNELII *TACITI* ANNALES.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

INLUSIT dehinc Neroni fortuna, per vanitatem ipſius, & promiſſa Ceſellii Baſſi; qui origine Pœnus, mente turbidâ, nocturnæ quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retraxit. Vectuſque Romam, Principis aditum emercatus, expromit « repertum in agro ſuo ſpecum altitudine immensâ, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi » & antiquo pondere: lateres [1] quippe prægraves jacere, adſtantibus parte aliâ columnis [2]: quæ per tantum ævi occulta, » augendis præſentibus bonis [3]. Ceterùm, ut conjectura demonſtraret, Didonem Phœniſſam, Tyro [4] profugam, conditâ Carthagine, illas opes abdidiſſe, ne novus populus » nimiâ pecuniâ laſciviret: aut reges Numidarum [5], & aliàs » infenſi, cupidine auri ad bellum accenderentur ».

A. U. C. 818. J. C. 65.

[1] LATERES] Lateres aureos Gallicè dicimus *des lingots d'or.*

[2] COLUMNIS] Aureis.

[3] PRÆSENTIBUS BONIS] Præſentibus Neronis imperii bonis.

[4] TYRO] De quâ egregiè Plinius V, 19. *Tyrus quondam inſula, præalto mari ſeptingentis paſſibus diviſa, nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens, olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Uticâ, & illâ Romani imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ, Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpurâ conſtat.* Hodie oppidulum, *Sour.*

[5] REGES NUMIDARUM] Numidia, nunc *la partie orientale du Royaume d'Alger.*

A. U. C. 818. J. C. 65.

II. Igitur Nero, non auctoris, non ipſius negotii fide ſatis ſpectatâ, nec miſſis [1] per quos noſceret, an vera adferrentur, auget ultro rumorem; mittitque, qui velut partam prædam aveherent. Dantur triremes & delectum navigium [2], juvandæ feſtinationi: nec aliud per illos dies, populus credulitate, prudentes diversâ famâ, tulere. Ac fortè quinquennale ludicrum ſecundo luſtro [3] celebrabatur: a vatibus oratoribuſque [4] præcipua materia in laudem Principis adſumpta eſt: « Non enim tantùm ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni, ſed novâ ubertate provenire terram [5], & » obvias opes deferre deos »: quæque alia ſummâ facundiâ, nec minore adulatione ſervilia fingebant, ſecuri de facilitate credentis.

III. Gliscebat interim luxuria ſpe inani, conſumebanturque veteres opes [6], quaſi oblatis, quas multos per annos prodigeret. Quin & inde jam largiebatur: & divitiarum exſpectatio, inter cauſas paupertatis publicæ erat. Nam Baſſus, effoſſo agro ſuo, látiſque circùm arvis, dum hunc, vel illum locum promiſſi ſpecùs adſeverat, ſequunturque non modo

[1] Nec missis] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 2.

[2] Delectum navigium] Delecti ſunt nautæ, ut rectè explicat Illuſtr. Huetius. Mallet Boxhornius, *delectum remigium.*

[3] Secundo lustro] Quinquennale illud ludicrum inſtituerat Nero anno U. C. dcccxiii, ut dictum eſt ſuprà Annal. XIV, 20. Quinque annis ſolidis vertentibus, inſtauratum fuit. Quinquennale ergo, non verò ſexennale, ut perperam contendit Scaliger, de Emendat. Tempor. V. pag. 440, dici debuit. Hæc accuratè diſputata vide apud Petavium, de Doctrin. Tempor. XI, 15.

[4] A vatibus oratoribusque] Vide Notas & Emendat. ad Annal. XVI, 2.

[5] Provenire terram] Hac enim fortunatâ Neronis ætate non tantùm ſolitas fruges, nec aurum metallis confuſum gigni, ſed terram novâ ubertate in aureos proventus efflorescere, deoſque ipſos obvias opes deferre. Ita exaggerabant divitias ex Africâ afferendas. *Metallis*, ne de aliis metallis accipias, ſed de fodinis, quibus confuſum eſt aurum. Plinius *metalla* hac ſignificatione paſſim uſurpat.

[6] Veteres opes] Hæc illuſtrat Suetonius in Ner. XXXI, Nero *inchoabat piſcinam a Miſeno ad Avernum lacum, contectam, porticibus concluſam, quo quidquid totis Baiis calidarum eſſet, converteretur. Foſſam ab Averno Oſtiam uſque, ut navibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per centum ſexaginta millia: latitudinis, quâ contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratiâ, quod ubique eſſet cuſtodiæ in Italiam deportari, etiam ſcelere convictos, non niſi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem ſuper fiduciam imperii, etiam ſpe quadam repentinâ immenſarum & reconditarum opum impulſus eſt: ex indicio equitis Romani pro comperto pollicentis, theſauros antiquiſſimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro ſecum extuliſſet, eſſe in Africâ vaſtiſſimis ſpecubus abditos, ac poſſe erui parvulâ molientium operâ.*

milites, ſed populus agreſtium efficiendo operi adſumptus, tandem poſitâ vecordiâ, « non falſa antè ſomnia ſua, ſeque » tunc primùm eluſum » admirans, pudorem & metum morte voluntariâ effugit. Quidam « vinctum, ac mox dimiſſum », tradidere, « ademptis bonis in locum regiæ gazæ ».

A. U. C. 818. J. C. 65.

IV. INTEREA ſenatus, propinquo jam luſtrali certamine [1], ut dedecus averteret [2], offert Imperatori « victoriam cantûs », adjicit » facundiæ coronam », quâ ludicra deformitas velaretur. Sed Nero, « nihil ambitu, nec poteſtate ſenatûs opus » eſſe » dictitans, « ſe æquum adversùs æmulos, & religione » judicum meritam laudem adſecuturum », primò carmen in ſcenâ recitat: mox flagitante vulgo [3], « ut omnia ſtudia ſua » publicaret », (hæc enim verba dixere) ingreditur theatrum [4], cunctis citharæ legibus obtemperans [5]: ne feſſus reſideret, ne ſudorem, niſi eâ, quam indutui gerebat, veſte detergeret: ut nulla oris, aut narium excrementa viſerentur. Poſtremò

[1] LUSTRALI CERTAMINE] Certamine quinquennali, quod ſecundo luſtro celebratum eſt. At dum hæc ſolitâ ſuâ brevitate exſequitur Tacitus, multa omittit, quæ ex Suetonio tradere haud erit inutile. *Cùm magni æſtimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præſtitutam diem revocavit. Flagitantibuſque cunctis cœleſtem vocem, reſpondit quidem, in hortis ſe copiam volentibus facturum: ſed adjuvante vulgi preces etiam ſtatione militum, quæ tunc excubabat, repræſentaturum ſe pollicitus eſt libens: ac ſine morâ nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum juſſit adſcribi, ſorticulâque in urnam cum ceteris demiſſâ, intravit ordine ſuo, ſimulque præfecti prætorii citharam ſuſtinentes, pòſt tribuni militum, juxtàque amicorum intimi. Utque conſtitit peracto principio, Nioben ſe cantaturum per Cluvium Rufum conſularem pronuntiavit, & in horam fere decimam perſeveravit: coronamque eam & reliquam certaminis partem in annum ſequentem diſtulit, ut ſæpius canendi occaſio eſſet.* Sueton. in Ner. XXI.

[2] UT DEDECUS AVERTERET] Ut dedecus cantaturi Principis averteret.

[3] FLAGITANTE VULGO] Quamvis id cuperet Nero, & flagitarent omnes, pudor tamen retinebat: eum vicit Vitellius, certaminis præſes, & poſtea Imperator, ut accipimus ex Suetonio in Vitell. IV. *Caio per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium familiaris. Sed aliquantò Neroni acceptior, cùm propter eadem hæc, tum peculiari merito: quòd præſidens certamini Neroneo, cupientem inter citharœdos contendere, nec, quamvis flagitantibus cunctis, promittere audentem, ideoque egreſſum theatro revocaverat, quaſi perſeverantis populi legatione ſuſceptâ, exorandumque præbuerat.*

[4] INGREDITUR THEATRUM] In ſcenâ, id eſt in proſcenio, ſeu pulpito, ſcenicorum more, carmen recitaverat Nero: mox egreſſum revocante Vitellio, theatrum, ſeu orcheſtram, conſcendit, in quâ thymelici, hoc eſt citharœdi, tibicines, & ſymphoniaci, actiones ſuas præſtabant. De his theatri partibus plura vide apud Vitruvium, V, 6 & ſeqq.

[5] OBTEMPERANS] Sueton. in Ner. XXIV. *In certando verò ita legi obediebat, ut numquam excreare auſus, ſudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in tragico quodam actu, cùm elapſum baculum citò reſumpſiſſet, pavidus & metuens ne ob delictum certamine ſummoveretur, non aliter confirmatus eſt, quàm adjurante hypocritâ, non animadverſum id inter exſultationes ſucclamationeſque populi.*

A. U. C. 818. J. C. 65.

flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, ſententias judicum [1] opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem Urbis, hiſtrionum quoque geſtus juvare ſolita, perſonabat certis modis, plauſuque compoſito. Crederes lætari; ac fortaſſe lætabantur, per injuriam publici flagitii [2].

V. Sed qui remotis e municipiis, ſeveramque adhuc [3], & antiqui moris retinentes Italiam, quique per longas provincias [4], laſciviæ inexperti, officio legationum [5], aut privatâ utilitate advenerant, neque aſpectum illum tolerare, neque labori inhoneſto ſufficere: cùm manibus neſciis [6] fatiſcerent, turbarent gnaros, ac ſæpe a militibus verberarentur, qui per cuneos ſtabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut ſilentio ſegni præteriret. Conſtitit pleroſque equitum, dum per anguſtias aditûs & ingruentem multitudinem enituntur, obtritos [7]: & alios, dum diem noctemque ſedilibus continuant, morbo exitiabili correptos: quippe gravior inerat metus, ſi ſpectaculo defuiſſent, multis palam, & pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem triſtiamque coeuntium ſcrutarentur. Unde tenuioribus ſtatim inrogata ſupplicia: adversùs inluſtres diſſimulatum ad præſens, & mox redditum odium. Ferebantque

[1] Sententias judicum] Sueton. in Ner. XXIII. *Quàm autem trepidè anxiéque certaverit, quantâ adverſariorum æmulatione, quo metu judicum, vix credi poteſt. Adverſarios quaſi planè conditionis ejuſdem obſervare, captare, infamare ſecretò, nonnumquam ex occurſu maledictis inceſſere: ac, ſi qui arte præcellerent, corrumpere etiam ſolebat. Judices autem priùs, quàm inciperet, reverentiſſimè alloquebatur, omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe fortunæ: illos ut ſapientes & doctos viros fortuita debere excludere.* De hac infamiâ plura vide apud Dionem, LXIII. pag. 719. Principem enim non pudebat inter Cæſares minimum eſſe, ut inter citharœdos major haberetur, *ταῦτα μέντοι πάντα ποιοῦντα, ἵνα τὸν τῶν κιθαρῳδῶν ἀγῶνα νικήσας, ἡττηθῇ τὸν τῶν Καισάρων.*

[2] Per injuriam publici flagitii] Optimè explicat Illuſtr. Huetius, *ac fortaſſe lætabantur, etſi ſibi injuria per publicum hoc flagitium fieret, & magnum ſibi dedecus conſciſceretur.* Fruſtra Acidalius, Boxhornius, Erneſtus & alii emendant, *per incuriam.*

[3] Severamque adhuc] Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 5.

[4] Per longas provincias] Longas, id eſt *longinquas.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 5.

[5] Officio legationum] *Præcipitur edicto divi Veſpaſiani omnibus civitatibus ne plures quàm ternos legatos mittant*, Digeſt. Libr. L. Tit. 7. de legationibus. leg. 4. ex Marciano.

[6] Manibus nesciis] Plauſûs compoſiti neſciis.

[7] Obtritos] Sueton. in Ner. XXIII. *Cantante eo*, Nerone, *ne neceſſariâ quidem causâ excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in ſpectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique, clauſis oppidorum portis, aut furtim exſiluiſſe de muro, aut, morte ſimulatâ, funere elati.* Nulla enim voluptas, ubi neceſſitas.

A. U. C. 818. J. C. 65.

« Veſpaſianum [1], tamquam ſomno conniveret, a Phœbo liberto [2] » increpitum, ægreque meliorum precibus obtectum : mox » imminentem perniciem majore fato effugiſſe ».

VI. Post finem ludicri, Poppæa mortem obiit [3], fortuitâ mariti iracundiâ, a quo gravida ictu calcis adflicta eſt. Neque enim venenum crediderim, quamvis quidam ſcriptores tradant, odio magis, quàm ex fide. Quippe liberorum cupiens, & amori uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos [4]; ſed regum externorum conſuetudine, differtum odoribus [5] conditur, tumuloque Juliorum [6] infertur. Ductæ tamen publicæ exſequiæ, laudavitque ipſe apud roſtra « for» mam ejus, & quòd divinæ infantis parens fuiſſet », aliaque fortunæ munera pro virtutibus.

VII. Mortem Poppææ, ut palam triſtem, ita recordantibus lætam [7], ob impudicitiam ejus ſævitiamque, novâ inſuper invidiâ Nero complevit, prohibendo C. Caſſium [8]

[1] Vespasianum] Poſtea Imperatorem.

[2] Phœbo liberto] *Ex officio admiſſionis* fuiſſe Phœbum ait Suetonius in Veſpaſ. XIV. In Inſcriptione vetere apud Gruterum, pag. dcx, num. 6.

D M
TI. CLAVDIO. AVG. L.
PHOEBO
CLAVDIA. PANNYCHIS
FECIT
CONIVGI. BENE MERENTI.

[3] Mortem obiit] Sueton. in Ner. XXXV. *Poppæam duodecimo die poſt divortium Octaviæ in matrimonium acceptam dilexit unicè. Et tamen ipſam quoque ictu calcis occidit : quòd ſe ex aurigatione ſerò reverſum, gravida & ægra conviciis inceſſerat. Ex hac filiam tulit Claudiam Auguſtam, amiſitque admodum infantem.* De portentosâ Poppææ luxuriâ vide Dionem, LXII. pag. 714.

[4] Ut Romanus mos] Sed haud vetus. Plin. VII, 54. *Ipſum cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti : terrâ condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſervavere ritus. Sicut in Corneliâ nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.*

[5] Differtum odoribus conditur] Præter odores, quibus differtum eſt Poppææ corpus, vis alia infinita odorum die publicarum exſequiarum concremata eſt, teſte Plinio XII, 18. *Periti rerum aſſeverant* Arabiam *non ferre* tantùm thuris & myrrhæ *annuo fetu, quantùm Nero Princeps noviſſimo Poppææ ſuæ die concremaverit.* Quantùm verò ferret Arabia æſtimare poſſumus ex ipſo Plinio cap. 17. Herodotum enim ſecutus, docet *ſingula millia talentûm thuris annua penſitaſſe Arabas regibus Perſarum.*

[6] Tumuloque Juliorum] Romæne, an Bovillis, ubi ſacrarium gentis Juliæ & Juliorum monumenta! De Bovillis dictum ſupra Annal. XV, 23. Vide quoque eruditum Corradinum, *Vetus Latium.* Tom. II. pag. 187.

[7] Recordantibus lætam] Mors Poppææ palam triſtis, at ob impudicitiam & ſævitiam læta recordantibus hæc portenta, de quibus dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 45 & 46. XV, 61. Mortem illam novâ invidiâ, novis ſceleribus complevit Nero.

[8] C. Cassium] C. Caſſium Longinum,

A. U. C. 818. J. C. 65.

oſſicio exſequiarum : quod primum indicium mali, neque in longum dilatum eſt. Sed Silanus [1] additur : nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis, & gravitate morum, Silanus claritudine generis, & modeſtâ juventâ, præcellebant. Igitur miſsâ ad ſenatum oratione, « removendos a republicâ » utroſque » diſſeruit. Objectavitque Caſſio, « quod inter imagines majorum, etiam C. Caſſii [2] effigiem coluiſſet, ita inſcriptam : DUCI PARTIUM. Quippe ſemina belli civilis, & » defectionem a domo Cæſarum quæſitam. Ac ne memoriâ » tantùm inſenſi nominis [3] ad diſcordias uteretur, adſumpſiſſe » L. Silanum, juvenem genere nobilem, animo præruptum, » quem novis rebus oſtentaret ».

VIII. Ipsum dehinc Silanum increpuit iiſdem, quibus patruum ejus Torquatum [4], « tamquam diſponeret jam imperii curas, præficeretque rationibus, & libellis, & epiſtolis » libertos »; inania ſimul & falſa : nam Silanus intentior metu, & exitio patrui ad præcavendum exterritus erat. Inducit poſthac vocabulo indicum, qui in Lepidam [5], Caſſii uxorem, Silani amitam, « inceſtum cum fratris filio [6] & diros ſacrorum [7] » ritus » confingerent. Trahebantur, ut conſcii, Vulcatius Tullinus [8], ac Marcellus Cornelius [9], ſenatores, & Calpur-

legum peritiâ & opibus celeberrimum : de quo Suetonius in Ner. XXXVII, objectum *Caſſio Longino, juriſconſulto, ac luminibus orbato, quòd in vetere gentili ſtemmate Caii Caſſii percuſſòris Cæſaris imagines reſtituiſſet.* Juvenalis quoque X, 15.

> *Temporibus diris igitur, juſſuque Neronis,*
> *Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos*
> *Clauſit, & egregias Lateranorum obſidet ædes*
> *Tota cohors.*

Vide Stemma Cæſarum, num. 65.

[1] Silanus] Lucius Silanus Torquatus, atnepos Auguſti, & ſanguis ultimus. Vide Stemma Cæſarum, num. 59. Ejus ſtatuam in foro a Titinio Capitone poſtea poſitam memorat Plinius, I. Ep. 17. *Redditus eſt L. Silano debitus honor, cujus immortalitati Capito proſpexit pariter & ſuæ : neque enim magis decorum & inſigne eſt, ſtatuam in foro populi Romani habere, quàm ponere.*

[2] C. Cassii] Qui Julium Cæſarem interfecerat.

[3] Infensi nominis] Ac ne tantùm infenſo C. Caſſii nomine ad diſcordias uteretur, adſumpſiſſe L. Silanum.

[4] Torquatum] De quo dictum eſt ſuprà Annal. XV, 35.

[5] In Lepidam] Junii Silani & Æmiliæ Lepidæ filiam. Vide Stemma Cæſarum, num. 64.

[6] Cum fratris filio] Lucio Silano, cujus Lepida erat amita.

[7] Sacrorum] Magicorum.

[8] Vulcatius Tullinus] Fortè Vulcatius Tertullinus, ut ſuſpicatur Lipſius. Vide infrà Hiſt. IV, 9.

[9] Marcellus Cornelius] A Galbâ in Hiſpaniâ deinde occiſus. Infrà Hiſt. I, 37.

A. U. C. 818. J. C. 65.

nius Fabatus [1], eques Romanus: qui, appellato Principe, inſtantem damnationem fruſtrati, mox Neronem circa ſumma ſcelera diſtentum, quaſi minores, evaſere.

IX. Tunc conſulto ſenatûs, « Caſſio & Silano exſilia » decernuntur; « de Lepidâ Cæſar ſtatueret ». Deportatuſque in inſulam Sardiniam Caſſius [2] & ſenectus ejus exſpectabatur. Silanus tamquam Naxum [3], deveheretur, Oſtiam [4] amotus; pòſt municipio Apuliæ, cui nomen eſt Barium [5], clauditur. Illic indigniſſimum caſum ſapienter tolerans, a centurione, ad cædem miſſo, corripitur: Suadentique « venas abrumpere », « animum quidem morti deſtinatum » ait, « ſed non permit»tere percuſſori gloriam miniſterii ». At centurio, quamvis inermem, prævalidum tamen, & iræ quàm timori propiorem, cernens, premi a militibus jubet. Nec omiſit Silanus obniti, & intendere ictus, quantùm manibus nudis valebat, donec a centurione vulneribus adverſis, tamquam in pugnâ, caderet.

X. Haud minùs promptè L. Vetus, ſocruſque ejus Sextia, & Pollutia filia, necem ſubiere: inviſi Principi, tamquam vivendo exprobrarent interfectum eſſe Rubellium Plautum [6], generum Lucii Veteris. Sed initium detegendæ ſævitiæ [7] præbuit, interverſis patroni rebus, ad accuſandum tranſgrediens Fortunatus libertus, adſcito Claudio Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere, Aſiæ proconſule, exſolvit

[1] Calpurnius Fabatus] Cujus exſtat vetus Inſcriptio, quam vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XVI, 8.

[2] In insulam Sardiniam Cassius] Ita quoque Pomponius de origine juris, Digeſt. I. Tit. 2. Maſſurio Sabino *ſucceſſit Caius Caſſius Longinus, natus ex filiâ Tuberonis, quæ fuit neptis Serv. Sulpitii: & ideo proavum ſuum Servium Sulpitium appellat. Hic conſul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii, ſed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eò uſque donec eum Cæſar* (Nero) *civitate pelleret, expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus a Veſpaſiano, diem ſuum obiit.* De eo plura habet eruditus Gravina, *Origin. Jur. Civil.* pag. 113 & ſeqq.

[3] Naxum] Ægæi maris inſulam. Hodie *Naxia.*

[4] Ostiam] Nunc *Oſtia.*

[5] Barium] Nunc *Bari, dans la Pouille.*

[6] Rubellium Plautum] Rubellius Plautus, Tiberii pronepos, uxorem duxerat Antiſtiam Pollutiam, Lucii Veteris filiam, Sextiæ neptem. De morte Rubellii dictum ſuprà Annal. XIV, 58 & 59. Vide & Stemma Cæſarum, num. 76 & 77.

[7] Detegendæ sævitiæ] Fortunatus præbuit initium detegendæ ſævitiæ Neronis adversùs L. Veteris domum.

A. U. C. 818. J. C. 65. Nero in præmium accuſationis. Quod ubi cognitum reo, ſeque, & libertum, pari ſorte componi, Formianos in agros [1], digreditur. Illic eum milites occultâ cuſtodiâ circumdant. Aderat filia, ſuper ingruens periculum, longo dolore atrox, ex quo percuſſores Plauti mariti ſui viderat: cruentamque cervicem ejus amplexa, ſervabat ſanguinem, & veſtes reſperſas; vidua, implexa luctu continuo, nec ullis alimentis, niſi, quæ mortem arcerent. Tum, hortante patre, Neapolim pergit. Et quia aditu Neronis prohibebatur, egreſſus obſidens [2], « audiret inſontem, neve conſulatûs ſui quondam collegam [3] » dederet liberto », modò muliebri ejulatu, aliquando, ſexum egreſſa, voce infenſâ, clamitabat; donec Princeps immobilem ſe precibus & invidiæ, juxtà oſtendit.

XI. Ergo nuntiat patri, « abjicere ſpem, & uti neceſſi» tate ». Simul adfertur, « parari cognitionem ſenatûs, & » trucem ſententiam ». Nec defuere, qui monerent, « magnâ ex » parte heredem Cæſarem nuncupare, atque ita nepotibus de » reliquo conſulere »: quod aſpernatus, ne vitam, proximè libertatem actam [4], noviſſimo ſervitio fœdaret, largitur in ſervos, quantum aderat pecuniæ: &, « ſi qua aſportari poſ» ſent, ſibi quemque deducere, tres modò lectulos ad ſuprema » retineri » jubet. Tunc eodem in cubiculo, eodem ferro abſcindunt venas, properique, & ſingulis veſtibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur: pater filiam, avia neptem, illa utroſque intuens, & certatim precantes « labenti » animæ celerem exitum, ut relinquerent ſuos ſuperſtites [5] & » morituros ». Servavitque ordinem fortuna: ac ſenior [6] priùs,

[1] Formianos in agros] Vicinos Formiis. De hac urbe dictum eſt ſuprà Annal. XV, 46.

[2] Egressus obsidens] Egreſſus Neronis obſidens, orat audiret inſontem.

[3] Quondam collegam] Anno U. C. dcccviii, primo imperii Neronis anno, Nero & L. Antiſtius Vetus conſulatum inierant; ut vidimus ſuprà Annal. XIII, 11.

[4] Proxime libertatem actam] Ne vitam, vetere libertate propè retentâ, actam, noviſſimo ſervitio fœdaret.

[5] Suos superstites] Precabatur Sextia, ut L. Veterem generum, & Pollutiam neptem; L. Vetus, ut Sextiam ſocrum & Pollutiam filiam; Pollutia, ut L. Veterem patrem & Sextiam aviam relinqueret ſuperſtites & morituros. At fortuna ſervavit ordinem; & Sextia ſenior, priùs exſtincta eſt: tum cui proxima ætas, pater & filia exſtinguuntur.

[6] Senior] Meliùs *ſeniores*.

tum

A. U. C. 818. J. C. 65.

» tum cui prima ætas, exſtinguuntur. Accuſati poſt ſepulturam; » decretumque, ut more majorum punirentur [1] ». Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitro permittens: ea, cædibus peractis, ludibria adjiciebantur.

XII. P. Gallus, eques Romanus, quòd Fenio Rufo [2] intimus, & Veteri non alienus fuerat, aquâ atque igni prohibitus eſt. Liberto & accuſatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores tribunicios [3] datur. Et menſis, qui Aprilem, eumdemque *Neroneum* ſequebatur, Maius *Claudii* [4], Junius *Germanici*, vocabulis mutantur: teſtificante Cornelio Orphito, qui id cenſuerat, « ideo Junium menſem [5] tranſ» miſſum, quia duo jam Torquati [6], ob ſcelera interfecti, infauſ» tum nomen Junium feciſſent ».

XIII. Tot facinoribus fœdum annum etiam dii tempeſtatibus & morbis inſignivere. Vaſtata Campania turbine ventorum, qui villas, arbuſta, fruges paſſim disjecit; pertulitque violentiam ad vicina Urbi: in quâ omne mortalium genus vis peſtilentiæ [7] depopulabatur, nullâ cæli intemperie, quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non ſexus, non ætas periculo vacua. Servitia perinde & ingenua plebes raptim exſtingui, inter conjugum & liberorum lamenta; qui dum adſident, dum

[1] More majorum punirentur] De hoc ſupplicio jam dictum ſuprà Annal. XIV, 48.

[2] Fenio Rufo] De quo dictum ſuprà Annal. XV, *66* & *68*.

[3] Inter viatores tribunicios] Quibus vel in ſubſelliis tribuniciis, vel iis proximè locus fuit in theatro. Porro cùm tribuni plebis lictores non haberent, illis viatores apparebant. Cur verò dicerentur *viatores* docet Columella in Præfat. de Re Ruſtic. *Illis enim temporibus, ut antè jam diximus, proceres civitatis in agris morabantur: & cum conſilium publicum deſiderabatur, e villis arceſſebantur in ſenatum, ex quo, qui eos evocabant, Viatores nominati ſunt.*

[4] Maius Claudii] Nero, ut conſtat ex nummis, appellabatur NERO CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. id eſt *Nero Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus.* Menſibus Maio & Junio indita *Claudii* & *Germanici* nomina, ut fœda adulatione quarta anni pars nomen a peſſimo Principe acciperet

[5] Junium mensem] *Menſem*, ut opinor, redundat.

[6] Duo Torquati] Lucius Torquatus & patruus ejus Torquatus Silanus, ut dictum eſt ſuprà cap. 8. & Annal. XV, 35.

[7] Vis pestilentiæ] Hanc peſtilentiam, quæ autumno ſæviit, & triginta millia hominum abſumpſit, morbis ἐπιδημίοις, *maladies épidémiques*, potiùs, quam peſtibus, ob exiguum mortuorum numerum, annumeraverim. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 13. Ibi ſimul de peſte agetur, quâ Roma, Tito Principe, conflictata eſt.

A. U. C. 818. J. C. 65.

deſlent, ſæpe eodem rogo cremabantur. Equitum ſenatorumque interitus, quamvis promiſcui, minùs flebiles erant, tamquam communi mortalitate ſævitiam Principis prævenirent. Eodem anno delectus per Galliam Narbonenſem, Africamque & Aſiam habiti ſunt, ſupplendis Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine feſſi, ſacramento ſolvebantur. Cladem Lugdunenſem [1] quadragies ſeſtertio [2] ſolatus eſt Princeps, ut amiſſa urbi reponerent: quam pecuniam Lugdunenſes antè obtulerant [3] turbidis caſibus.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XIV. C. Suetonio, L. Teleſino conſulibus [4], Antiſtius Soſianus, factitatis in Neronem carminibus probroſis, exſilio, ut dixi [5], multatus, poſtquam id honoris indicibus, tamque promptum ad cædes Principem accepit, inquies animo, & occaſionum haud ſegnis, Pammenem, ejuſdem loci exſulem, & Chaldæorum arte famoſum, eóque multorum amicitiis innexum, ſimilitudine fortunæ ſibi conciliat. Ventitare ad eum nuntios, & conſultationes [6] non fruſtra ratus, ſimul annuam pecuniam a P. Anteio miniſtrari cognoſcit. Neque neſcium habebat, Anteium caritate Agrippinæ inviſum Neroni, opeſque ejus præcipuas ad eliciendam cupidinem, eamque cauſam multis exitio eſſe. Igitur interceptis Anteii literis, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis ejus, & eventura, ſecretis

[1] Cladem Lugdunensem] Anno U. C. dccxi. coloniam Lugdunum deduxerat L. Munatius Plancus, teſte Dione XLVI. pag. 323. & vetere lapide, quem laudat P. de Colonia, *Hiſtoire littéraire & Antiquités de Lyon*, Tom. I. pag. 8. Urbem hanc pulcherrimis operibus refertam, atrox incendium uná nocte penitus abſtulit, anno ab origine coloniæ centeſimo, U. C. dcccxi, ut fusè, ſed ingenioſiùs, quàm rem adeò luctuoſam decet, narrat Seneca Ep. XCI. Plurimæ effoſſæ ſunt funeſtiſſimi hujus incendii ruinæ, quas videre eſt apud eumdem de Colonia, loc. cit. pag. 148 & ſeqq.

[2] Quadragies sestertio] Gallicæ monetæ libris 778,315. Nec audiendi Paradin & Saint Aubin, qui nimio urbis ſuæ ſtudio emendandum *quatercenties* (rectiùs & quidem latinè *quadringenties*) contendunt. Quadringenties ſeſtertiûm efficiunt Gallicæ monetæ libras, 7,782,010.

[3] Ante obtulerant] Caii aut Claudii temporibus. Quàm opulentum fuerit Lugdunum docet de Colonia, loc. cit. pag. 33 & ſeqq.

[4] L. Telesino consulibus] C. Suetonius Paullinus & C. Lucius Teleſinus conſules fuere anno Urbis conditæ dcccxix. Jeſu Chriſti 66. In veteri Inſcriptione apud Gruterum pag. mcii. num. 4. C. LVCIO. TELESINO. C. SUETONIO. PAVLINO. COS.

[5] Ut dixi] Suprà Annal. XIV, 48.

[6] Consultationes] Magicas conſultationes. Proh ſtultos homines, qui præſentia bona incurioſi negligunt, mala ſæpe haud ventura ipſi arceſſunt!

Pammenis occultabantur, ſimul repertis, quæ de ortu vitâque Oſtorii Scapulæ [1] compoſita erant, ſcribit ad Principem, « magna ſe, & quæ incolumitati ejus conducerent, allaturum, » ſi brevem exſilii veniam impetraviſſet: quippe Anteium & » Oſtorium imminere rebus, & ſua Cæſariſque fata ſcrutari ». Exin miſſæ liburnicæ [2], advehiturque properè Soſianus. Ac vulgato ejus indicio, inter damnatos magis, quàm inter reos, Anteius Oſtoriuſque habebantur: adeò ut teſtamentum Anteii nemo obſignaret [3], niſi Tigellinus auctor exſtitiſſet. Monitus priùs Anteius, « ne ſupremas tabulas moraretur ». Atque ille, hauſto veneno, tarditatem ejus peroſus, interciſis venis, mortem adproperavit.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XV. Ostorius longinquis in agris, apud finem Ligurum [4], id temporis erat: eò miſſus centurio, qui cædem ejus maturaret. Cauſa feſtinandi ex eo oriebatur, quòd Oſtorius multâ militari famâ, & civicam coronam apud Britanniam meritus [5], ingenti corporis robore, armorumque ſcientiâ, metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum ſemper, & repertâ nuper conjuratione magis exterritum. Igitur centurio, ubi effugia villæ clauſit, juſſa Imperatoris Oſtorio aperit. Is fortitudinem adversùm hoſtes ſæpe ſpectatam in ſe vertit. Et quia venæ, quamquam interruptæ, parum ſanguinis effundebant, hactenus manu ſervi uſus ut immotum pugionem extolleret [6], adpreſſit dextram ejus, juguloque occurrit.

XVI. Etiam ſi bella externa, & obitas pro republicâ mortes tantâ caſuum ſimilitudine memorarem, meque ipſum

[1] Ostorii Scapulæ] De quo jam dictum ſuprà Annal. XII, 31. & XIV, 48.

[2] Missæ liburnicæ] Suidas Λιβυρνικά, νῆες ἦσαν, οὐ κατὰ τὸν τριηραρχικὸν ἐσχηματισμέναι τύπον, ἀλλὰ λῃστρικώτεραι, χαλκέμβολοί τε, καὶ ἰσχυραὶ, καὶ κατάφρακτοι, τὸ τάχος αὐτῶν ἄπιστον. *Liburnicæ, naves erant, non ad triremium formam ædificatæ, ſed magis piraticarum more extructæ, æreis roſtris munitæ, firmæque & tectæ, & celeritate incredibili.* Liburnicis maximè victus eſt Antonius in Actiacâ pugnâ, unde poſtea frequens earum uſus apud Romanos. Vide Vegetium, V, 3.

[3] Nemo obsignaret] A ſeptem teſtibus obſignandum. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 14.

[4] Apud finem Ligurum] Ligures, olim inter Rhodanum, *le Rhône*, & Macram, *Magra*, flumina. Vide Notas & Emendat. ad Annal. XVI, 15.

[5] Apud Britanniam meritus] Suprà Annal. XII, 31.

[6] Pugionem extolleret] Ut erectum immotumque pugionem teneret, mox dextram ſervi adpreſſit, ſuoque jugulo occurrit.

A. U. C. 819. J. C. 66.

ſatietas cepiſſet, aliorumque tædium exſpectarem, quamvis honeſtos civium exitus, triſtes tamen & continuos aſpernantium. At nunc patientia ſervilis, tantumque ſanguinis domi perditum, fatigant animum, & mæſtitiâ reſtringunt. Neque aliam defenſionem ab iis, quibus iſta noſcentur, exegerim, quàm, ne oderim [1] tam ſegniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, ſemel editam tranſire licet. Detur hoc inluſtrium virorum poſteritati, ut, quomodo exſequiis a promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur, ita, in traditione ſupremorum, accipiant habeantque propriam memoriam.

XVII. Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mela, Cerialis Anicius, Rufius Criſpinus, ac Petronius cecidere. Mela & Criſpinus, equites Romani, dignitate ſenatoriâ [2]. Nam hic quondam præfectus prætorii [3], & conſularibus inſignibus donatus; ac nuper crimine conjurationis in Sardiniam exactus [4], accepto juſſæ mortis nuntio, ſemet interfecit. Mela, quibus Gallio & Seneca [5] parentibus natus, petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram, ut eques Romanus conſularibus potentiâ æquaretur: ſimul adquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes [6] adminiſtrandis Principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis [7]: quo interfecto, dum rem familiarem ejus [8] acriter requirit, accuſatorem con-

[1] Ne oderim] Neque aliam defenſionem ab iis, quibus iſta noſcentur, exegerim, quàm ut patiantur me non adeò odiſſe tam ſegniter pereuntes, ut indignos eos commemoratione cenſuerim: quemadmodum rectè explicat Illuſtr. Huetius. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 16.

[2] Dignitate senatoria] Non equidem ſenatores, ſed equites illuſtres, opibus ac ſplendore cuivis ſenatorum pares, ut rectè obſervat Lipſius.

[3] Præfectus prætorii] Criſpinum, præfectum prætorii, vidimus ſuprà Annal. XI, 1.

[4] In Sardiniam exactus] Ut dictum eſt ſuprà Annal. XV, 71.

[5] Gallio et Seneca] Vide quæ dicta ſunt ſuprà Annal. XV, 73.

[6] Per procurationes] Lucroſa procuratorum Cæſaris officia agitabant equites & liberti.

[7] Grande adjumentum claritudinis] Hæc audiant Lucani oſores, eoſque convitiorum pudeat. Novi equidem adoleſcentis poetæ, patrui ætatiſque ſuæ auribus nimis accommodati, vitia; ſed grandes ſenſus, vetere Româ dignos, & fecundandis ingeniis habiles, ſuſpicio.

[8] Rem familiarem ejus] Magnas Lucani opes laudat quoque Juvenal. VII, 79.

Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis Marmoreis.

A. U. C. 819. J. C. 66.

civit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. « Mixta » inter patrem filiumque conjurationis ſcientia » fingitur adſimulatis Lucani literis: quas inſpectas Nero « ferri ad eum » juſſit, opibus ejus inhians. At Mela, quæ tum promptiſſima mortis via, exſolvit venas: ſcriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumque ejus Coſſutianum Capitonem erogabat, quò cetera manerent. Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens ita ſcripſiſſet « ſe quidem » mori nullis ſupplicii cauſis, Rufium autem Criſpinum & » Anicium Cerialem vitâ frui, infenſos Principi »: quæ compoſita credebantur, de Criſpino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. Neque enim pòſt multò vim ſibi attulit, minore quàm ceteri miſeratione, quia proditam C. Cæſari [1] conjurationem ab eo meminerant.

XVIII. De C. Petronio [2] pauca ſuprà repetenda ſunt. Nam illi dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Utque alios induſtria, ita hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo & profligator, ut plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quantò ſolutioria, & quamdam ſuî negligentiam præferentia, tantò gratiùs in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur. Proconſul tamen Bithyniæ, & mox conſul [3], vigentem ſe, ac parem negotiis oſtendit: dein revolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adſumptus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentiâ putat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet. Unde invidia Tigellini, quaſi adversùs æmulum, & ſcientiâ voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui ceteræ libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scevini [4] Petronio objectans; corrupto ad indicium ſervo, ademptâque defenſione, & majore parte familiæ in vincla raptâ.

[1] C. Cæsari] Caligulæ. De conjuratione diximus in Supplemento Annal. VIII, 43.

[2] De C. Petronio] Emendandum, *de T. Petronio*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 18.

[3] Mox consul] Conſul ſuffectus. Proconſul autem dicitur ante initum conſulatum, quia Bithyniam, conſularem provinciam, rexerat.

[4] Amicitiam Scevini] De quo dictum eſt ſuprà Annal. XV, 49 & ſeqq.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XIX. Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæſar, & Cumas uſque [1] progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultrà timoris aut ſpei moras: neque tamen præceps vitam expulit, ſed inciſas venas, ut libitum obligatas, aperire rurſum, & adloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed levia carmina, & faciles verſus. Servorum alios largitione, quoſdam verberibus adſecit. Iniit & vias, ſomno indulſit, ut, quamquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia Principis [2], ſub nominibus exoletorum, feminarumque, & novitate cujuſque ſtupri, perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni: fregitque anulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula [3].

XX. Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent, offertur Silia, matrimonio ſenatoris haud ignota, & ipſi ad omnem libidinem adſcita, ac Petronio perquàm familiaris: agitur in exſilium, tamquam non ſiluiſſet quæ viderat pertuleratque, proprio odio [4]. At Numicium Thermum, præturâ functum, Tigellini ſimultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminosè detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipſe, patronus ejus nece immeritâ lueret [5].

XXI. Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam [6] exſcindere concupivit, interfecto Thra-

[1] Cumas usque] Hodie *Cumæ*, in Campaniâ. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 19.

[2] Flagitia Principis] Petronium hæc Principis flagitia in libro, cui nomen eſt *Satyricon*, perſcripſiſſe plurimi affirmant; quod tamen minimè probabile videtur. Quomodo enim intra paucas horas librum ſcripſiſſet, longiorem etiam, quàm ut *Codicillorum* nomine appellaretur. Præterea in Satyrico nihil ferme occurrit, quod Neroni conveniat: pleraque Claudii imbecillitatem referunt, ut obſervant viri eruditi.

[3] Ad facienda pericula] Ne Nero Tigellinuſve eo uterentur ad creanda aliis pericula.

[4] Proprio odio] Veriſimillima Freinshemii conjectura emendandum, *pertuleratque. Proprio odio hanc, Numicium Thermum, præturâ functum, Tigellini ſimultatibus dedidit.*

[5] Lueret] Fortè *luêre*, ut vult Acidalius.

[6] Virtutem ipsam] Brevis, ſed maxima laus. Paucis quoque Dio, LXII.

A. U. C. 819. J. C. 66.

ſeâ Pæto, & Bareâ Sorano olim utriſque infenſus, & accedentibus cauſis in Thraſeam: quòd ſenatu egreſſus eſt, cùm de Agrippinâ referretur, ut memoravi [1]: quódque Juvenalium ludicro parum exſpectabilem operam præbuerat: eaque offenſio altiùs penetrabat, quia idem Thraſea Patavii, unde ortus erat, ludis Cæſticis [2], a Trojano Antenore inſtitutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo prætor Antiſtius, ob probra in Neronem compoſita, ad mortem damnabatur, mitiora cenſuit, obtinuitque [3]: & cùm deûm honores Poppææ [4] decernerentur, ſponte abſens, funeri non interfuit. Quæ obliterari non ſinebat Capito Coſſutianus [5], præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraſeæ, quòd auctoritate ejus concidiſſet, juvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.

XXII. Quin & illa objectabat: « principio anni vitare »Thraſeam ſollemne jusjurandum [6]: nuncupationibus voto»rum [7] non adeſſe, quamvis quindecimvirali ſacerdotio præ-

pag. 713. Ὁ δὲ δὴ Θρασέας καὶ ὁ Σωρανὸς, καὶ γένους, καὶ πλούτου, τῆς τε συμπάσης ἀρετῆς τὰ πρῶτα ἀνήκοντες. *Thraſea & Soranus nobilitate, divitiis, & omni virtutis genere præcipui.* Quarum familiarum fuerint viri illi duo præſtantiſſimi, incertum. Qui conjecturas ſectantur, adeant Urſatum, *Monumenta Patavina*, pag. 155. & Reimarum in Notis ad Dionem. loc. cit.

1 Ut memoravi] Suprà Annal. XIV, 12.

2 Ludis cæsticis] Ita Puteolanus & Recentiores omnes. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 21. Ludos illos trigeſimo quoque anno fuiſſe celebratos Patavii, & in iis Thraſeam egiſſe tragœdiam docet Dio, LXII. pag. 714. Ἐν Παταβίῳ τῇ πατρίδι τραγῳδίαν κατά τι πάτριον ἐν ἑορτῇ τινι τριακονταετηρίδι ὑποκρινάμενος.

3 Mitiora censuit obtinuitque] Ut vidimus ſuprà Annal. XIV, 48.

4 Deum honores Poppææ] Divinos honores Poppææ Sabinæ teſtatur nummus, ære minimo, e cimelio D. de Rothelin, DIVA POPPAEA. De templo, poſtea ipſi dicato, vide Supplementum Annal. XVI, 76.

5 Capito Cossutianus] De hoc maculoſo fœdoque homine, a Cilicibus accuſato, dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 33.

6 Sollemne jusjurandum] Olim in leges juratum. Anno U. C. dccxii, teſte Dione, XLVII. pag. 337, triumviri, dominationis avidi, jurarunt Kalendis Januarii ſe omnia Julii Cæſaris acta rata habituros. Deinde obſervatum ut in acta Imperatorum juraretur. Id jusjurandum a ſenatu populoque, & ſpeciatim a militibus, concipiebatur: primò quidem viritim, deinde generatim, aut ab uno ex ſingulis ordinibus. Sed id ſæpe mutatum pro voluntate Principis, aut populorum adulatione, ut videre eſt apud Dionem, LVIII. pag. 631 & 632. LX. pag. 681.

7 Nuncupationibus votorum] Cùm vota ſuſciperentur pro imperio, pro ſalute Principis, aliiſque lætis triſtibuſve rebus. Quæ de his ſuppliciis & quindecimviris dicta ſunt, vide Annal. IV, 17. VI, 12. XV, 23. In veteri Kalendario, III nonas, id eſt *die* 3, Januarii votorvm nvncvpatio.

A. U. C. 819. J. C. 66.

» ditum : numquam pro ſalute Principis, aut cæleſti voce [1] im» molaviſſe : adſiduum olim & indefeſſum, qui vulgaribus quo» que patrum conſultis ſemet fautorem, aut adverſarium oſten» deret, triennio non introiiſſe curiam [2] : nuperriméque, cùm, » ad coercendos Silanum & Veterem [3], certatim concurreretur, » privatis potiùs clientium negotiis vacaviſſe : ſeceſſionem jam » id, & partes; &, ſi idem multi audeant, bellum eſſe ». « Ut quon» dam C. Cæſarem [4] », inquit, « & M. Catonem; ita nunc te, Nero, » & Thraſeam avida diſcordiarum civitas loquitur. Et habet » ſectatores, vel potiùs ſatellites, qui nondum contumaciam » ſententiarum, ſed habitum vultumque ejus ſectantur, rigidi » & triſtes, quò tibi laſciviam exprobrent. Huic uni incolumi» tas tua ſine arte [5], ſine honore. Proſperas Principis res ſper» nit : etiamne luctibus & doloribus non ſatiatur ? Ejuſdem ani» mi eſt, Poppæam divam non credere, cujus in acta divi Au» guſti & divi Julii non jurare. Spernit religiones, abrogat leges. » Diurna populi Romani per provincias, per exercitus, cura» tiùs leguntur, ut noſcatur quid Thraſea non fecerit [6]. Aut » transeamus ad illa inſtituta, ſi potiora ſunt : aut nova cupien» tibus auferatur dux & auctor. Iſta ſecta [7] Tuberones [8], &

[1] Cæleſti voce] Cæleſti voce Principis cantoris; de quâ Suetonius in Ner. XXI. Apertiúſque Philoſtr. Vit. Apollon. V, 7. Quot, *inquit*, & quàm graves e theatris oriuntur accuſatores, cùm hæc delatores redarguant : Οὐκ ἦλθες ἀκροασόμενος Νέρωνος, ἢ παρῆσθα μὲν, ῥαθύμως δὲ ἠκροῶ, ἐγέλας, οὐκ ἐκρότησας, οὐκ ἔθυσας ὑπὲρ τῆς φωνῆς, ἵνα Πυθῶδε λαμπροτέρα ἔλθοι. *Non veniſti auditum Neronem, aut veniſti quidem, ſed negligenter, audiviſti, riſiſti, non plauſiſti, non ſacrificaſti pro hac voce, ut ex Pytho clarior rediret.*

[2] Triennio non introiisse curiam] Sed, ut videtur, ab ipſo Principe prohibitum. Annal. XV, 23.

[3] Silanum et Veterem] De quibus dictum ſuprà cap. 9 & 10.

[4] C. Cæsarem] Ut quondam C. Julium Cæſarem ſervituti imminentem, & M. Catonem libertatis aſſertorem, ita nunc te, Nero, & Thraſeam avida diſcordiarum civitas loquitur.

[5] Sine arte] Mallet Lipſius, & meritò, *Huic uni incolumitas tua ſine curâ, artes ſine honore.* Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 22.

[6] Non fecerit] Quâ in re ſenatui, Principi reſtiterit. Romani, ut & nos, habuere diurna, *des Gazettes.*

[7] Ista secta] Stoica. Longè aliter Seneca, de Clementiâ, II, 5. *Nulla ſecta benignior leniorque eſt, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior : ut propoſitum ſit uſui eſſe aut auxilio, nec ſibi tantùm, ſed univerſis ſinguliſque conſulere.* At qui univerſis conſulit, amplam ſemper obtulit criminandi materiem.

[8] Tuberones] Q. Ælius Tubero ſcientiâ juris, Stoicis dialecticiſque diſciplinis celeberrimus, ſed paulo ſeverior; de quo multa quidem habet Tullius, pro Murænâ XXXVI, haud ſilenda tamen, ut virtutis extrema, vitiorum initia cognoſcantur. *Noli, Cato,*

Favonios,

»Favonios [1], veteri quoque reipublicæ ingrata nomina, ge»nuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt : ſi perver»terint, libertatem ipſam aggredientur. Fruſtra Caſſium amo»viſti [2], ſi gliſcere & vigere Brutorum æmulos paſſurus es. De»nique nihil ipſe de Thraſeâ ſcripſeris [3], diſceptatorem ſena»tum nobis relinque ». Extollit irâ promptum Coſſutiani animum Nero : adjicitque Marcellum Eprium acri eloquentiâ.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XXIII. At Baream Soranum jam ſibi Oſtorius Sabinus, eques Romanus, popoſcerat reum, ex proconſulatu Aſiæ, in quâ offenſiones Principis auxit, juſtitiâ atque induſtriâ : & quia portui Epheſiorum aperiendo curam inſumpſerat; vimque civitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum [4], Cæſaris libertum, ſtatuas & picturas avehere, inultam omiſerat. Sed crimini dabatur « amicitia Plauti [5], & ambitio conciliandæ provinciæ »ad ſpes novas ». Tempus damnationi delectum, quo Tirida-

majorum inſtituta, quæ res ipſa publica, quæ diuturnitas imperii comprobat, nimium ſeverâ oratione reprehendere. Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros, & honeſtus homo & nobilis, Q. Tubero. Is, cùm epulum Q. Maximus, Africani patrui ſui nomine, populo Romano daret, rogatus eſt a Maximo ut triclinium ſterneret, cùm eſſet Tubero ejuſdem Africani ſororis filius. Atque ille, homo eruditiſſimus, ac Stoicus, ſtravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia : quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur : quem cum ſupremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quòd ille vir in hac republicâ potiſſimum natus eſſet : neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarum imperium, ubi ille eſſet. Hujus in morte celebrandâ graviter tulit populus Romanus hanc perverſam ſapientiam Tuberonis. Itaque homo integerrimus, civis optimus, cùm eſſet L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi, ſororis filius, his hædinis pelliculis præturâ dejectus eſt. Odit populus Romanus privatam luxuriam : publicam magnificentiam diligit : non amat profuſas epulas : ſordes & inhumanitatem multò minùs. Diſtinguit rationem officiorum ac temporum ; viciſſitudinem laboris ac voluptatis. Vide & Gravinam, Origin. Juris Civil. pag. 92.

[1] Favonios] M. Favonius, Catonis æmulus, Bruti amicus, libertatis ſtudio, & dicteriis famam ſibi paravit : ab Antonio interfectus. Vide Suetonium in Aug. XIII. Valer. Maxim. II, 10. num. 8. Plutarch. in Pompeio, pag. 663. Dionem XXXVIII. pag. 62 & XLVII. pag. 356.

[2] Cassium amovisti] In Sardiniam deportaſti, ut dictum eſt ſuprà cap. 9.

[3] De Thrasea scripseris] Quòd, vel invitus, Nero Thraſeam magni faciebat, teſte Plutarcho, Præcept. reip. gerend. Tom. II. pag. 810. Ὁ Νέρων ἐκεῖνος ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδικῶς. Ἐβουλόμην ἄν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστιν. *Nero ille, paulo antequam Thraſeam interficeret, quem maximè oderat ac metuebat, quodam conquerente iniquam in ſuâ causâ a Thraſeâ latam fuiſſe ſententiam : Utinam verò, inquit, ita me amaret Thraſea, ut optimus eſt judex.*

[4] Acratum] Memoratum ſuprà Annal. XV, 45.

[5] Amicitia Plauti] Rubellii Plauti, de quo ſuprà Annal. XIV, 57 & 59.

A. U. C. 819. J. C. 66.

tes [1], accipiendo Armeniæ regno, adventabat: ut ad externa rumoribus inteſtinum ſcelus obſcuraretur, an, ut magnitudinem Imperatoriam cæde inſignium virorum, quaſi regio facinore, oſtentaret.

XXIV. Igitur omni civitate ad excipiendum Principem [2], ſpectandumque regem, effusâ, Thraſea, occurſu prohibitus, non demiſit animum: ſed codicillos ad Neronem compoſuit, requirens « objecta, & expurgaturum » adſeverans, « ſi notitiam criminum, & copiam diluendi habuiſſet ». Eos codicillos Nero properanter accepit, ſpe, exterritum Thraſeam ſcripſiſſe, per quæ claritudinem Principis extolleret, ſuamque famam dehoneſtaret. Quod ubi non evênit, vultumque, & ſpiritus & libertatem inſontis ultro extimuit, « vocari patres » jubet. Tum Thraſea inter proximos conſultavit, « tentaretne defenſionem, an ſperneret ». Diverſa conſilia adferebantur.

XXV. Quibus intrari curiam placebat, « ſecuros eſſe de » conſtantiâ ejus » dixerunt; « nihil dicturum, niſi quo glo» riam augeret. Segnes & pavidos ſupremis ſuis ſecretum cir» cumdare. Aſpiceret populus virum, morti obvium; audiret » ſenatus voces, quaſi ex aliquo numine, ſupra humanas: » poſſe ipſo miraculo etiam Neronem permoveri: ſin crudeli» tati inſiſteret, diſtingui certè apud poſteros memoriam ho» neſti exitûs ab ignaviâ per ſilentium pereuntium ».

XXVI. Contra, qui opperiendum domi cenſebant, de ipſo Thraſeâ eadem [3]. « Sed ludibria & contumelias imminere: » ſubtraheret aures conviciis & probris. Non ſolùm Coſſutia» num, aut Eprium ad ſcelus promptos, ſupereſſe, qui for» ſitan manus ictuſque per immanitatem Auguſti [4]: etiam bo» nos metu ſequi. Detraheret potiùs ſenatui, quem perorna» viſſet, infamiam tanti flagitii: & relinqueret incertum, quid,

[1] Tiridates] Multa de illo ſuprà, ac maximè Annal. XV, 28. Vide & Supplementum Annal. XVI, 37 & ſeqq.

[2] Ad excipiendum Principem] E Campaniâ redeuntem. Suprà cap. 19.

[3] Eadem] Eadem dicebant.

[4] Per immanitatem Augusti] Locus omnino corruptus. Emendandum puto *per immanitatem intentarent*. Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 26.

A. U. C. 819. J. C. 66.

» viſo Thraſeâ reo, decreturi patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inritâ ſpe agitari: multóque magis » timendum, ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus ſæviret. Proinde intemeratus, impollutus, quorum » veſtigiis & ſtudiis vitam duxerit, eorum gloriâ peteret finem ». Aderat conſilio Ruſticus Arulenus, flagrans juvenis, & cupidine laudis offerebat « ſe interceſſurum ſenatuſconſulto »: nam plebis tribunus erat. Cohibuit ſpiritus ejus Thraſea, « ne vana, » & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet. Sibi » actam ætatem, & tot per annos continuum vitæ ordinem » non deſerendum: illi initium magiſtratuum, & integra, quæ » ſuperſint. Multùm antè ſecum expenderet, quod tali in tem» pore capeſſendæ reipublicæ iter ingrederetur [1] ». Ceterùm ipſe, an venire in ſenatum deceret, meditationi ſuæ reliquit.

XXVII. At poſterâ luce, duæ prætoriæ cohortes armatæ, templum genetricis Veneris [2] inſedêre. Aditum ſenatûs globus togatorum obſederat, non occultis gladiis: diſperſique per fora ac baſilicas cunei militares; inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam ſenatores. Et oratio Principis per quæſtorem ejus audita eſt [3]. Nemine nominatim compellato, patres arguebat, « quòd publica munia deſererent, eorumque » exemplo equites Romani ad ſegnitiam verterentur. Etenim, » quid mirum e longinquis provinciis haud veniri [4], cùm pleri-

[1] Iter ingrederetur] Arduum virtutis iter pergebat, cùm a Domitiano interfectus eſt, ut dicetur infrà in Vit. Agric. XLV.

[2] Genetricis Veneris] In VIII Urbis regione, Foroque Julii Cæſaris. Notiſſimi verſus Lucretii, I, 1.

Æneadum genetrix, hominum divûmque voluptas,
Alma Venus, &c.

[3] Per quæstorem ejus audita est] Id eſt, recitata. Imperatoribus ſui erant quæſtores, de quibus Ulpianus, Digeſt. libr. I. T. 13. de officio Quæſtoris. *Non omnes quæſtores provincias ſortiebantur, verùm excepti erant candidati Principis: hi etenim ſolis libris Principalibus in ſenatu legendis vacant.* Mox infrà, *ex his, ſicuti diximus, quidam ſunt, qui candidati Principis dicebantur, quique epiſtolas ejus in ſenatu legunt.* In Inſcriptionibus veteribus appellantur QVAEST. AUG. Id eſt *quæſtores Auguſti.* Id uſus reperit Auguſtus: filiæ enim ſuæ luxuriam, *abſens, ac libello per quæſtorem recitato,* notam *ſenatui fecit, abſtinuitque congreſſu hominum diu præ pudore.* Sueton. in Aug. LXV. Vide & Campianum, de officio & poteſtate magiſtrat. Roman. pag. 201 & 202.

[4] Haud veniri] Quid mirum e longinquis provinciis in reipublicæ ſubſidium non veniri, cùm plerique adepti conſulatum & ſacerdotia, hortorum potiùs amœnitati, quàm reipublicæ inſervirent? Vide Notas & Emendationes ad Annal. XVI, 27.

A. U. C. 819. J. C. 66.

» que adepti conſulatum & ſacerdotia, hortorum potiùs amœ» nitati inſervirent »? quod velut telum arripuere accuſatores.

XXVIII. Et initium faciente Coſſutiano, majore vi Marcellus, « ſummam rempublicam agi » clamitabat : « con» tumaciâ inferiorum, lenitatem imperitantis deminui. Nimiùm » mites ad eam diem patres, qui Thraſeam deſciſcentem, qui » generum ejus, Helvidium Priſcum [1], in iiſdem furoribus, » ſimul Paconium Agrippinum, paterni in Principes odii [2] » heredem, & Curtium Montanum [3], deteſtanda carmina fac» titantem, eludere impunè ſinerent. Requirere ſe in ſenatu » conſularem, in votis ſacerdotem, in jurejurando civem : » niſi, contra inſtituta & cærimonias majorum, proditorem » palam & hoſtem Thraſea induiſſet. Denique agere ſenato» rem, & Principis obtrectatores protegere ſolitus, veniret, » cenſeret quid corrigi, aut mutari vellet : faciliùs perlaturos » ſingula increpantem, quàm nunc ſilentium perferrent omnia » damnantis. Pacem illi per orbem terræ [4], an victorias ſine » damno exercituum diſplicere? Ne hominem bonis publicis » mæſtum, & qui fora, theatra, templa pro ſolitudine habe» ret [5], qui minitaretur exſilium ſuum, ambitionis pravæ com-

[1] Helvidium Priscum] De illo infrà Hiſt. IV, 42. Vide & Plinium III. Ep. 11.

[2] Paterni in Principes odii] M. Paconius, Paconii Agrippini pater, Tiberii ſævitiâ, tamquam majeſtatis reus, innocens conciderat, ut dicetur cap. ſeq. Suprema ejus fata pluribus narrat Suetonius in Tiber. LXI. *Annalibus ſuis vir conſularis inſeruit, frequenti quondam convivio, cui & ipſe affuerit, interrogatum eum ſubito & clarè a quodam nano, adſtante menſæ inter copreas, cur Paconius, majeſtatis reus, tamdiu viveret : ſtatim quamdam petulantiam linguæ objurgaſſe, ceterum poſt paucos dies ſcripſiſſe ſenatui, ut de pœnâ Paconii quàm primùm ſtatueret.*

[3] Curtium Montanum] De quo infrà Hiſt. IV, 42.

[4] Pacem illi per orbem terræ] Confecto Armeniaco bello, tunc quaſi pacato terrarum orbe, Janum clauſit Nero, & cuſus eſt ære magno nummus, qui olim fuit in muſeo Collegii Ludovici Magni : IMP. NERO CLAUD. CAES. GERM. P. M. TR. P. XIII. P. P. Caput Neronis laureatum. In averſâ parte, PACE PR TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT SC. Id eſt, *Imperator Nero Claudius Cæſar Germanicus, pontifex maximus, tribunitiæ poteſtatis* anno *XIII*, *pater patriæ, pace populi Romani terrâ marique partâ Janum cluſit : ſenatuſconſulto.*

[5] Pro solitudine haberet] Ne ambitionis pravæ compotem facerent hominem, bonis publicis mæſtum, in foris, theatris, templis, rarum & infrequentem, & ſe Urbe ceſſurum minitantem. Hæc illi non videri patrum conſulta, non veros magiſtratus, non illam ipſam urbem Romanam. Ergo abrumperet vitam ab eâ civitate cujus ut olim caritatem, nunc & aſpectum exuiſſet. *Pro ſolitudine haberet*, id eſt, ut rectè explicat Illuſtr. Huetius, tam

» potem facerent. Non illi conſulta hæc, non magiſtratus, aut » Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab eâ civitate, » cujus caritatem olim, nunc & aſpectum exuiſſet ».

A. U. C. 819.
J. C. 66.

XXIX. Cum per hæc atque talia Marcellus, ut erat torvus & minax, voce, vultu, oculis ardeſceret; non illa nota, & celebritate periculorum ſueta jam, ſenatûs mæſtitia, ſed novus & altior pavor, manus & tela militum cernentibus: ſimul ipſius Thraſeæ venerabilis ſpecies obverſabatur: & erant qui « Helvidium quoque » miſerarentur, « innoxiæ adſinitatis » pœnas daturum. Quid Agrippino objectum, niſi triſtem pa» tris fortunam? quando & ille, perinde innocens, Tibe» rii ſævitiâ concidiſſet. Enimvero Montanum probæ juventæ, » neque famoſi carminis [1], quia protulerit ingenium, extorrem » agi ».

XXX. Atque interim Oſtorius Sabinus, Sorani accuſator, ingreditur, orditurque « de amicitiâ Rubellii Plauti [2], » quódque proconſulatum Aſiæ Soranus pro claritate ſibi po» tiùs accomodatum, quàm ex utilitate communi egiſſet, alen» do ſeditiones civitatum [3] ». Vetera hæc: ſed recens, diſcrimini patris filiam connectebat [4], « quòd pecuniam Magis » dilargita eſſet ». Acciderat ſanè pietate Serviliæ (id nomen puellæ fuit) quæ, caritate erga parentem, ſimul imprudentiâ ætatis, non tamen aliud conſultaverat, quàm « de incolumi-

rarò frequentaret, quàm ſolitudo frequentari ſolet.

[1] Neque famosi carminis] Non ob famoſum carmen, ſed quia ingenii ſpecimina protulerit, extorris. Poſtea, ut videtur, non melior, ſed Principibus acceptior, pudendam hanc de Rhombo & patinâ ſententiam dixit, quam memorat Juvenalis, IV, 136,

Vicit digna viro ſententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cùm pulmo Falerno
Arderet: nulli major fuit uſus edendi
Tempeſtate meâ.

Unde mirum hominis abdomen. Juvenal. Ibid. verſ. 107.

Montani quoque venter adeſt abdomine tardus.

[2] Amicitia Rubellii Plauti] De quâ ſuprà cap. 23.

[3] Seditiones civitatum] Seditiones appellat *vim civitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum, Cæſaris libertum, ſtatuas & picturas avehere*, quam *inultam omiſerat*, ut dictum ſuprà cap. 23.

[4] Connectebat] Delatore Egnatio, ut accipimus ex vetere Scholiaſte Juvenalis, VI, 551.

Faciet, quod deferat ipſe.

Scholiaſtes: *Hìc Egnatium Philoſophum ſignificat, qui filiam Bareæ Sorani, quam cùm ipſe ad magicam*, (fortè *magiam*, aut *magicen*) *deſcendiſſe hortatus* (corrige, *deſcendere eſſet hortatus*) *detulit Neroni: ob quam rem mori cum patre juſſa eſt a Nerone. Egnatium autem hìc poeta ob delationem hanc ipſam ſæpe lacerta* (corrige, *lacerat*).

A. U. C. 819. J. C. 66.

»tate domûs, & an placabilis Nero, an cognitio ſenatûs nihil »atrox adferret ». Igitur accita eſt in ſenatum, ſteteruntque diverſi ante tribunal conſulum, grandis ævo parens, contrà filia intra viceſimum ætatis annum, nuper marito Annio Pollione in exilium pulſo [1], viduata deſolataque; ac ne patrem quidem intuens, cujus oneraſſe pericula videbatur.

XXXI. Tum interrogante accuſatore, « an cultus dota»les [2], an detractum cervici monile, venum dediſſet, quò pe»cuniam faciendis magicis ſacris contraheret »? primùm ſtrata humi, longoque fletu & ſilentio, pòſt, altaria & aram [3] complexa: « Nullos », *inquit*, « impios deos, nullas devo»tiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi, quàm ut »hunc optimum patrem, tu, Cæſar, vos, patres, ſervaretis »incolumem. Sic gemmas, & veſtes, & dignitatis inſignia »dedi, quomodo, ſi ſanguinem & vitam popoſciſſent. Vide»rint iſti, antehac mihi ignoti, quo nomine ſint, quas artes »exerceant: nulla mihi Principis mentio, niſi inter numina »fuit. Neſcit tamen miſerrimus pater: & ſi crimen eſt, ſola »deliqui ».

XXXII. Loquentis adhuc verba excipit Soranus, proclamatque: « non illam in provinciam [4] ſecum profectam, non »Plauto [5] per ætatem noſci potuiſſe: non criminibus mariti [6] »connexam: nimiæ tantùm pietatis ream ſepararent; atque ipſe »quamcumque ſortem ſubiret ». Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, niſi interjecti lictores utriſque obſtitiſſent. Mox datus teſtibus locus: & quantum miſericordiæ ſævitia accuſationis permoverat, tantum iræ P. Egnatius [7] teſtis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum

[1] In exilium pulso] Propter conjurationem, de quâ ſuprà Annal. XV, 71. Sed infamato magis, quàm convicto.

[2] An cultus dotales] *An* pro *annon*, ut jam obſervatum ſuprà Annal. IV, 35.

[3] Altaria et aram] Veneris Genetricis, in cujus templo tunc erat ſenatus, ut patet ex cap. 27.

[4] Illam in provinciam] Proclamat Serviliam non ſecum profectam eſſe in Aſiam.

[5] Plauto] Rubellio Plauto.

[6] Mariti] Annii Pollionis.

[7] P. Egnatius] De quo indignabundus Juvenalis, Satyr. III, 115.

Audi facinus majoris abollæ.
Stoicus occidit Baream delator amicum,
Diſcipulumque ſenex, ripâ nutritus in illâ,
Ad quam Gorgonei delapſa eſt pinna caballi.

Vide infrà Hiſt. IV, 10.

amicum, auctoritatem Stoicæ ſectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterùm animo perfidioſus, ſubdolus, avaritiam & libidinem occultans. Quæ poſtquam pecuniâ recluſa ſunt, dedit exemplum præcavendi [1], quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, ſic ſpecie bonarum artium falſos, & amicitiæ fallaces.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XXXIII. Idem tamen dies & honeſtum exemplum tulit Caſſii Aſclepiodoti, qui magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obſequio florentem Soranum celebraverat, labantem non deſeruit. Exutuſque omnibus fortunis, & in exſilium actus [2]; æquitate deûm [3] erga bona malaque documenta. Thraſeæ, Soranoque, & Serviliæ datur mortis arbitrium. Helvidius & Paconius Italiâ depelluntur. Montanus patri conceſſus eſt, prædicto ne in republicâ haberetur [4]. Accuſatoribus Eprio & Coſſutiano quinquagies ſeſtertiûm [5] ſingulis, Oſtorio duodecies [6], & quæſtoria inſignia tribuuntur.

XXXIV. Tum ad Thraſeam, in hortis agentem quæſtor conſulis [7] miſſus, veſperaſcente jam die. Inluſtrium virorum feminarumque cœtus frequentes egerat, maximè intentus Demetrio [8], Cynicæ inſtitutionis doctori: cum quo, ut con-

[1] Exemplum præcavendi] Poſtquam perfidioſi clientis vitia pecuniâ recluſa ſunt, dedit exemplum homines ſpecie bonarum artium falſos, & habitu amicitiæ fallaces præcavendi æquè, ac fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos.

[2] In exsilium actus] Poſtea a Galbâ reſtitutus. Dio lib. LXII. pag. 714.

[3] Æquitate deûm] Dii æquè utrumque exemplum præbuerunt, ut rectè explicat eruditus Petavius, pietatis & conſtantiæ, in Aſclepiodoto; perfidiæ ac ſceleris in Egnatio. Eadem deûm æquitas, cùm ſimul Nero ac ſenatus flagitiis, Thraſea, Soranus, Servilia aliique virtutibus clareſcerent. Mala bonis mixta ſemper exhibet Tacitus. Inde cùm multa ſcelera memoraret, infrà Hiſt. I, 2. addit: *Non tamen adeò virtutum ſterile ſæculum, ut non & bona exempla prodiderit.*

[4] Ne in republica] Id eſt, ne magiſtratus aliaque munera publica adipiſceretur.

[5] Quinquagies sestertiûm] Gallicæ monetæ libræ 972,846.

[6] Duodecies] Gallicæ monetæ libræ 233,437.

[7] Quæstor consulis] De quæſtoribus Principum diximus ſuprà cap. 27. Conſulibus quoque ſui erant quæſtores. Appium Claudium & Caium Norbanum, conſules anno U. C. DCCXVI. primos fuiſſe, qui binos ſinguli quæſtores habuerunt, docet Dio, XLVIII. pag. 383. Ἐπὶ δ' Ἀππίου τε Κλαυδίου καὶ Γαΐου Νωρβανοῦ ὑπάτων, οἷς πρώτοις δύο ἑκατέροις ταμιεῖαι συνεγένοντο.

[8] Demetrio] *Demetrius, vir omne Cynicæ philoſophiæ robur complexus*, Δημήτριος, ἀνὴρ ξυνειληφὼς ἅπαν τὸ ἐν Κυνικῇ κράτος, teſte Philoſtrato, Vit. Apollon. IV, 25. egregiè dictus a Senecâ Ep.

A. U. C. 819. J. C. 66.

jectare erat intentione vultûs, & auditu, ſi qua clariùs proloquebantur, de naturâ animæ, & diſſociatione ſpiritûs corporiſque inquirebat: donec advenit Domitius Cæcilianus, ex intimis amicis, & ei, quid ſenatus cenſuiſſet, expoſuit. Igitur flentes queritanteſque, qui aderant, « faceſſere properè » Thraſea, « neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati » hortatur. Arriamque tentantem mariti ſuprema, & exemplum Arriæ matris ſequi [1], monet, « retinere vitam, filiæque com»muni ſubſidium unicum non adimere ».

XXXV. Tum progreſſus in porticum, illic a quæſtore [2] reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium, generum ſuum, Italiâ tantùm arceri cognoverat. Accepto dehinc ſenatuſconſulto, Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectiſque utriuſque brachii venis [3], poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, propiùs vocato quæſtore, « Libe»mus », inquit, « Jovi liberatori. Specta, juvenis: & omen qui»dem dii prohibeant; ceterùm in ea tempora natus es, qui»bus firmare animum expediat conſtantibus exemplis ». Pòſt lentitudine exitûs graves cruciatus adferente, obverſis in Demetrium [4]. . . . . .

XX, NON PRÆCEPTOR VERI, SED TESTIS. Quem virum acerrimum, & contra omnia naturæ deſideria pugnantem, cùm ubique, tum maximè laudat in libro de Beneficiis VII, 8. *Paullo antè Demetrium retuli: quem mihi videtur rerum natura noſtris tuliſſe temporibus, ut oſtenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab ullo corrigi poſſe: virum exactæ (licèt neget ipſe) ſapientiæ: firmæque in his, quæ propoſuit conſtantiæ: eloquentiæ verò ejus, quæ res fortiſſimas deceat, non concinnatæ, nec in verba ſollicitæ, ſed ingenti animo, prout impetus tulit, res ſuas proſequentis. Huic non dubito, quin providentia & talem vitam, & talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum ſeculo noſtro, aut convicium deeſſet.*

[1] Exemplum Arriæ matris sequi] Suprema Arriæ matris fata narravimus in Supplemento Annal. IX, 40, 41 & 42.

[2] A quæstore] A quæſtore conſulis.

[3] Utriusque brachii venis] Hanc ipſam Thraſeæ mortem memorans Suetonius in Ner. XXXVII. addit: *Mori juſſis non ampliùs, quàm horarium ſpatium dabat: ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, qui cunctantes continuò curarent: ita enim vocabat venas mortis gratiâ incidere.*

[4] Obversis in Demetrium] Cetera periere. Vide Supplementum Annal. XVI.

BREVIARIUM

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI UNDECIMI* ANNALIUM.

I. *PORTENTOSA anni initia. Claudius Cenſor.* II. *Polybii, liberti, arrogantia & pœna.* III. *Aulo Plautio, Britannorum victori, decreta ovatio. Veſpaſiani virtus. Titi pietas. IV. Revocatur majeſtatis crimen.* V. *Meſſalina, Vitellii ſocietate audax, in civium fortunas graſſatur. Everſo Pompeio Magno, Poppæam & Valerium Aſiaticum circumvenit.* Cetera habet Tacitus Annalium libro XI, 1 & ſeqq.

Geſta hæc,

A. U. C.	J. C.		
DCCC.	47.	*Coſſ.*	TI. CLAUDIO Cæſare IV, L. VITELLIO III.

* Ne ſecundum hoc volumen graviorem in molem excreſceret, Supplementa librorum VII, VIII, IX & X Annalium in alteram voluminis quarti partem conjeci.

SUPPLEMENTUM

LIBRI UNDECIMI

ANNALIUM.

Auctore GABRIELE BROTIER.

PORTENTOSIS initiis inclaruit ſæcularis hic annus, quo
Claudius Cæſar IV, ſed ſuffectus tantùm [1], novo circa Principem exemplo, L. Vitellius III, conſulatum iniere [2]. Ipſis A. U. C. 800. J. C. 47.
Calendis Januariis, nocte, quâ defecit luna [3], Theram inter [4] & Theraſiam in Ægæo mari enata inſula [5]. Fabulas addidere,

[1] SUFFECTUS TANTUM] *In locum demortui* (conſulis ſanè deſignati) *ſuffectus*, Sueton. in Claud. XIV.

[2] CONSULATUM INIERE] Ti. Claudius Cæſar IV, L. Vitellius III, conſules fuere anno Urbis conditæ DCCC. Jeſu Chriſti 47.

[3] DEFECIT LUNA] Aurel. Victor de Cæſar. in Claud. Dio, libr. LX. pag. 685. Quòd verò hac nocte prodiit inſula, inde Seneca Natural. Quæſt. II, 26, id prodigium ad ſuperiorem annum exeuntem, *Valerio Aſiatico conſule*, retraxit.

[4] THERAM INTER] Thera, hodie *l'Iſle de Santorin, dans l'Archipel.* Theraſia, exigua inſula, vicina eſt Occidentem verſùs. De utrâque inſulâ vide Plinium II, 87. & Franciſcum Richard S. J. *Relation de l'Iſle de Sant-Erini*, pag. 17 & ſeqq.

[5] ENATA INSULA] Seneca, Natural. Quæſt. VI, 21. *Theren, & Theraſiam, & hanc noſtræ ætatis inſulam, ſpectantibus nobis in Ægeo mari enatam quis dubitat?* Caſſiodorus in Chronic. *Inter Theram & Theraſiam exorta eſt inſula habens ſtadia* XXX. Sequentibus ſæculis, eodem in loco, manente ſemper eâdem ignium vi, novæ erupere inſulæ, ſcilicet anno 726, æſtivo tempore: anno 1427, die 25 Novembris: anno 1573, quæ Græcis adhuc dicitur μικρὴ Καμμένη, vulgò *la petite Cammeni*, vel *la petite Iſle brûlée*: nova demum, ineunte hoc ſæculo, anno 1707, die 23 Maii, per plures menſes eructata. Vide Richard, loco citato, & *Mémoires pour*

A. U. C. 800. J. C. 47.

qui Phœnicem [1] in Urbem allatum, videndum in Comitio [2] propoſuerunt. Mendacium, licèt omnibus compertum, a plebe tamen ſpectatum eſt avidè, atque etiam actis teſtatum. Princeps, alias in curas intentus, cenſorium nomen, poſt Paullum Plancumque [3] cenſores neglectum, cum conſulari adſumpſit, ut reipublicæ, labentibus ſæculis ſimulque gliſcentibus vitiis fatiſcenti, ſubveniret. Senatores aliquot, luxu ad inopiam contemptumque delapſi, ordine moti ſunt [4]. At equites, numero & opibus [5] tuti, Principis ſeveritatem effugêre. Cetera cenſuræ multitudine legum corrupta.

II. Pudebat quoque Principis, ineptè ſeduli, qui rempublicam legibus fatigabat, dum ipſius domus majoribus vitiis urgebatur; prævalidâ in dies libertorum arrogantiâ. Patientiam, metu magis, quàm reverentiâ diu exercitam, vicit rei indignitas. Fortè cùm in theatro pantomimus illud vatis dictum, « Res non ferenda opibus potens maſtigia [6] », protuliſſet, omnium ora ſtatim in Polybium converſa, qui majore audaciâ ejuſdem poetæ verſum vociferatus eſt, « Reges quo»que exſtitiſſe de caprariis [7] ». Adversùs talem hominis impudentiam immotus fuit Princeps. Sed vota civium abſolvit Meſſalina: non tamen recti ſtudio; ſed ſemper inſidâ ſcelerum ſocietate accenſa, Polybium, ſuis adulteriis inligatum, corripuit & interfecit [8]: laudandum quidem ob literarum ſtudia [9] & ingenii facilitatem, ni ingenuas artes probroſâ fortunâ dehoneſtaſſet.

l'Hiſtoire des Sciences & des beaux Arts, menſe Julio anni 1708. pag. 1261. & menſe Septembri, anni 1715. pag. 1543.

[1] Qui Phœnicem] Hæc habet Plinius, X, 2. Victor quoque in Cæſaribus & in Epitome. De Phœnice dictum ſatis in Notis ad Annal. VI, 28.

[2] In Comitio] Comitium pars fori Romani. Vide infrà Vit. Agric. cap. 2.

[3] Paullum Plancumque] De eorum cenſurà dictum in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 25. ubi de cenſu luſtroque Romanorum.

[4] Moti sunt] Dio, LX. pag. 684.

[5] Numero et opibus] Cùm plurimi, ſervitute liberati, ad dignitatem equeſtrem tranſilirent: quod ita promiſcuum eſſe cœpit, *ut apud Claudium Cæſarem, in cenſurâ ejus, unus ex equitibus Flavius Proculus quadringentos ex eâ causâ reos poſtularet.*

[6] Potens mastigia] Hæc, verſumque Græcum, habet Dio, lib. LX. pag. 684.

Ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας.

[7] De caprariis] Dio, ibid. pag. 685.

Βασιλεῖς ἐγένοντο χ᾽οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι.

[8] Et interfecit] Dio, ibid. pag. 686.

[9] Literarum studia] Quæ Seneca commendat in libro, quem *de conſola-*

A. U. C. 800. J. C. 47.

III. Verùm, ne continuis Meſſalinæ fœditatibus avocetur legentium animus, lætiora de Britannis narrandum. Aulus Plautius, quem ſuprà memoravi [1], rem Romanam lentis, ſed certis, promoverat incrementis. Barbari fruſtra impetus fecere, peregrinæ dominationis odio & locorum peritiâ ad fiduciam elati: ſemper reſtitit ducis providentia, & Veſpaſiani virtus interrita. Periculis quoque laceſſita innotuit Titi pietas, ac fortitudo. Patre circumfuſis hoſtibus erepto, non modò ſervati civis decus obtinuit [2], ſed fugatos barbaros magnâ clade adfecit. Adverſis caſibus fracti, nihil jam audebant; & Plautius pacis artibus dominationem ultrà intendit. Cùm bella ita ſtarent, miſſus eſt proprætor Oſtorius Scapula [3], qui feliciter cœpta continuaret. Plautio decreta ovatio [4]; Urbemque ingreſſo obviam progreſſus eſt Princeps, & in Capitolium eunti, indeque revertenti latus texit: fortè ultra Imperatoriam majeſtatem, at non ſupra Plautii merita civilis.

IV. Hæc inter recruduit, vetus Urbi malum, majeſtatis crimen, tuendi Principis ſpecie, ſed prædandi causâ repetitum. Accuſati plurimi. Ignobiles tutata eſt humilitas, dictitante Principe, « De pulice, ut de ferâ [5], non eſſe vindican»dum ». In hoc ſtetit clementia. Sævitum in nobiles potenteſque, quòd ſoli ad prædam ſufficerent. Atque ita pereunti-

tione ad Polybium, morte fraternâ mærentem, ſcripſit. Homerum & Virgilium commentariis illuſtraverat. Unde Seneca, libr. cit. cap. 26. *Homerus & Virgilius, tam bene de humano genere meriti, quàm tu de omnibus & de illis meruiſti, quos pluribus notos eſſe voluiſti, quàm ſcripſerant, multùm tecum morentur.* Fabellas quoque ſcripſit, ut patet ex cap. 27. *Non audeo te uſque eò producere, ut fabellas quoque & Æſopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, ſolitâ tibi venuſtate connectas.* Suetonius in Claud. XXVIII, ait: Claudio fuiſſe *Polybium a ſtudiis, qui ſæpe inter duos conſules ambulabat.* Eum nempe *in altiorem ordinem & amor Cæſaris extulit, & ſtudia deduxerunt*, Senec. cap. 25.

[1] Supra memoravi] In Supplemento Annal. X, 5.

[2] Decus obtinuit] Dio, libr. LX. pag. 685.

[3] Ostorius Scapula] Vir bello egregius, ut dicetur infrà Vit. Agric. XIV. De quo multa ſuprà Annal. XII, 31 & ſeqq.

[4] Decreta ovatio] Hæc, & quæ ſequuntur, Suetonius in Claud. XXIV. Triumphantem, quod non eſt ex hujus ætatis uſu, Plautium inducit Eutropius in Claud. *Tam civilis circa quoſdam amicos exſtitit* Claudius, *ut etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannicâ multa ac egregia fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium lævus incederet.*

[5] Ut de fera] Dio, libr. LX. pag. 685. Ἐιπὼν ὅτι, Ὀυ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνεσθαι.

A. U. C. 800. J. C. 47.

bus deerat etiam commune ſub prioribus Principatibus ſolatium, cùm, vel morituri, de Claudii crudelitate queri non poſſent, uxoriam ejus imbecillitatem miſerarentur.

V. Una enim tot tantarumque cædium cauſa erat Meſſalina. Femina, libidinum adſuetudine, & Vitellii, ſcelerum ſatellitis, ſocietate audax, in civium fortunas vitaſque impunè graſſabatur. Loco criminum erant muliebria odia. Sic in Pompeii Magni [1], quem nobilitas & cum Cæſaris domo adfinitas in invidiam adduxerant, perniciem ruit. Mox Poppæam & Valerium Aſiaticum, illam, ob præcellentem formæ pulchritudinem, hunc, propter ingentes opes ipſoſque Poppææ amores odioſum, circumvênit. Nam Valerium Aſiaticum [2], bis conſulem, fuiſſe quondam adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos inſigni magnificentiâ extollebat, Suilium accuſandis utriſque immittit.

[1] Pompeii Magni] Craſſi & Scriboniæ filii, Antoniæ, Claudii filiæ, mariti. Vide Stemma Cæſarum, num. 106. Dionem, libr. LX, pag. 668. Zonaram, pag. 563. Senecam in Apocolocyntoſi.

[2] Nam Valerium Asiaticum] Hæc & reliqua habet Tacitus Annal. XI, 1.

BREVIARIUM
SUPPLEMENTI
LIBRI DECIMI SEXTI ANNALIUM.

INITIA hujus libri habet Tacitus. XXXV. *Thraſeæ, Sorani & Serviliæ ſuprema. Paconii & Helvidii exſilia.* XXXVII. *Tiridatis in Urbem adventus. Datum ei regnum Armeniæ, magno Principis dedecore.* XLVII. *Neglectâ Judæâ, bellum adversùs Æthiopes Albanoſque parat Nero. Interim Achaiam petit, cantaturus.* XLIX. *Helii, liberti, in Urbe arrogantia & ſævitia.* L. *Græciæ urbes ſcenicis artibus Principis fœdatæ.* LII. *Nova libidinum portenta. Nero uxorem ducit Sporum.* LIV. *Exhauſtæ Imperii opes populorum ruinâ reparantur.* LV. *Eadem in Urbe atrocitas.* LVI. *Perfodiendi Iſthmi Corinthiaci tentamina. Miſſi ad id opus a Veſpaſiano Judæi captivi.* LVIII. *Judaici belli initia.* LXII. *Nero turbarum nuntiis in Urbem revocatur, datâ priùs Achaiæ libertate.* LXIV. *Triumphans Urbem ingreditur. Fœda ſcenici triumphi ſpecies.* LXV. *Conjuratio retecta, & expiata.* LXVI. *Atrocia adversùs Principem C. Julii Vindicis conſilia : ſuas in partes Sulpicium Galbam trahit.* LXXII. *Nuntiatâ Gallia-*

rum defectione, vana belli meditamenta. LXXVII. *Conflata undique in Neronem odia. Patriæ tamen ſtudio, Julii Vindicis cœpta opprimit Verginius Rufus.* LXXX. *Hac clade conſternatus Galba.* LXXXI. *At conſilia Principis, verè falsòve a ſpadone prodita, ineluctabilem creant ruinam. Senatus, imminere ſibi periculum ratus, Neronem prævertere occupat.* LXXXII. *Nero, vitæ mortiſque incertus, fugit.* LXXXV. *A Senatu hoſtis, more majorum puniendus, judicatur.* LXXXVII. *Pavens, mortem ſibi conſciſcit: ultima ac peſſima Cæſarum ſtirps.* LXXXIX. *Prodigia. Præceps, ſed mutabilis, populi lætitia. Nymphidius, Galbæ favet, Imperii ſpes in ſe trahens: mox interficitur.* XCI. *In Neronianæ crudelitatis inſtrumenta ſævitum.* XCII. *Galba, audito Neronis fine, audacior, Romam proficiſcitur. Intempeſtivâ ſeveritate, Principatûs initia corrumpit.*

Hæc geſta annis tribus.

A. U. C.	J. C.		
DCCCXIX.	66.	*Coſſ.*	C. Suetonio Paullino, C. Lucio Teleſino.
DCCCXX.	67.	*Coſſ.*	L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo.
DCCCXXI.	68.	*Coſſ.*	C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo.

SUPPLEMENTUM

SUPPLEMENTUM
LIBRI DECIMI SEXTI
ANNALIUM.

XXXV[1]. THRASEA, progreſſus in porticum, illic a quæſtore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium generum ſuum Italiâ tantùm arceri cognoverat. Helvidium & Demetrium in cubiculum inducit: porrectiſque utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, « Libemus », inquit, « JOVI LIBERATORI. Specta, juvenis, & omen quidem » dii prohibeant; ceterùm in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat conſtantibus exemplis ». Poſt lentitudine exitûs graves cruciatus adferente, obverſis in Demetrium oculis, ejuſque aſpectu & verbis animatus, amicis oſcula offerens[2], diu eluctatum ſpiritum reddidit: vitâ egregius, mortis contemptor, & adversùm præſentia mala adeò firmus, ut dicere eſſet ſolitus, « Malle ſe hodie interfici, quàm » cras relegari[3] ».

A. U. C. 819. J. C. 66.

XXXVI. FATO, ut virtute, pares interiere Soranus & Servilia. Exſilii pœnam animi excelſitate nobilitavit Paco-

[1] xxxv. Priora capita habet Tacitus Annal. XVI.

[2] OSCULA OFFERENS] Scholiaſtes Juvenalis in Satyr. V, 36.

[3] CRAS RELEGARI] Arrianus, Epictet. I, 1. Θρασέας εἰώθει λέγειν, σήμερον ἀναιρεθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι. Inter multa alia percelebre ejus effatum, quod commendat Plinius VIII. Ep. 22. *Hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles ſimus; exorabiles iſtis etiam, qui dare veniam, niſi ſibi, neſciunt: mandemuſque memoriæ, quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus, Thraſea, crebrò dicere ſolebat; Qui vitia odit, homines odit.*

nius [1]. Monitus enim cauſam ſuam agi in ſenatu: « Bene ver-
A. U. C. »tat », inquit; « at quinta eſt hora [2], frigidâ lavemus ». Poſt
819. cùm ſe damnatum audiſſet, « Morte, an exſilio »? interrogat.
J. C. 66. Nuntiato exſilio, « Quid de bonis »! ait: « Servata », reſponſum. « Ariciam [3] ergo petamus, pranſuri », addit ingens animi, & uſurâ vitæ perinde, ac ceteri oppetitâ morte, inluſtris. Laudata quoque Demetrii libertas, cui cùm Princeps mortem intentaret: « Quam mihi [4] », inquit, « hanc tibi na»tura minitatur ». Audacia, an ſeminudi philoſophi ignobilitas, certè non juſtitia, non recti amor ei ſalutem attulit. Helvidius autem, interdictâ ſibi Italiâ, Apolloniam [5] conceſſit: ſoceri poſtea ultor & æmulus [6].

XXXVII. Tanta Principis ſenatûſque dedecora velavit Imperio gravis, ſed populo læta Tiridatis ſcena [7]. Nondum viſa tanta hoſpitum majeſtas. Longo enim ſuperſtitioſoque [8], ſed triumphali pompâ [9] ſuperbo, itinere defuncti, aderant Tiridates ejuſque uxor, Vologæſique & Pacori ac Monobazi [10] filii. Primo in congreſſu Tiridates, conſtantiam factis meliùs, quàm verbis probari ratus, Neronem quidem, po-

[1] Nobilitavit Paconius] Paconius Agrippinus, de quo dictum ſuprà Annal. XVI, 28, 29 & 33. Alacrem ejus mentem & adversùs imminentia pericula immotam celebrat Arrianus loc. cit.

[2] Quinta est hora] Arrianus loc. cit. Ἀλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη· ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτρεῖν. Male vertit eruditus Wolfius, *at quintus dies adeſt*. Sic Plinius ſenior *poſt ſolem plerumque frigidâ lavabatur*, Plin. III, Ep. 5.

[3] Ariciam] Nunc *la Riccia*, de quá infrà Hiſt. IV, 2.

[4] Quam mihi] Arrian. Epictet. I, 25. Ἀπειλεῖς μοι θάνατον, σοὶ δ' ἡ φύσις. Inter multa alia & magnifica ejuſdem Demetrii effata, præcipuum hoc, laudatum a Senecâ de Providentiâ, III, *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adverſi. Non licuit enim illi ſe experiri.*

[5] Apolloniam concessit] Scholiaſtes Juvenalis, Satyr. V, 36. Licèt plures fuerint Apolloniæ, hæc videtur fuiſſe Apollonia in Epiro, nunc *Polina*.

[6] Ultor et æmulus] Vide infrà Hiſt. IV, 5.

[7] Tiridatis scena] De adventu Tiridatis in Urbem ſuprà Annal. XVI, 23. Pluribus Dio libr. LXIII. pag. 716 & ſeqq.

[8] Superstitiosoque] Plin. XXX, 2. Tiridates *navigare noluerat, quoniam exſpuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam eam fas non putant.*

[9] Triumphali pompa] Ob ingentem comitatum; *& ideo provinciis gravis*, Plin. loc. cit. Præter famulos apparatumque regium, juxta Dionem, loc. cit. Tiridaten comitabantur tria millia equitum Parthorum, ac Romanorum plurimi. In ſingulis urbibus, per quas iter fuit, feſtivâ pompâ regiè excipiebantur.

[10] Monobazi] Vologæſes Parthorum, Pacorus Medorum, Monobazus Adiabenorum rex. Vide ſuprà Annal. XV, 1.

ſito genu, ſalutavit, ferrum verò tradere renuit [1]; « id ſervi»le, & Arſacidarum faſtigio indignum » dictitans. Nihil hactenus indecorum. At ſtatim omnia in ludicrum verſa. A. U. C. 819. J. C. 66.

XXXVIII. Nero barbari libertatem mirari magis, quàm æmulari, gnarus, hoſpites Neapoli Puteolos [2] duxerat, gladiatoriiſque ludis monſtrata Imperii magnificentia. Hos edidit Patrobius, libertus [3], tantoque ſumptu, ut toto die ſoli Æthiopes, virile ac muliebre ſecus [4], amphitheatrum ſint ingreſſi. Tiridates, ut ludos honeſtaret, ſimulque dexteritatem oſtentaret, e ſede ſuâ ejaculatus, duos tauros, ut fertur [5], uno ictu tranſverberavit.

XXXIX. Major fuit pompa, at ſemper theatralis, cùm Romam ventum eſt, dieſque adfuit, propter nubilum aliquamdiu dilata, quâ Tiridates, Armeniæ regnum petiturus, populo Romano oſtenderetur [6]. Pridie Urbs tota, ſertis nitida, luminibus collucere [7]: vis ingens hominum viarum ſtrata complere: alii plurimi domorum tecta occupare: populus albâ veſte, & laureatus, medium obtinere forum: cetera tenere milites, comptis ſignis armiſque præfulgentibus conſpicui. Primâ luce [8] Nero, triumphantis habitu, forum iniit, comitantibus ſenatoribus & prætorianis cohortibus. Poſtquam apud roſtra tribunal conſcendit, curulique in ſellâ inter ſigna militaria atque vexilla [9] reſedit, Tiridates, regumque filii, ac longum famulitium, per militum ordines

[1] Tradere renuit] Immo ne avelleretur, *illud vaginæ clavis affixit*, ἀλλ' ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε, Dio libr. LXIII. pag. 717. Vide & Annal. XV, 31.

[2] Puteolos] Nunc *Pozzuolo*. De his ſuprà Annal. XIV, 27.

[3] Patrobius, libertus] Patrobius, libertus Neronis, hos ludos edidit; Dio loc. cit. Cujus autem eſſet luxuriæ in edendis ludis docet Plinius, XXXV, 13. *Non multùm a pulvere Puteolano diſtat e Nilo arena tenuiſſima ſuî parte, non ad ſuſtinenda maria fluctuſque frangendos, ſed ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis. Inde certè Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.* Hinc quoque luctantium invidia, cùm *in publicâ fame, Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexiſſe.* Sueton. in Ner. XLV.

[4] Muliebre secus] Virilis ac muliebris ſexus.

[5] Ut fertur] Dio, loc. cit. Εἴ γέ τῳ πιστὸν, *ſi tamen credibile eſt.*

[6] Ostenderetur] Sueton. in Ner. XIII. *Armeniæ regem magnis pollicitationibus ſollicitatum, cùm deſtinato per edictum die oſtenſurus populo propter nubilum diſtuliſſet, produxit, quo opportuniſſimè potuit.*

[7] Luminibus collucere] Hæc & ſeqq. Dio, loc. cit.

[8] Prima luce] Dio, loc. cit. Ἅμα τῇ ἡμέρᾳ.

[9] Atque vexilla] Sueton. loc. cit.

ad tribunal progreſſi, Principem venerati ſunt.

A. U. C. 819. J. C. 66. XL. Clamor populi [1], ob rei novitatem veteriſque fortunæ imaginem geſtientis, ſtatim ſequutus, metum Tiridati incuſſit. Periculi anceps, obriguit: nec, indicto ſilentio, rediit prior conſtantia. Fortè etiam Tiridates, adulationem, quæ pericula averteret, regnum adſereret, haud veritus, « ſe »Arſacidarum ſanguine ortum » profeſſus eſt, « Vologæſi & »Pacori regum fratrem, ſervum Neronis, quem ut deum »æquè, ac Mithram [2], venerabatur: ſibi nulla, niſi per »eum, regni jura: eum ſibi fatum, ſibi fortunam eſſe ».

XLI. Quanto demiſſiùs hæc fuerant dicta, tantò ferociùs reſpondit Nero [3]. « Huc quidem meritò veniſti, ut præ»ſens præſente me fruerere. Jura, nec a patre relicta, nec a »fratribus, licèt dediſſent, ſervata, a me accepta habeto. Te »regem Armeniæ do. Tu, voſque omnes, me regna dare & »adimere intelligite ». Mox Tiridaten [4], per devexum pulpitum ſubeuntem, ad genua admiſit; allevatumque dextrâ exoſculatus eſt. Dein regnum precantem, tiarâ deductâ, diademate evinxit: plaudente multitudine, & verba ſupplicis, prætorio viro interpretata, ingeminante.

XLII. Inde ad Pompeii theatrum diſceſſum eſt. Numquam tanta apparuit auri vilitas [5]. Non modo ſcena, ſed interior theatri ambitus auro opertus: illud inumbrabant vela purpurea, quorum mediâ in parte Nero, currûs agitator, acu

[1] Clamor populi] Dio, libr. LXIII. pag. 717 & 718.

[2] Ac Mithram] Dio, loc. cit. Σὸς δὲ δοῦλός εἰμι. καὶ ἦλθόν τε πρὸς σε τὸν ἐμὸν θεὸν, προσκυνήσων σε, ὡς καὶ τὸν Μίθραν. Solem, Mithræ nomine, venerabantur Perſæ, aliique plurimi Orientis populi. Vide eruditiſſimum Hyde, *Hiſtoria religionis veterum Perſarum*, pag. 106 & ſeqq. Ejus cultus apud Romanos invaluit, unde tot monumenta, D. SOL. INVICT. MITHR. id eſt *Deo Soli invicto Mithræ*, nuncupata: quâ de re vide eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, pag. 157. ubi multa de Mithrâ ejuſque tabulis ſymbolicis.

[3] Respondit Nero] Hoc Neronis reſponſum habet Dio, loc. cit.

[4] Mox Tiridaten] Hæc Sueton. in Ner. XIII. & Dio, loc. cit.

[5] Auri vilitas] Ideo, teſte Dione, loc. cit. dies ille aureus appellatus eſt, ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἡμέραν αὐτὴν χρυσῆν ἐπωνόμασαν. Verè Plinius XXXIII, 3. num. 16. *Nos fecimus, quæ poſteri fabuloſa arbitrentur. Cæſar, qui poſtea dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo uſus eſt . . . C. Antonius ludos ſcenâ argenteâ fecit . . . . . Nero Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ oſtenderet. Et quota pars ea fuit aureæ domûs ambientis urbem!*

A. U. C. 819. J. C. 66.

pictus videbatur, aureis ſtellis circumdatus. Ante conſeſſum, rurſus a Tiridate ſupplicatum eſt: deinde juxta Principem latere dextro collocatus [1], ſpectavit ludos, in quibus nihil uſurpatum, niſi auro fulgidum. Aurea oculorum delinimenta pretioſius convivium excepit [2]. Pòſt rediere ludi, ſed dedecore Imperatorio fœdi. Principem enim haud puduit citharâ ludicrum in modum canere, currumque, praſinâ veſte [3], aurigarumque habitu, agitare.

XLIII. Inter hæc opprobria, indecoro populi plauſu aucta, Tiridates, Corbulonis virtutem reputans, nec indignationis potens, ſcenico Principi « Corbulonem bonum mancipium [4] » gratulatus eſt. Neronis mentem, inſanâ lætitiâ vagam, non advertit barbari audacia. Immo publicâ de infamiâ certantibus Principis & populi ſtudiis, quaſi per hæc deridicula confecto bello Armeniaco, Nero *Imperator* conſalutatur; laureâque in Capitolium latâ, Janum cluſit [5]: hac victoriæ imagine, quàm ludicro certamine, fœdior.

XLIV. Regni autem certus, Urbis Principiſque inclinatione ſuam ad utilitatem uſus eſt Tiridates. Jam pridem Roma, fortunæ ſuæ non capax, ad portentoſa ſe converterat: iis abundabat Tiridatis aula, ut pote qui, Orientis more, reconditioribus mathematicæ doctrinæ artibus gloriabatur. Scientiæ fidem faciebat numeroſa magorum cohors, regios inter comites præcipua. Quirites de ſe, de ſuperis inferiſque ſciendi cupidine ſtatim accenſi. Sed apud Neronem præpotuere arcana, ſemper malis Principibus ob futuri formidinem, prodigis propter opum ſpem grata. Jam didiciſſe ardet. Diſcipu-

[1] Collocatus] Sueton. loc. cit.

[2] Convivium excepit] Dio loc. cit. In aurea domo de quâ modò dictum. Plura autem vide in Notis & Emendationibus ad Annal. XV, 42. Quanti tunc forent in conviviis ſumptus æſtimari poteſt ex iis quæ notavimus ſuprà Annal. XV, 37. not. 5.

[3] Prasina veste] Dio loc. cit. Agitatorum factiones veſtium colore noſcebantur. Inde in veteri marmore apud Gruterum pag. cccxxxvii. memoratur AGITATOR FACTIONIS ALB. id eſt *albatæ*. FACTIONIS RUSSATAE. FACTIONIS VENETAE, ſeu *cæruleæ*. FACTIONIS PRASINAE, id eſt *viridis*.

[4] Bonum mancipium. Dio loc. cit. Ἀγαθὸν, ὦ δέσποτα, ἀνδράποδον Κορβούλωνα ἔχεις.

[5] Janum clusit] Sueton. in Ner. XIII. Teſtis quoque nummus ære magno, quem laudavi ſuprà Annal. XVI, 28,

A. U. C. 819. J. C. 66.

lo ſuperbus Tiridates, magiſterium orditur [1]. Tum viſus Imperii Romani arbiter Chaldaicis vanitatibus famulari, initiari cenis magicis, veneficis artibus, quæ in magicis præpollent, imbui: magnâ quidem Urbis infamiâ; majore tamen documento inanem & inteſtabilem eſſe artem, quam neque docere poſſet, qui regnum acciperet, neque valeret ediſcere, qui orbi imperaret.

XLV. At licèt eluſæ ſpes, haud imminuta liberalitas, largiore ſemper Principum munificentiâ, cùm falluntur magis. Igitur, quamvis octingenta nummûm millia [2] diurna Tiridati fuiſſent erogata, abeunti ſuper ſeſtertiûm millies collatum eſt. Permiſſum adhuc ut Artaxata, antè, ut ſuprà memoratum [3], deleta inſtauraret. Dati quoque artifices, quibus plurimos, mercede conductos, adjunxit. Sic graviore impendio datus Armeniæ rex, quàm olim confecta bella maxima.

[1] Magisterium orditur] De hoc magiſterio inſignem locum habet Plinius, XXX, 2. At cùm longior ſit, quàm ut exſcribatur, præcipua ſeligam. Magia *& aquâ, & ſphæris, & aere, & ſtellis, & lucernis ac pelvibus, ſecuribuſque, & multis aliis modis divina promittit: quæ omnia ætate noſtrâ Princeps Nero vana falſaque comperit: quippe non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit, fortunâ rerum humanarum ſummâ geſtiente in profundis animi vitiis. Primùmque imperare diis concupivit, nec quidquam generoſius valuit. Nemo unquam ulli artium validius favit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non diſcentis ingenium, aliaque non patiente mundo. Immenſum & indubitatum exemplum eſt falſæ artis, quam dereliquit Nero . . . Magus ad eum Tiridates venerat. . . . Magos ſecum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiaverat. Non tamen, cùm regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita perſuaſum ſit, inteſtabilem, irritam, inanem eſſe, habentem tamen quaſdam veritatis umbras: ſed in his veneficas artes pollere, non magicas.*

[2] Octingenta nummum millia] Sueton. in Ner. XXX. Nero *divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profuſionem: ſordidos ac deparcos eſſe, quibus ratio impenſarum conſtaret: prælautos veréque magnificos, qui abuterentur ac perderent. . . . Quare nec largiendi, nec abſumendi, modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummûm millia diurna erogavit, abeuntique ſuper ſeſtertiûm millies contulit.* Octingenta nummûm millia ſunt Gallicæ monetæ libræ 155,625. Cùm per novem menſes, teſte Dione, libr. LXIII. pag. 716. id fuerit erogatum, ſunt Gallicæ monetæ libræ 42,641,250. Adde millies ſeſtertiûm abeunti collatum, quod efficit Gallicæ monetæ libras 19,455,025. Accepit ergo Tiridates a Nerone Gall. mon. libras 62,096,275. Immo Dio, libr. LXIII. pag. 718, ait, *aſſentationis præmia, data munera pretio, ut fertur, ad bis millies ſeſtertiûm*, διὰ τοῦτο δῶρά τε παντοδαπὰ πεντακισχιλίων μυριάδων ἄξια, ὥς φασιν, ἔλαβε. Proinde, ſi Dioni fides, dedit Nero Gallicæ monetæ libras 81,551,300. Mirare Principis prodigalitatem, qui, cùm tantam pecuniarum vim in Tiridaten impendiſſet, Vologeſen adhuc enixè orabat, ut Romam veniret, Dio, LXIII. pag. 719.

[3] Supra memoratum] Annal. XIII, 41.

A. U. C. 819. J. C. 66.

XLVI. Iis auctus muneribus, nec patriæ ſuperſtitionis ſollicitus, Tiriditates Brundiſio [1] ſolvit, Dyrrhacium [2] petiturus. Inde Aſiæ urbes inviſit, Imperii opes vanaſque Principis curas paſſim miratus. Nondum Armeniam erat ingreſſus, cùm Corbulo, obviàm progreſſus, datos quidem artifices [3] regem ſequi permiſit; ſed coacti pecuniâ juſſi Romam reverti. Quod Romanæ dignitatis tuendæ ſtudium ducis famam intendit, Principis minuit. Beneficiorum tamen haud immemor Tiridates Artaxata, quibus nomen fecit *Neroneia* [4], reſtituit.

XLVII. Interea apud Judæos, gentem ſibi diſcordem, dirum exarſerat bellum, Geſſii Flori [5] procuratoris avaritiâ, Ceſtii Galli, Syriæ legati, tarditate cum magnâ Romanorum clade, captâ unâ aquilâ, cœptum, felicibus Veſpaſiani auſpiciis reparatum, ac tandem inviſæ gentis excidio abſolutum, uti fuſiùs aliàs ſumus dicturi [6]. At id curæ tum ſpernebat Nero, famæ quidem appetens, ſed quæ per immodica pararetur. Neglecto itaque præſenti diſcrimine, ingentia agitabat conſilia, quibus Æthiopes Albanoſque [7] Imperio Romano adderet.

XLVIII. Dum mittuntur exploratores, ceteraque magno apparatu diſponuntur, fortè venêre e Græcis civitatibus, muſicos agones edere ſolitis, legati, qui omnes citharœdorum coronas ad ipſum perferrent [8]. Mirum ut placuit novum aſſentationis genus. Legati ſtatim admiſſi, familiaribus inſerti epulis: adulationis periti, Principem ut « ſuper cenam can»tet » rogant. Vix audiere, in laudes effuſi, inſitam vanitatem ita inflavere, ut « ſolos ſcire audire Græcos, ſolos ſe, »ſolos ſtudiis ſuis dignos » jactitet: « ſe eò profecturum, ut

[1] Brundisio] Nunc *Brindiſi*, in regno Neapolitano.

[2] Dyrrhacium] Nunc *Durazzo*, in Albaniâ.

[3] Datos quidem artifices] Dio, lib. LXIII. pag. 718.

[4] Neroneia] Dio, ibid.

[5] Gessii Flori] Tacit. Hiſt. V, 10. Sueton. in Veſpaſian. IV.

[6] Sumus dicturi] Infrà cap. 57. & in Supplemento Hiſt. V, 27 & ſeqq.

[7] Albanosque] Tacit. Hiſt. I, 6. Dio, libr. LXIII. pag. 719. Plin. VI, 13, & 29. Sueton. in Ner. XIX. *Parabat & ad Caſpias portas expeditionem, conſcriptâ ex Italicis ſenûm pedum tironibus novâ legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.*

[8] Perferrent] Dio, loc. cit. Sueton. in Ner. XXII.

A. U. C. 819. J. C. 69.

» Romam totumque terrarum orbem coronet [1] ». Nihil veteris ſollicitudinis ſupereſt. In theatricam expeditionem præceps, Achaiam petit [2] : ad ſcenam, ut ad bellum [3] profectus. Tigellino enim duce, comes ibat Auguſtanorum & ſcortorum turba, citharis, plectris, perſonis, libidinum ornamentis, aut incitamentis, gravis. Ut primùm Caſſiopen [4] trajectum, ſtatim ad aram Jovis Caſſii [5] cantus cœpere. Sic Græcia tot ante annos Flaminii, Mummii, Agrippæ & Auguſti victoriis ac legibus fracta, vitiorum dulcedine tandem vicit : ipſeque Princeps de ſe triumphum attulit.

A. U. C. 820. J. C. 67.

XLIX. L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo conſulibus, res Romana, abſente Principe, permiſſa Helio, liberto [6], ſub priore Principatu ſcelerum miniſtro, nunc eò nequiori, quòd ad veterem uſum major accedebat auctoritas. Sueta ignobilibus hominibus vitia, ſuperbia, audacia, avaritia, ſævitia confeſtim erumpere. Injuriis, minis, exſiliis, mortibus adversùs omne genus hominum ipſumque ſenatorium ordinem graſſatur [7]. Facilitate criminum gliſcit temeritas; idque malorum ſummum civitas experta, ut cùm præſentem horruiſſet Principem, abſentem deſideraret.

L. At, gloriæ amens, hoc unum ſatagebat, ut diverſiſſimorum temporum [8], ſed in hunc annum coactas omnes

[1] Coronet] Ex veteri uſu. Unde Plinius, VII, 26. *More ſacris certaminibus vincentium. Neque enim ipſi coronantur, ſed patrias ſuas coronant.*

[2] Achaiam petit] Hujus navigationis teſtis nummus argenteus, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΑΥ. id eſt *Nero Cæſar Auguſtus Germanicus Imperator*, capite radiato. L. ΙΓ. *anno decimo tertio Imperii :* in aversâ parte, navis inflatis velis, ΣΕΒΑΣΤΟΦΟΡΟΣ, id eſt *vectrix Auguſti*. Aliò, ſed perperam, hunc nummum trahit Harduinus, *Selecta opera*, pag. 636.

[3] Ut ad bellum] Dio, loc. cit. Nec mirum, cùm quinque millia Auguſtanorum haberet, Dio, lib. LXI. pag. 699. Atque etiam *numquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillatâ & phaleratâ cum Mazacum turbâ, atque curſorum*, Dio in Ner. XXX.

[4] Cassiopen] Sueton. in Ner. XXI. Caſſiope, hodie *S. Maria di Caſſopo*, urbs inſulæ Corcyræ, *Corfou.*

[5] Ad aram Jovis Cassii] Illa ara & imago Jovis Caſſii, aut Caſii, ut appellant Græci, ſæpe occurrit in nummis Corcyræorum, inſcriptis ΖΕΥϹ ΚΑϹΙΟϹ. Memorat quoque Plinius, IV, 12. *oppidum Caſſiopen & templum Jovis Caſſii.*

[6] Helio, liberto] De quo ſuprà Annal. XIII, 1. Dio, libr. LXIII. pag. 720. Socium libidinis ac prædarum habebat Polycletum, libertum, jam memoratum Annal. XIV. 39. & dicendum infrà Hiſt. I, 37.

[7] Grassatur] Dio, loc. cit.

[8] Diversissimorum temporum] Sueton. in Ner. XXIII. *Certamina dein-*

Græcorum

A. U. C. 820. J. C. 67.

Græcorum palmas unus acciperet. Itaque per ſingulas urbes, ludorum famâ nobiles, promiſſo crine, reſectâ barbâ [1], ire, canere, aurigare, certare, tragœdias agere, & pro ſcenarum ratione, nunc furere, nunc parturire, nunc excœcari, modò religari [2]: id tantùm cavere ne ferro violarentur [3] Imperatoriæ manus, quaſi aureis compedibus minùs ſordeſcerent: totos verò dies in hæc ludicra ita ſollicitè impendere, ut abeſſe, tædere, otiosè ſpectare, diſcedere nefas foret pœnâ expiandum [4].

LI Ob id reus Veſpaſianus [5], quódque, canente Principe, diſcederet ſæpius, aut præſens obdormiſceret, non contubernio tantùm, ſed publicâ etiam ſalutatione fuit prohibitus. Jamque extrema metuens, in devium oppidulum ſeceſſerat, intutâ adhuc latebrâ, ni mox, fatis eum ad ſumma vocantibus, rebus in Judæâ adflictis fugatoque Ceſtii Galli [6] exercitui ſuppetias ferre juſſus eſſet. Mirâ ſanè fortunæ naturâ, quæ, per res adverſas Romanæque majeſtatis ludibria, Imperio ultorem, Principemque, priſcæ dignitatis & ſeveritatis vindicem, deſtinabat.

LII. Interim Nero, oraculorum vanitate, acriore Principum libidine accenſus, ludorum infamiæ ſcelerum portenta addere; novaque excogitare, ne ipſum plebemque, flagitiorum adſuetudine moroſam, varietate mobilem, ſatias caperet. Igitur, jam obſoleſcente Pythagoræ connubio, alias ſuperaddit nuptias [7]; & Sporum, a Tigellino cum dote &

ceps obiit omnia. Nam & quæ diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum, quibuſdam etiam iteratis, juſſit. Olympiæ quoque præter conſuetudinem muſicum agona commiſit.

[1] Resecta barba] Dio, libr. LXIII. pag. 719.

[2] Modo religari] Sueton. in Ner. XXI. *Inter cetera cantavit Canacen parturientem, Oreſtem matricidam, Œdipodem excæcatum, Herculem inſanum. In quâ fabulâ fama eſt tirunculum militem poſitum ad cuſtodiam aditûs, cùm eum ornari ac vinciri catenis, ſicut argumentum poſtulabat, videret, accurriſſe ferendæ opis gratiâ.* Quidam interrogatus, *quid faceret Imperator*, reſpondit facetè, *Parit.* Canacen enim agebat. Dio, lib. LXIII. pag. 720.

[3] Ferro violarentur] Dio, ibid.

[4] Pœna expiandum] Sueton. in Ner. XXIII.

[5] Reus Vespasianus] Sueton. in Veſpaſ. IV.

[6] Cestii Galli] De quo ſuprà cap. 47.

[7] Superaddit nuptias] Ita tamen, ut ſimul & Pythagoram maritum, & Sporum uxorem haberet, ἅμα τῷ Νέρωνι Πυθαγόρας μὲν ὡς ἀνὴρ, Σπόρος δὲ ὡς γυνή. Dio, libr. LXIII. pag. 721. Cùm pue-

A. U. C. 820. J. C. 67.

flammeo deductum, uxorem accipit, plaudentibus Græcis, liberoſque precantibus. Data Sporo, in alteram Sabinam mutato, Calvia Criſpinilla [1], cui nihil præter natales inerat nobile, quæ muliebrem ejus ornatum curaret. Principi, tot libidinum formis hominum vitia ſupergreſſo, placuit tandem belluina æmulari [2]; &, quod dictu incredibile, ſuperare valuit: immo id etiam adſequi, ut Hiſtoriam, quæ quidquid in vitiis inſolens ad odium commendare geſtit, nova ſtuprorum monſtra, quorum ipſum nomen ſcelus foret, ſilere coegerit.

LIII. Non tamen victa tantis flagitiis conſcientia, ſed immanem animum pudore pariter ac terrore laniabat. Hinc licèt foret deſtinatum præcipuas Græciæ urbes eâ turpitudinum inluvie fœdare, Lacedæmone tamen & Athenis [3] abſtinuit; Lycurgum veritus, ſi urbem, tantâ legum ſanctitate, virtutum claritate celebratam, intraret. Magis adhuc terruere Furiarum ſacra [4], Athenis peragi ſolita: formidata quoque Eleuſinii a quorum initiatione impii & ſcelerati voce præconis ſubmovebantur [5]. Fortè quis in hoc vitiorum profundo hanc ſuperſtitionis vim mirabitur. At a naturâ, cujus intereſt ſcelera infamare, ſapienter conſultum eſt, ut improbi raro a ſuperſtitione ſint intacti.

LIV. Reliquæ autem urbes, hac famâ non defenſæ, ad opprobria patuere: ne invitæ quidem, quod & ſolitâ Principum admiratione, & præmiis, ad obſequium laudeſque traherentur. Olympiorum ergo [6] & Pythiorum judicibus in

rum Sporum uxorem duxit, tunc vulgatus *cujuſdam non inſcitus jocus: Bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius, pater* Neronis, *talem habuiſſet uxorem.* Contrà verò Nero amore ita inſanus erat, ut honores maximos, immenſam pecuniæ vim proponeret, ſi quis Sporum facere poſſet mulierem, & reperti, qui id pollicerentur. Dio Chryſoſtomus, orat. XXI, pag. 270 & ſeqq. Fuere quoque, qui poſtea in Urbe, ad omne flagitium pronâ, portentoſam hanc Neronis libidinem imitarentur. Unde Martialis, Epigr. XII, 42.

Barbatus rigido nupſit Calliſtratus Afro
Hac quâ lege viro nubere virgo ſolet.
Præluxere faces, velarunt flamina vultus,
Nec tua defuerant verba, Thalaſſe, tibi:
Dos etiam dicta eſt. Nondum tibi, Roma, videtur
Hoc ſatis; expectas numquid & ut pariat.

[1] Calvia Crispinilla] Dio, libr. LXIII. pag. 720. De illa quoque infrà Hiſt. I, 73.

[2] Belluina æmulari] Dio, libr. LXIII. pag. 721. Sueton. in Ner. XXIX.

[3] Et Athenis] Dio, loc. cit.

[4] Furiarum sacra] Ob cædis matrem *ſæpe confeſſus exagitari ſe maternâ ſpecie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus.*

[5] Submovebantur] Sueton. in Ner. XXXIV.

[6] Olympiorum ergo] Philoſtrat.

A. U. C. 820. J. C. 67.

eam ſervitutem corruptis, omnes certatim in venerationem ruere, victoriarum omnium titulos in unum & immeritum caput congerere, undique coronas aureas adferre, &, quem infra homines viderent, deum appellare. Sed improſperæ adulationis, ſeriùs adhuc expiandæ, brevi eas pænituit, poſtquam exhauſtas Principis opes ſuis civiumque fortunis [1] reparari ſenſere, eaſque per nobiliſſimorum quorumque cædes peti. Nec luctus, niſi majore adhuc formidine, repreſſus, exſilio damnatorum liberis [2] intentato.

LV. HAUD melior Urbis conditio, quamvis Patres ad ſingulas victorias (nos enim in hæc verborum mendacia cogunt tempora) erecti, continuas ſupplicationes haberent, iis etiam tam immodicè faſtos onerarent, ut ne annus quidem [3] ſufficeret. Immo ut in ſe impenſarum partem traherent, abſenti Principi annuum centies HS [4] decreverant. Helius tamen materiam criminandi adhuc arripuit, quoſdam non ſatis favere, alios invidere cauſatus. Inde equeſter ordo damnatus voti, quo obſtricti Auguſtani ſe Principi ſtatuam mille pondo [5] poſituros ſpoponderant. Quod verò atrocius, Pythici cognomen, a majoribus acceptum, Sulpicio Camerino in perniciem ceſſit, quaſi, hoc retento, in Pythicas Neronis victorias foret impius: tali crimine inretiti pater filiuſque cecidere [6].

LVI. GRAVIOR adhuc malorum moles incubuit, cum furor inceſſit Iſthmum Corinthiacum [7] navigabili alveo perfo-

Vita Apollon. IV, 24. Dio, libr. LXIII. pag. 720. Alienæ autem gloriæ ita invidus, ut *ne cujus alterius hieronicarum memoria, aut veſtigium, exſtaret uſquam, ſubverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium ſtatuas & imagines* imperaverit, Sueton. in Ner. XXIV. Alia invidiæ & crudelitatis argumenta, maximè cùm in Iſthmiis Epirotam interfecit, vide apud Lucianum, pag. 1145.

[1] CIVIUMQUE FORTUNIS] Dio, loc. cit.

[2] DAMNATORUM LIBERIS] Dio, ibid.

[3] NE ANNUS QUIDEM] Dio, libr. LXIII. pag. 723. Inde poſtea a Patribus delecti, qui *Faſtos adulatione temporum fœdatos exonerarent*, Tacit. infrà, Hiſt. IV, 40.

[4] CENTIES HS.] Centies ſeſtertiûm, ſeu centies centena millia ſeſtertiûm, Gallicæ monetæ libras 1,945,502.

[5] MILLE PONDO] Dio, LXIII. pag. 723. Si aurea fuit hæc ſtatua, ſine manipretio conſtitit Gallicæ monetæ libris 945,000. Si verò argentea, libris 65,362: quod infrà hujus ætatis luxum & Neronis vanitatem.

[6] CECIDERE] Dio, ibid. De Sulpicio Camerino ſuprà, Annal. XIII, 52.

[7] ISTHMUM CORINTHIACUM] Adventum Neronis Corinthum, conſilium-

A. U. C. 820. J. C. 67.

dere. Quod quidem non publicâ utilitate [1] ſuſceptum, ſed quia naturam vincere, & a Demetrio rege, dictatore Cæſare Caioque Principe incaſſum tentata [2] exſequi ſplendidum haberetur. Tantâ laude jam animo præoccupatâ, Nero, dux operis, ligone aureo foſſam adgreditur [3], « ut ſibi populoque »Romano bene res verteret » precatus. Undequaque pecunia, materiæ, operæ conquiſitæ: fodiendis ac comportandis terris deſtinati exercitus. Captivi & rei ad dura & ſaxoſa [4] damnati.

LVII. Cùm ita ferverent operæ, in auxilium ſimul & in victoriæ monimentum venêre lectiſſimorum captivorum ſex millia [5], quos, expugnatâ Taricheâ [6], mittebat Veſpaſianus. Rei enim militaris ſcientiâ & longo uſu in Britanniâ probatus, vix Judaicum bellum capeſſivit, cùm ſtatim correctâ caſtrorum diſciplinâ, Romanis armis auctoritatem reſtituit. Verùm nec ſibi, nec patriæ fieri ſatis ratus, ni gentem, mentis mobilitate & oraculorum ambagibus [7] turbidam, ita

que perfodiendi Iſthmi, *l'Iſthme de Corinthe*, teſtantur nummi plurimi, tum Latini, tum Græci, inſcripti: ADV. AUG. vel ADVENTVS AVG. COR. & ΠΟΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ, aut ΖΕΥΣ ΙΣΘΜΙΟΣ. Nempe Corinthii Neronem Neptunum Jovemque Iſthmium appellabant, ſicut in nummis Magneſiorum Lydiæ, quos publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes*, Tom. III. pag. 235, dicitur ΝΕ. ΚΑΙ. ΖΕΥϹ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟϹ, id eſt *Nero Cæſar Jupiter liberator*. Iſthmus, teſte Plinio IV, 4. patet quinque millia paſſuum.

[1] PUBLICA UTILITATE] Publica quidem hoc in opere fuiſſet utilitas, ob longum & ancipitem navium ambitum, quas magnitudo plauſtris tranſvehi prohibebat, ut ait Plinius, loc. cit. At eam non ſpectabat Nero, portentoſi tantùm operis curioſus.

[2] TENTATA] Immo & *inſauſto*, *ut omnium patuit exitu*, *incepto*, Plin. loc. cit. Nempe victus Demetrius, in cuſtodiâ periit. Julius Cæſar, Caius Caligula, Nero, violentâ morte occubuere.

[3] FOSSAM ADGREDITUR] Sueton. in Ner. XIX. *In Achaiâ Iſthmum perfodere aggreſſus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: tubâque ſigno dato, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extulit.* Multa quoque hac de re habent Dio, LXIII. pag. 722. Philoſtrat. *Vit. Apollon.* IV, 24. Pauſanias, libr. II. *in Corinthiac.* pag. 112. Inter Luciani opera exſtat quoque dialogus, inſcriptus *Nero*, pag. 1142 & ſeqq.

[4] ET SAXOSA] Integra manſere; priùs derelicto opere, quàm huc perventum, Pauſanias, loc. cit.

[5] SEX MILLIA] Joſeph. Bell. Judaic. III, 10. num. 10.

[6] TARICHEA] Sueton. in Tito IV. De hac urbe modò dicetur infrà.

[7] ORACULORUM AMBAGIBUS] Cùm Judæi, quæ a Prophetis, maximè a Daniele II, 44. VII, 27. Micheâ IV, 1 & ſeqq. de futuro Chriſti regno fuerant prænuntiata, ad ambitioſas regni ſui ſpes traherent. Quâ de re opportunius dicetur in Notis & Emendationibus ad Hiſt. V, 13.

A. U. C. 820. J. C. 67.

contereret, ut numquam reſurgeret audacia, graviorem belli molem intulit. Itaque additis ad copias duabus legionibus [1], octo alis, cohortibus decem, & majore filio [2], ſpectatæ virtutis juvene, inter legatos adſumpto, Galilææ, locorum naturâ & arte munitiſſimæ, primùm incubuit. Omiſsâque clementiâ Romanâ, ſeu quòd Judæos eâ indignos judicaret, ſeu quòd ipſi, eâ ſpretâ, in exitium ruerent, ſeu potiùs, ut pluribus viſum, quòd iratum numen gentis excidio execranda ſcelera ultum iret [3], omnia ferro flammâque vaſtata. Certè ab Urbe conditâ nullo in bello tantùm hoſtilis ſanguinis fuſum eſt.

LVIII. Nam ut primùm percrebuit rumor Veſpaſianum adventare, Judæi, præſidium Romanum Aſcaloni impoſitum [4], adgredi auſi, geminâ clade, quæ decem & octo millia hominum abſumpſit, ab Antonio adfecti ſunt. Mox Veſpaſianus, ut contumaciam infringeret, captam Gadaram [5] ejuſque vicos igne delevit, puberibus omnibus trucidatis. Deinde Jotapatam [6], caſtellum munitiſſimum, cinxit obſi-

[1] Duabus legionibus] Sueton. loc. cit. Veſpaſiani copias diligentiùs recenſet Joſephus, Bell. Jud. III, 4. num. 2. & III, 9. num. 1. Nempe aderant quatuor legiones, V, X, XII & XV: viginti tres cohortes, & una equitum turma: quinque aliæ turmæ Syrorum equitum. Ex iis cohortibus, decem ſingulæ habebant mille pedites: reliquæ, pedites ſexcentos, equites centum & viginti. Præterea reges Antiochus, Agrippa & Sohemus bina millia peditum ſagittariorum & mille equites ſuppeditabant. Arabs quoque Malchus miſit mille equites, & quinque millia peditum, quorum pars major erant ſagittarii. Itaque Veſpaſiani exercitus conſtabat ſexaginta circiter hominum millibus, præter ingentem calonum multitudinem. Sed de his adhuc infrà ad librum V Hiſtoriarum.

[2] Majore filio] Tito. Sueton. loc. cit.

[3] Ultum iret] Ac maximè ob infandam Jeſu Chriſti necem, de quâ Daniel, IX, 26. *Occidetur Chriſtus: & non erit ejus*, Hebraicè *non erit ei*, לו ואין, *populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Quibus verbis elucidandis, & eventibus cum vaticinio comparandis, immorari neque eſt hujuſce inſtituti operis; neque operæ pretium, cum id eruditiſſimi viri evidentiſſimum fecerint.

[4] Ascaloni impositum] Joſeph. Bell. Jud. III, 2. Aſcalon, urbs maritima tribûs Simeon, hodie *Scalona*. Aſcalonis fidem teſtatur Neronis nummus hoc anno cuſus, ΑΣΚΑΛΩ. ΑΟΡ. id eſt *anno centeſimo ſeptuageſimo primo*. Vide Harduinum, *Selecta Opera*, pag. 636.

[5] Captam Gadaram] Joſeph. Bell. Jud. III, 7. Gadara, *Kédar*, urbs tribûs Manaſſe trans Jordanem, in Galaitide. Tunc cuſus a Gadarenſibus Neronis nummus, de quo Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 637. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. L. ΑΛΡ. id eſt *anno centeſimo trigeſimo primo*.

[6] Jotapatam] Joſeph. loc. cit. num. 4 & ſeqq. Jotapata, urbs tribûs Zabulon, in Decapoli, Galilææ munitiſſima.

A. U. C. 820. J. C. 67.

dione; quæ quoniam locorum difficultate & obſeſſorum pertinaciâ in longum traheretur, ne ceteris hoſtibus creſcerent animi, Trajanum [1], decumæ legionis præfectum, & Cerialem, quintæ tribunum, in diverſa miſit, ut terrorem latè facerent. Ille, cæſis hominum quindecim millibus, Japhâ oppido [2] potitus eſt: hic Samaritanorum undecim millia in monte, cui nomen Garizim [3], præcipuæ apud eos religionis, congregata, ad unum occidit. Interim Jotapatam admotæ machinæ acriùs quatiebant. Romanorumque animis periculorum diuturnitate ac recenti ducis vulnere [4] exaſperatis, tandem Calendis Juliis [5], præeunte Tito, expugnata eſt: in eâ quadraginta hominum millia periiſſe conſtitit: magnus quoque fuit captivorum numerus, quos inter Joſephus [6], ingenio & ſcientiâ militari non indecorus, adulatione veriùs, quàm augurio, Imperium Veſpaſiano Titoque ominatus, favorem captavit.

LIX. Tum legiones, his laboribus feſſæ, in hiberna conceſſere [7], quinta & duodecima Scythopolim [8], decima & quinta

[1] Trajanum] Patrem Trajani Imperatoris.

[2] Japha oppido] Japha, *Saphet*, in Jotapatæ viciniâ, ἐπί τινα τῶν τῆς Ἰωταπάτης ἀστυγειτόνων πόλιν, Ἰαφὰ καλεῖται. Joſeph. Bell. Jud. III, 7. num. 31.

[3] Garizim] Garizim, in tribu Ephraim, mons Samariæ editiſſimus, in quo templum Hieroſolymitano æmulum. Templum illud exhibet egregius nummus, quem juris publici fecit Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, Tom. I. pag. 316. I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS, id eſt *Imperatoribus Cæſaribus Philippis*, Capita Philipporum patris ac filii. In averſâ parte Venus ſtat ante Herculem; & in ſummâ nummi parte, mons Garizim & templum, hinc Luna, inde Sol. Inſcriptio, NEAPOL. NEOCORO. COL. id eſt *Neapolis Neocoros Colonia*. Neapolis, hodie *Naploſa*.

[4] Ducis vulnere] Veſpaſiani. Joſeph. Bell. Jud. III, 7. num. 22.

[5] Calendis Juliis] Πανέμου νουμηνίᾳ, primo Panemi menſis die, Joſeph. Bell. Jud. III. 7. num. 36.

[6] Josephus] Qui hiſtoriam ſuam fusè ipſe proſequitur, Bell. Jud. III, 8. Scriptor ſingularis, in quo plurima argueris, multa tamen laudaveris.

[7] Concessere] Joſeph. Bell. J. III, 9. num. 1.

[8] Scythopolim] Urbem tribûs Manaſſe, cis Jordanem. Dicta eſt primùm Bethſan, deinde Nyſa, ac demum *Scythopolis*. Ruderibus manet adhuc nomen *Scythopoli*. Hoc anno cuſus nummus, quem protulit Cl. Liebe, Theſaur. Frideric. pag. 335. Caput Neronis coronâ hederaceâ cinctum, in areâ hinc L. inde EIP, id eſt *anno centeſimo decimo quinto* æræ Scythopolitanæ, ſeu Cæſaris; ex adverſâ parte in coronâ ſpiceâ ΝΥϹΑΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ϹΚΥΘΟΠΟΛΙΤΩΝ. De nummis Scythopolis, ejuſque ærâ, vide Cl. Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVI. pag. 415.

decima Cæſaream [1]. Sævitum tamen in proximam Joppen [2], piraticis latrociniis infamem. Mox ante hiemem bellum renovatum eſt. Orabat enim Agrippa [3], ut Tiberias [4] & Tarichea [5], urbes regni ſui validiſſimæ, a ſeditioſis occupatæ, ad fidem retraherentur. Regi amico, opem petenti, præſto fuit Veſpaſianus. Tiberias, imminenti diſcrimine territa, deditionem [6] properavit. Taricheam ſeditioſorum duces ad fiduciam erexerant. Sed adverſùs Titi vim invalida, amiſſis ſex millibus hominum, capta eſt [7]. Qui in lacum [8] profugêre, pariter deleti. Deinde a ſeditioſis repetitâ pœnâ, Veſpaſianus edixit « mille ac ducentos viros, ætate & auctoritate præcipuos, interfici; ceteros fore captivos ». Ex iis ſex millia, ut diximus, Neroni miſſa: triginta millia ſub coronâ venumdata: ceteri Agrippæ ceſſere.

A. U. C. 820. J. C. 67.

LX. Hæc Tarichexæ ruina, & ſtrages Gamalæ edita [9], in quâ omnes contrucidati, vel e ſummis mœnibus ſponte præcipites enecti, terrorem undequaque circumtulere. Nondum tamen ſeditioſi ad pacis conſilia converſi, ſed, furentum more, adverſis ferociores undequaque concurſare, Hieroſolyma implere; templum, maximâ in veneratione quondam habitum, in arcem vertere, cædibus & ſummi pontifi-

[1] Cæsaream] Urbem Palæſtinæ maritimam & celeberrimam; nunc *Kaiſarié.* Tum cuſus præſtantiſſimus nummus Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, Tom. II. pag. 34. ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, *Nero Auguſtus Cæſar*, capite laureato. In averſâ parte, dea Aſtarte caput Oſiridis dextrâ geſtat, ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ, id eſt *Cæſarea ad Auguſtum portum.* In areâ L. ΙΔ. *anno decimo quarto* Neronis. Vide & Cl. Belley loc. cit. pag. 440.

[2] Joppen] Urbem maritimam tribûs Dan, hodie *Jafa.* In hujus urbis nummo, quem primus protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes*, Tom. II. pag. 254, dicitur, ΙΟΠΗ.

[3] Agrippa] Rex Agrippa II, cui partem Galilææ Nero dederat. Vide Stemma Herodum, num. 9. in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

[4] Tiberias] Urbs tribûs Zabulon ad lacum Geneſareth. Antè vocabatur *Cenereth*, ab Herode in honorem Tiberii dicta eſt Tiberias; hodie *Tabarié.*

[5] Tarichea] Urbs tribûs Iſſachar ad meridiem lacûs Geneſareth.

[6] Deditionem] Joſeph. Bell. Jud. III, 9. num. 8.

[7] Capta est] VI Idus, ſeu die 8, Septembris; Γορπιαίȣ μηνος ὀγδόῃ, *Gorpiæi menſis die octavâ* Joſeph. Bell. Jud. III, 10. num. 10.

[8] In lacum] In lacum Geneſareth, Tarichcæ proximum.

[9] Gamalæ edita] Gamala, urbs tribûs Manaſſe trans Jordanem, monti impoſita & validiſſima, de qua Sueton. in Tit. IV. Exciſa eſt Gamala die 23 Octobris; Τρίτῃ καὶ εἰκάδι μηνος Ὑπερβερεταίȣ, *tertiâ & viceſimâ die menſis Hyperberetæi*, Joſeph. Bell. Jud. IV, 1, num. 10.

A. U. C. 820. J. C. 67.

cis [1] cruore fœdare ; denique cùm nihil ſacri haberent, religionem, ut nefanda quæque audere liceret, obtendere [2]. Multi « diſcordiâ properè utendum : Hieroſolyma poſſe opprimi ; & unius urbis expugnatione bellum peragi » cenſebant. Contrà Veſpaſianus : « Feſtinatione nihil opus eſſe : diſcordes animos ultimo rerum diſcrimine ad concordiam non exſtimulandos : Hieroſolyma advenarum colluvie, commeatuum penuriâ, mutuis cædibus ipſa ultro ruere : hoſtes numquam certiùs meliùſque confici, quàm cùm ferro ipſi ſuo cadunt ». Potior habita eſt ejus ſententia. Itaque per provinciam impoſita tantùm præſidia, quæ ſeditioſos frenarent, urbem vallarent [3].

LXI. Hæc quidem conſultò proviſa & fortiter geſta apud Neronem Veſpaſiano impunè erant, ob generis nominiſque obſcuritatem. Suſpectæ enim Principi, flagitiorum conſcientiâ pavido, virtus, opes, nobilitas. Nec aliis criminibus quæſita mors Corbuloni, Scriboniiſque fratribus [4], Ruſo & Proculo. His exitium attulit Pactius Africanus [5], « opibus, concordiâ, geſtis honoribus, apud exercitus Germanicos auctoritate, Principi formidandos » dictitans. Ob id, dignitatis ſpecie, in Achaiam acciti : ut venêre, Principis congreſſu prohibiti, neglecti, obſcuris circumventi ſunt criminum rumoribus. Cùm nulla eſſet defenſionis ſpes, morte opprobrio antehabitâ, vitam, fuſo per venas ſanguine, finiere [6]. Corbulonem, gloriâ circumdatum, Nero ipſe corripuit, ſe Imperii incertum ratus, dum viveret : pari fraude uſus, ſed præſentiam reveritus, Cenchreas [7] adventanti

[1] Summi pontificis] Nomine Anani ; quem ſummopere laudat Joſephus, Bell. Jud. IV, 3. num. 7. IV, 5. num. 2. Tot verò cædes ibi patratæ, ut inventa ſint cæſorum octo millia & quingenti viri. Joſeph. Bell. Jud. IV, 5. num. 1.

[2] Obtendere] Seque appellabant *Zelotas*. Joſeph. Bell. Jud. IV, 3. num. 9.

[3] Vallarent] Hæc Joſeph. Bell. Jud. IV, 6.

[4] Corbuloni, Scriboniiſque fratribus] Dio, LXIII. pag. 722. Scribonii fratres jam laudati ſuprà, Annal. XIII, 48.

[5] Pactius Africanus] De quo infrà, Hiſt. IV, 41.

[6] Finiere] Dio, loc. cit.

[7] Cenchreas] Cenchreæ, ſitæ ad anguſtias Iſthmi Corinthiaci, Orientem verſùs : hodie *Kenkri*.

ſupremam

ſupremam neceſſitatem nuntiari jubet. Corbulo, « ſe dignum [1] » faſſus, gladium ſua in viſcera direxit, ab ignavo Principe A. U. C. 820. deceptum ſe eſſe, & inermem veniſſe indignans. J. C. 67.

LXII. Tantis cædibus conflata odia, nedum facta ſecuritas. Jamque labante Urbis fide, Helius, conſilii anceps, Neroni nuntiat, « quàm primùm veniat: præſentiâ ejus Ur»bicas res egere [2] ». Iis ab inſanâ gloriæ cupidine non retractus, reſcribit (nec enim omiſerim verba, incredibilis ſtultitiæ teſtes) « Quamvis nunc conſilium tuum ſit & votum, »celeriter reverti me: tamen ſuadere & optare potiùs debes, »ut Nerone dignus revertar [3] ». Helius, gliſcente per moras periculo, ipſe Achaiam properè petit, ut verbis fidem faciat, « turbas, conjurationes » admonet [4]. Terrorem incutit monſtratum diſcrimen; ſed magis movet præſens Iſthmiorum ludicrum: mentem quoque ſollicitat ingrati animi pudor, ſi manſura non reliquerit munificentiæ monimenta. His anxius, ſtadium advolat; mox in foro, haud per præconem, ſed ſuâ ipſe voce, pro tribunali [5], « univerſam Achaiam liberam » pronuntiat; judicibuſque [6] civitate Romanâ & grandi pecuniâ [7] donatis, indecoros inter plauſus, haud quales olim T. Flaminio [8] auditos, navem conſcendit, Italiam repetiturus. A. U. C. 821.

LXIII. Tum conſules erant C. Silius Italicus & M. Galerius Trachalus; alter poeticâ facultate [9], alter forenſi elo- J. C. 68.

[1] Se dignum] Dio, loc. cit. Ἑαυτὸν ἐῤῥωμένως παίων, ἔλεγεν, Ἄξιος. Τότε γὰρ δή ποτε πρῶτον ἐπίϛευσεν, ὅτι κακῶς ἐπεποιήκει, καὶ φεισάμενος τοῦ κιθαρῳδοῦ, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλθὼν ἄνοπλος.

[2] Urbicas res egere] Sueton. in Ner. XXIII.

[3] Revertar] Sueton. Ibid.

[4] Conjurationes admonet] Dio, LXIII. pag. 723.

[5] Pro tribunali] Plutarchus, in Flaminio, pag. 376 Aliter Suetonius in Ner. XXIV. *Quæ beneficia e medio ſtadio Iſthmiorum die ſuâ ipſe voce pronuntiavit.*

[6] Judicibusque] Ludorum.

[7] Grandi pecunia] Sueton. loc. cit. Quanta fuerit prodigalitas, inde licet conjicere: cùm aurigaret *Olympiis decemjugem, excuſſus curru, ac rurſus repoſitus, cùm perdurare non poſſet, deſtitit ante decurſum: nec eò ſeciùs coronatus eſt.* Sueton. loc. cit. Quamobrem *Hellanodicis*, ſeu judicibus, *decies ſeſtertiûm*, Gallicæ monetæ libras 194,531, dedit. Dio, LXIII. pag. 721.

[8] T. Flaminio] Qui devicto Philippo, Macedonum rege, Græciam in libertatem vindicavit. Hæc libertas, per ſolemne Iſthmiorum ludicrum præconis voce pronuntiata, tantis applaudentium clamoribus excepta eſt, ut corvi, ſupra ſtadium volantes, in terram deciderent, auctore Plutarcho, in Flamin. pag. 374 & ſeqq.

[9] Poetica facultate] Exſtant ejus

A. U. C. 821. J. C. 68.

quentiâ [1] notus: uterque favore Principis, Silius delationibus [2], inviſus. Nam in Urbe non ſpes, non vota ampliùs occulta. Plurimi adverſâ tempeſtate turbidoque mari imminere Principi periculum palam lætabantur [3], exitium quoque precari auſi. In luctum vertêre gaudia, cùm Princeps, procellâ quidem jactatus, amiſſis naufragio pretioſiſſimis rebus, Neapolim [4] incolumis pervenit. Urbem, olim gloriæ incunabula [5], triumphorum nunc teſtem, reviſere geſtiit. Hanc albis equis [6], disjectâ muri parte, ut mos hieronicarum eſt [7], ingreſſus, Antium Albanumque pari pompâ introiit.

LXIV. Cùm Romam perventum eſt, adornata major triumphi moles; &, ut novum victoriarum genus, nova quoque excogitata decora. Nec Jovi [8], Imperii præſidi, ſed Apollini, citharœdorum numini, ſupplicatum. Currus tamen Auguſti [9], veteris magnificentiæ triumphatique orbis monimentum, ad hæc ludicra revectus. Ut primùm cetera immenſo ſumptu fuere apparata, murorum Urbis violatâ majeſtate, tot abhinc ſæculis formidoloſis hoſtibus intactâ, per dirutam partem ſubiit triumphalis pompa; præeuntibus, qui coronas [10],

opera, Imperante Domitiano, publicam in lucem emiſſa. Ante conſulatum eloquentiæ foroque operam dedit: unde Martialis, Epigr. VII, 61.

Perpetui numquam moritura volumina Silî,
Qui legis, & Latiâ carmina digna togâ,
Pierios tantùm vati placuiſſe receſſus
Credis, & Aoniæ Bacchica ſerta comæ.
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quàm Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis haſta virorum:
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Poſtquam bis ſenis ingentem faſcibus annum
Rexerat, aſſerto qui ſacer orbe fuit:
Emeritos Muſis, & Phœbo tradidit annos;
Proque ſuo celebrat nunc Helicona foro.

[1] ELOQUENTIA] Trachali laudes vide apud Quintilianum, *Inſtit. Orat.* X, 1. Ejus quoque latum & ſonans dicendi genus laudat Tacitus, Hiſt. I, 90.

[2] DELATIONIBUS] Quam *maculam veteris induſtriæ laudabili otio* abluit. *Fuit*que *inter principes civitatis ſine potentiâ, ſine invidiâ*, Plin. III, Ep. 7. Tota hæc epiſtola de morte & laudibus Silii, lectu digna.

[3] LÆTABANTUR] Dio, LXIII. pag. 723.

[4] NEAPOLIM] *Naples.*

[5] ARTIS INCUNABULA] *Quòd in eâ* urbe *primùm artem protulerat.* Sueton. in Ner. XXV.

[6] ALBIS EQUIS] Quod Jovi deorum regi patrique ſacrum. Plutarch. in Camill. pag. 132.

[7] HIERONICARUM EST] Sueton. loc. cit. De hoc more Vitruvius, IX, in præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, utì . . . cùm revertuntur in ſuas civitates cum victoriâ, triumphantes quadrigis, in mœnia & in patrias invehantur.*

[8] NEC JOVI] Errat enim Dio, LXIII. pag. 723. cùm ait Neronem primò in Capitolium aſcendiſſe, ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη. Aliter enim Suetonius in Ner. XXV.

[9] AUGUSTI] Sueton. loc. cit.

[10] QUI CORONAS] Quas poſtea in Circo ſuo Vaticano, obeliſco impoſuit.

victoriarum dona, præferrent: mox vecti longo ordine tituli, quibus inſcripti quo loco, quo cantionum, quove fabularum argumento partæ victoriæ: deinde inter citharœdorum turmas ibat Auguſti currus, in quo Princeps ſtans veſte purpureâ, diſtinctâ ſtellis aureis chlamyde, capite coronam olympiacam, dextrâ Pythiam gerebat, retro ſtante in eodem curru Diodoro citharœdo [1]. Ponè ſequebatur, ovantium ritu, plauſorum agmen, « Auguſtanos ſe, militeſque triumphi [2] » clamitantium. Conferta demum civitas ipſique ſenatores, contentis vocibus, ingeminabant, « Io victor Olympice! io victor Pythice, Auguſte! io Neroni Herculi! io Neroni Apollini! io omnium victor, Auguſte! Sacra vox! Fortunati, quîs cæleſtem vocem audire datum! » Ita incedenti [3] paſſim cædebantur victimæ, ſpargebantur odores, aves, lemniſci, bellaria ingerebantur. Per Circum maximum [4], Velabrum Forumque ductâ pompâ, Princeps ad palatium adſcendit, &, Apolline ſalutato, Circenſes indixit [5]; acriorque rediit ludorum furor: nec in Urbe ſtetit, per provincias quoque pervagatus.

A. U. C. 821.
J. C. 68.

LXV. Remordebat tamen idemtidem memoria turbarum, quas Helius nuntiaverat. Quæſita ex ſuperſtitione [6] remedia, quibus fidem fecit caſus, ſtatim retectâ conjuratione [7], cùm ſummum inſtaret diſcrimen. Nox enim unica reſtabat [8]

numero mille octingentas octo, ὀκτὼ ϗ ὀκτακόσιοι ϗ χίλιοι. Dio, LXIII. pag. 724.

[1] Diodoro Citharœdo] Dio, LXIII. pag. 723.

[2] Militesque triumphi] Sueton. loc. cit.

[3] Ita incedenti] Sueton. loc. cit. *Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias idemtidem croco, ingeſtæque aves, ac lemniſci, & bellaria.* Moris enim erat in ludorum triumphis coronas, lemniſcos, aliaque id genus munuſcula, injici, tantâ quandoque copiâ, ut haud procul periculo eſſent victores. De lemniſcis, Plinius, XXI, 3. *Craſſus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit. Acceſſeruntque & lemniſci, quos adjici ipſarum coronarum honos erat, propter Etruſcas, quibus adjungi niſi aurei non debebant.* Lemniſcos Gallicè dicimus, *des rubans.*

[4] Circum maximum] *Diruto etiam Circi maximi arcu.* Sueton. in Ner. XXV.

[5] Circenses indixit] Dio, LXIII. pag. 724.

[6] Ex superstitione] Ac maximè ex Aſtrologiâ, cultuque icunculæ puellaris. Vide Suetonium in Ner. XXXVI. & LVI.

[7] Conjuratione] Hæc fortè Viniciana conjuratio, Beneventi conflata, de quâ Suetonius in Ner. XXXVI.

[8] Unica restabat] Id ceteraque conjurationis habet Plutarchus, Tom. II. de Garrulitate, pag. 505.

A. U. C. 821. J. C. 68. Neroni. Qui facinus patrare in ſe receperat, fortè theatrum petiit, & pro foribus vidit vinctum hominem, miſerabiliter ejulantem, quòd ad Neronem eſſet ducendus. Ille, miſericordiâ incertum, an jactantiâ, nimiâve ſilentii mole preſſus, miſero propinquat, & in aurem inſuſurrat: « Dura ad craſ»tinam diem; cras mihi gratiam referes ». Hic novitate ſpei arrectus, verbaque ſecum reputans, atrocia introſpicit, paratque indicium, in quo ſalutis certa, plurima fortunæ ſpes. Ut coram Nerone adſtitit, audita refert. Reus, confeſtim in vincla raptus, tormentis ſubditur. Adversùm verbera & ignes primùm pervicax, factum negat: ſed ſupplicii diuturnitate victus, ægre prolato, quod leviter prodiderat, ſe ſocioſque eamdem in ruinam detrudit. Multo ſanguine expiatâ conjuratione, ſuperſtitionis, cujus inſtinctu detecta credebatur, apud Principem crevit honos: addidit haruſpicum extiſpicia [1], ut major accederet ſecuritas.

LXVI. Incolumitati cùm ita fuiſſet conſultum, intentior fuit libidinum cura. Juvit eas abſcondere Neapoli, quòd ibi plus deliciarum, minus periculi. Vigebant maximè, quando gravior exorta eſt procella, quam nec ſuperſtitio, nec vis Principis, nec continuata tot annos Cæſarum reverentia averteret. Initium habuit in Galliis. Provinciam pro prætore obtinebat C. Julius Vindex [2], Aquitanus [3], ſtirpe regiâ oriundus, animi conſiliique ingens, tantò acrior, quòd pluribus a vitiis integer. Illi non avaritia, non ambitio, non invidia, ſed laudis cupido, libertatis ſtudium, propudioſi Principis odium, cujus flagitia pertæſus, publicum dedecus propulſandi impetum cepit.

[1] Extispicia] Sueton. in Ner. LVI. De haruſpicibus extiſpicis jam dictum ſuprà, Annal. XI, 15.

[2] C. Julius Vindex] Hæc, & quæ de Vindice ſequuntur, produnt Dio, LXIII. pag. 724. Sueton. in Ner. XL. Plutarch. in Galbâ pag. 1054. Perperam tamen Plutarchus Ἰούνιος Οὐίνδιξ pro Ἰούλιος. Quomodo Vindex ficto pallore Neronem in teſtamenti ſpem erectum deceperit, favorem hoc aſtu emercatus, docet Plinius, XX, 14. Cuminum *pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcii Latronis, clari inter magiſtros dicendi, aſſectatores, ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos: & paulo antè Julium Vindicem aſſertorem illum a Nerone libertatis, captatione teſtamenti ſic lenocinatum*. Nummum Vindicis, ſed ſpurium, protulit Mediobarbus, pag. 97. ex ſtradâ.

[3] Aquitanus] Mela II, 2. *A Pyrenæo ad Garumnam Aquitania.*

A. U. C. 821. J. C. 68.

LXVII. Gallorum quidem certus, ſed deſtitutus legionum auxilio, Sulpicium Galbam, Citerioris Hiſpaniæ [1] rectorem, nobilitate, opibus, rebus in Germaniâ & Africâ geſtis, apud legiones auctoritate, averſâ a Principe voluntate, ad maturanda auſa non inhabilem ſollicitat; ſcriptiſque literis, orat ut « humano generi aſſertorem ducemque ſe accommodet [2] : ad partes juvandas centum millia Gallorum parata [3] ; plures mox adfuturos, tantùm ne aſpernetur Principatûs ſpem, non quæſitam, ſed oblatam ». Simul ſcriptum aliis exercituum provinciarumve rectoribus, ut cœptis faverent, ſaltem ne obſiſterent. At hi, in præſentem fortunam intenti, tantò ſollicitiùs literas Neroni miſère, quantò avidiùs, eo ſublato, primas exitii partes & præmia ſibi poſtea vindicavere [4]. Galba autem, diſſimulans quid tale ſibi fuiſſe ſcriptum, reſtitit [5] ; ſed cautè magis, quàm moderatè.

LXVIII. Ut ſenſit Vindex Galbam velle impelli, ipſe in Gallorum conventu defectionem cœptat, queſtus [6] : « Nulla manere Imperii jura : omnia ſceleri patere : per omne nefas hominibus inludi : provincias latrociniis, domos cædibus vaſtari. Hæc imperare Neronem, qui per Cæſareæ ſtirpis excidium ad publicam ruinam ſe accinxerit; ne matrem quidem reveritus. Atrox facinus! nî morte fuiſſet digna, quæ talem peſtem edidiſſet. Illum tantò inclementiùs nunc ferocire, quòd unus e Cæſarum domo ſuperſtes, nec æmulum, nec ultorem timeat. Sed neminem diu vixiſſe omnibus infenſum. Jam Orientem turbari : Britannos lacertos moviſſe : legiones affectum exuere : majeſtatem ipſam, maximum Principum munimentum, Neroni odioſam eſſe. Se,

[1] Citerioris Hispaniæ] Tacit. Hiſt. I, 49. Sueton. in Galbâ VIII. Citerior Hiſpania, quæ & Tarraconenſis, de quâ ſuprà Annal. IV, 45. Hodie *les deux Caſtilles, les Royaumes de Murcie, d'Aragon, de Valence, la Catalogne, la Navarre, la Biſcaye, les Aſturies & la Galice.*

[2] Se accommodet] Sueton. in Galbâ IX.

[3] Centum millia Gallorum parata] Plutarch. in Galbâ pag. 1054.

[4] Vindicavere] Plutarch. loc. cit.

[5] Restitit] Neque ſtatim Vindici credulus, neque Neroni fidus. Plutarch. ibid.

[6] Questus] Hanc Vindicis orationem habet Dio, LXIII. pag. 724 & 725.

A. U. C. 821. J. C. 68.

»ſemet vidiſſe portentum illud, flagitiis commaculatum, in »ſtuprorum & theatrorum propudia reſolutum, citharœdi »gloriâ inſanum ſimul & indignum. Cur ergo Cæſaris, Prin»cipis, Auguſti titulis, quos Divus Auguſtus virtutibus, divus »Claudius beneficiis ſunt conſecuti, infamem Ahenobarbum [1] »condecorarent! Vocarent illum Thyeſten, Œdipum, Alc»mæonem, Oreſten [2], quoniam parricidialibus & inceſtis »nominibus gloriaretur. Ecquid in hujus veneratione perſeve»rarent, qui nullâ Imperii, ſolâ libidinum vi ſubnixus, ge»neri humano bellum indiceret! Majores eorum prædæ cupi»dine olim Romam expugnaſſe. Id quidem in hac temporum »barbarie fuiſſe egregium. At nunc, ubi vigent humanitatis »honoriſque ſtudia, penes ipſos eſſe melioris & immortalis »nominis gloriam. Orbi ſuccurrerent: ſe Romamque in li»bertatem vindicarent. Eò ventum eſſe, quò ceteræ gentes, »malis victæ, iſtud decus certatim forent affectaturæ. Incœp»ti laudem ſibi præripi ne ſinerent».

LXIX. Magno fremitu & plauſu excepta oratio. Mox ſuas in civitates quiſque alacres diſceſſere, ſtrenuam promptamque operam polliciti. Vindex autem novas ad Galbam literas miſit quibus, nuntiatâ Gallorum voluntate, ejus animos ſpeſque inflaret. Hæſitabat adhuc Galba; terrebantque amicorum ejus plurimi, quòd « quomodo res Vindicis verterent, »quæ eſſet Urbis inclinatio [3], opperiendum » cenſerent. At fiduciam addidit T. Vinius [4], horum præcipuus, & rerum novarum, prædæ ſpe magis, quàm in Galbam ſtudio, cupidus. Dixit « ſupervacuam conſultationem: furioſorum eſſe, »utrùm in Neronis fide perſtarent, quærere». Tum ad Galbam converſus, « Videret ipſe, cùm publicus hoſtis ſit Ne»ro, malletne Vindicem fortunæ adjutorem habere, an Vindici »bellum indicere; qui eum potiùs optaret Principem, quàm

[1] Ahenobarbum] Nero filius erat Domitii Ahenobarbi. Vide Stemma Cæſarum, num. 34.

[2] Thyrsten . . . Oresten] Tragœdiarum nomina, quarum perſonas agebat Nero.

[3] Urbis inclinatio] Plutarch. ibid.

[4] T. Vinius] Plutarchus ibid. Τίτος Οὐίνιος. Malè Interpres Latinus, *Titus Junius*.

Neronem tyrannum [1] ».

A. U. C. 821. J. C. 68.

LXX. His victus videri geſtiit Galba, ſenili ambitione & veteribus auguriis [2], quorum grata durat memoria, a ſummâ ſpe non alienus. Illi etiam cura dudum inerat popularibus ſtudiis animos captare: nec per octo annos (tot enim Hiſpaniam regebat) procuratorum violentiæ ſe umquam accommodaverat: ſolitus quoque [3] iis, qui eorum injuriis erant obnoxii, publicè condolere: probroſa vero adversùs Principem carmina paſſim circumferri recitarive impunè ferebat. Talibus imminutâ Principis auctoritate, ſuam intenderat. Itaque animos ſuas in partes inclinari poſſe ratus, Carthagine novâ [4] provinciæ conventum edixit, quo « manumiſſioni vacaret ». Hæc obtentui. Interea amici, ut creſceret celebritas, favor ſenſim gliſceret, « agi de ſummâ Imperii » ſecretis rumoribus ſpargere. Dicto die, ut primùm Galba tribunal conſcendit, immenſo clamore *Imperator* [5] ſalutatur.

LXXI. At ille, ubi ſilentium fecit, « Neronem, qui ſcelera ſceleribus contexeret, nec niſi per flagitia & funera dominaretur » inſectatus, ſubitò ad nobiliſſimorum quorumque hoc Principatu trucidatorum imagines [6], longo ordine diſpoſitas vertit, & geminato animi ac vocis ardore, « Non meis, » inquit, « verbis, ſed veſtris oculis Neronem » cognoſcite. Contemplamini pallentes tot Cæſarum vultus, » Neronis patrem, matrem, uxorem, fratrem, ſororem, » amitam, propinquos, adfines, veneno, ferro, omnibus » mortis generibus ſublatos ob rabidam regnandi cupidinem. » Circumſpicite Burrum, Lateranum, Veſtinum, C. Caſſium, » Lucium Veterem, & tot Urbis primores ad ſervitutis ſubſi» dium crudeli fato peremptos. Veſtra, veſtra videte ingenia [7],

[1] Neronem tyrannum] Plutarch. ibid. ὅτι σὲ βϐλεται Ῥωμαίϐς ἔχειν ἄρχοντα μᾶλλον ἢ Νέρωνα Τύραννον.

[2] Veteribus auguriis] De quibus multa habet Suetonius in Galbâ, IV & VIII.

[3] Solitus quoque] Plutarch. ibid.

[4] Carthagine nova] Nunc *Carthagene*, in Hiſpaniâ Tarraconenſi.

[5] Imperator] Plutarch. in Galbâ, pag. 1055. πάντες αὐτὸν ὁμοφώνως αὐτοκράτορα προσεῖπον.

[6] Imagines] Sueton. in Galbâ, X. Orationis ſummam habet Plutarchus, loc. cit.

[7] Vestra videte ingenia] Seneca, Lucanus, immortalia Hiſpaniæ decora, Cordubâ, *Cordoue*, oriundi.

A. U. C. 821. J. C. 68.

»Annæum Senecam, ſapientiæ præceptorem & exemplum, »Annæum Lucanum, animoſum juvenem, reipublicæ ſpiritu »plenum, & clariſſimi filii patrem optimum, Annæum Melam, »per invidiam exſtinctos. Has virtutis imagines aſpicite, Thra»ſeam Pætum, Baream Soranum morte multatos, quaſi cum »ipſis virtus eſſet commoritura: Inluſtres feminas, Sextiam, »Pollutiam, Serviliam cernite, nullo pudore, reluctante natu»râ, ad ſupplicia vocatas. Inſpicite ipſam infantiam, culpæ »rudem, pœnis ſubditam; Rufinum Criſpinum [1] ob pueri»tiæ luſus mari demerſum. Hunc, hunc deſpicite tenellum »& nobilem puerum» (infantem monſtrabat in Baleares inſulas [2] a Nerone ejectum, quem inde ipſe retraxerat, ut major exoriretur miſeratio) « ſortis ſuæ æquè ac criminis neſ»cium, numquam civem, jam exſulem. Hæc Neronis faci»nora! hæc monimenta! Apud illum nobilitas, opes, inge»nium, virtus, ſexus, ætas, vita ipſa crimina ſunt. Per hæc »adversùs genus humanum graſſatur. Ruinam omnibus im»minentem jam a Gallis propulſare cœpit Vindex. Alii ab »aliis, ego a vobis avertam. Cæſaris, Imperatoris nominibus »parcite. Me ſenatûs populique Romani legatum [3] eſſe me»mini: hoc mei muneris nomine, Imperii majeſtatem, com»munem omnium ſalutem tueri juvat. Novi me a Nerone »morti deſtinatum [4]. Sed vitam laboribus exercitam, peri»culis finire egregium. Vos tantùm pro patriâ, pro veſtrâ »incolumitate certanti favete». In legati admirationem laudeſque ſecutæ voces innumeræ. Nero odioſis dicteriis cumulatur. Omnia ad libertatis & ſecuritatis munimentum apparantur.

LXXII. Nondum ita ferveſcebant Hiſpaniæ, cùm Italiam

[1] Rufinum Criſpinum] Sueton. in Ner. XXXV. *Privignum Ruſinum Criſpinum, Poppæâ natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piſcaretur, ſervis ipſius demandavit.*

[2] In Baleares insulas] Sueton. in Galbâ, X. *adſtante nobili puero, quem exſulantem ex proximâ Baleari inſulâ, ob idipſum, acciverat.* Hæc inſula hodie dicitur *Mallorca*, quam vulgò pronuntiamus *Majorque.*

[3] Legatum] Sueton. ibid. Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[4] Morti destinatum] Sueton. in Galbâ, IX & X.

A. U. C. 821. J. C. 68.

Italiam pervagatus eſt Galliarum defectionis rumor. Neapolim pervenit die ipſo, quo Nero matrem occiderat [1]. Tamquam lætum fauſtumque aliquid fuiſſet nuntiatum, ſtatim in gymnaſium progredi, certanteſque athletas effuſiore gaudio ſpectare [2], quòd inſperata opulentiſſimas provincias prædandi [3] cauſa occurreret. Verùm tumultuoſiores literæ, ſuper cenam allatæ, iram incuſſere, quam, ut iratis adſolet, ſecuta eſt inertia. Primùm quidem infremere, dira, iis qui deſciſſent, minari: ſed per octo continuos dies nihil reſcribere [4], nihil præcipere; rem atroci ſilentio premere. Querelas tandem elicuere miſſa Vindicis edicta, quibus tantò magis irritabatur Nero, quòd in iis *citharœdi mali* & *Ahenobarbi* nomina ad contumeliam ſæpius repetita [5]. Talibus efferatus, excuſato languore faucium, propter quem non adeſſet, ad ſenatum ſcribit, ut « Vindicis impietatem accuſet: purget objectam ar»tis inſcitiam: gentile nomen [6] approbet ». Patres « in ul»tionem ſuî reique publicæ » hortatus, jubet « per præconem »nuntiari centies ſeſtertiûm [7] iis, qui Vindicem interfeciſ»ſent ». Imbelle remedium, ex quo etiam Vindex gloriam quæſivit; « Neronis caput adferenti ſuum » pollicitus [8].

LXXIII. Interim alii ſuper alios, acerbioreſque nuntii malè tutum Principem ex voluptatum latebrâ excivere. Romam trepidus petiit: at nec periculi magnitudine, nec locorum diverſitate mutatum ingenium. Eadem ſuperſtitio, par levitas. Erupere ipſa inter viarum diverticula; viſoque fortè monumento, quo inſculptus erat Gallus, ab equite Romano oppreſſus, crinibuſque tractus, exſilit gaudio, cæ-

[1] Matrem occiderat] Sueton. in Ner. XL. Poſt medium menſis Martii, cùm quinquatrus celebrabantur. Vide quæ dicta ſunt ſuprà Annal. XIV, 4.

[2] Spectare] Per quatuor quinquatruum dies ludi edebantur, ut patet ex Ovidio, quem laudavimus ad Annal. XIV, 4.

[3] Prædandi] Sueton. in loc. cit.

[4] Nihil reſcribere] Sueton. ibid.

[5] Sæpius repetita] Sueton. in Ner. XLI.

[6] Gentile nomen] Auctor nominis Lucius Domitius: originem, fabulamve, nominis vide apud Suetonium in Ner. I. Domitiorum plerique rutilâ barbâ fuere.

[7] Centies sestertium] Gallicæ monetæ libras 1,945,502. Dio, LXIII. pag. 725.

[8] Suum pollicitus] Dio, loc. cit.

A. U. C. 821. J. C. 68.

lum adorat [1], certiſſimum victoriæ indicium auguratus. Itaque Romam redux, non ſenatum cogere, non populum appellare [2], ſed, quibuſdam e primoribus viris domum evocatis, poſt deſultoriam conſultationem, reliquum diei per organa hydraulica [3] novi & ignoti generis, circumducere: monſtrator ipſe operis, fabricæ partes artemque diſſerens; « Omnia », ut adfirmabat « in theatrum, ſi per Vindicem li» ceat, prolaturus ».

LXXIV. Nam, vel invitus, in Galliarum defectionis cogitationes revolvebatur; eam opprimendi non incurioſus, dum artes ſuæ ſcenicæ pariter valeſcerent. Inter utraſque diſtractus, copias, quas ad clauſtra Caſpiarum adversùs Albanos [4] præmiſerat, reverti jubet: novas in Urbe legit, tribubus Urbanis ad ſacramentum citatis [5]. Cùm nullus idoneus reſponderet, certum dominis ſervorum numerum indixit, nec niſi probatiſſimos [6] recepit. Quaſi verò fatale eſſet non poſſe Gallias debellari, niſi a conſule, ipſe, conſulibus ante tempus magiſtratu abdicatis, ſolus magiſtratum iniit [7]. Hæc militiæ, cetera luxui data. Maxima cura fuit portandis ſcenicis organis vehicula deligere, concubinas, quas ſecum educeret, ad virilem modum tondere, & ſecuribus peltiſque Ama-

[1] Cælum adorat] Sueton. in Ner. XLI. Sic quoque infrà Hiſt. IV, 46. *Cælum ac deos obteſtari.*

[2] Populum appellare] Sueton. ibid.

[3] Organa hydraulica] Sueton. ibid. Dio, LXIII. pag. 726. Cl. Triſtan, *Commentaires Hiſtoriques*, Tom. I. pag. 218, nummos duos publicavit, qui hæc organa hydraulica exhibent. Alter, IMP. NERO CAESAR AVG. P. MAX. Capite laureato, ante caput monogramma E/P. In averſâ parte, LAVRENTIN. AVG. Inſtrumentum hydraulicum, quod homo ſtans tangit ſiniſtrâ, dextrâ tenet ſitulam: ad ſiniſtrum latus organi folia lauri. Alter nummus ferme ſimilis, in averſâ tamen parte non eſt inſcriptio, nec ſitula, nec lauri folia, ſed duo homines ſtant, qui organum tangunt. Videtur prius organum fuiſſe dictum *Laurentinum Auguſti.* Ab artifice, locone, an materiâ laudiſque ſpe, nomen duceret incertum. Monogramma verò inditum mihi videtur poſt Neronis mortem, ut nummus, ad oſtentationem cuſus & vulgatus, loco *PEcuniæ*, vel monetæ, haberi poſſet.

[4] Adversus Albanos] Ut dictum ſuprà cap. 47.

[5] Ad sacramentum citatis] Sueton. in Ner. XLIV.

[6] Probatissimos] Sueton. ibid. *Ne diſpenſatoribus quidem, aut amanuenſibus exceptis.*

[7] Solus magistratum iniit] Sueton. in Ner. XLIII. Laudat tamen Cl. Muratori Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. cccvi. veterem inſcriptionem, Romæ exſtantem, poſitam NERONE V̄ ET TRACHA.. Id eſt *Nerone quintùm & Trachalo conſulibus*; unde ſolus Vinius magiſtratu abdicatus videretur.

A. U. C. 821. J. C. 68.

zonicis inſtruere [1]. Plus in his, quàm in militibus fiduciæ. Auſus etiam jactitare « ſimul ac primùm [2] provinciam attigiſſet, inermem ſe in conſpectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quàm fleturum : revocatiſque ad pænitentiam defectoribus, ſequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ nunc jam ſibi componi oporteret ».

LXXV. Tam facilis victoriæ opinione haud comminuta pecuniarum aviditas. Immo in belli impenſas omnes ordines partem censûs conferre [3]; privatarum ædium atque inſularum [4] inquilini penſionem annuam fiſco repræſentare juſſi. Addita faſtidia, quod potentiorum injuriæ ultimum, nec umquam impune. Mandatum enim exactoribus nihil nummi recipere, niſi aſperum [5], nihil argenti, niſi puſulatum [6], nihil auri, niſi ad obruſſam [7]. Gravis inde exorta invidia, pleriſque collationem recuſantibus, & « a delatoribus revocanda potiùs præmia » clamitantibus : accrevit ex annonæ caritate; ac tandem ſubſecuta indignatio, cùm in publicâ fame Alexandrina navis nuntiaretur frumenti loco pulverem e Nilo luctatoribus aulicis advexiſſe [8]. Plebs, numquam arrogantior, quàm cùm jejuna, in convitia erumpere : alii verbis, ſcriptis alii Principem laceſſere : multi, nocte jurgia cum ſervis ſimulantes, crebrò *Vindicem* poſcere [9].

[1] Instruere] Sueton. in Ner. XLIV.

[2] Simul ac primum] Hæc & ſeqq. iiſdem totidemque verbis Sueton. in Ner. XLIII.

[3] Patrem census conferre] Sueton. in Ner. XLIV.

[4] Insularum] Sueton. ibid. De inſulis, ſeu populi domibus, jam dictum ſuprà XV, 41.

[5] Nisi asperum] Sueton. loc. cit. Id eſt recèns cuſum. Compertum enim, ut obſervat eruditus Fontana, *Templum Vaticanum*, VI, 7. pecunias attritu ita imminui, ut centum pondo fiant aliquot annorum uſu ſex libris leviores. Itaque Nero, ne ea quantitas, quam nos vulgò diceremus *ſix pour cent*, ſibi deperiret, nihil nummi, niſi aſperum, recepit. Nummos verò ita aſperos appellamus, *des médailles à fleur de coin*.

[6] Pusulatum] Sueton. ibid. Argentum eſt puriſſimum. Quò enim purius, eò plures puſulæ.

[7] Ad obrussam] Plin. XXXIII, 3. *Auri experimentum ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, igneſcatque : id ipſum obruſſam vocant.* Videtur autem, ut in Imperio Turcico, quod multa Imperii Romani retinet, purior eſt moneta tum argentea, tum aurea, quæ Conſtantinopoli, quàm quæ Cairi in Ægypto conflatur, ſic quoque puriorem Romæ, quàm in provinciis, conflatam fuiſſe monetam.

[8] Advexisse] Sueton. in Ner. XLV. De hoc uſu pulveris Niliaci dictum ſuprà cap. 38. not. 2.

[9] Vindicem poscere] Sueton. loc. cit. Sicque alludentes, Julium Vindi-

A. U. C. 821. J. C. 68.

LXXVI. Sed fœditatum uſu in Nerone obcalluerat verecundia ; & pro gloriâ habebatur convitiorum patientia. Pudore, extremo Principum præſidio, deſtitutum, & ad injurias patentem attonuit tamen tunc nuntiata Galbæ & Galliarum defectio. Eâ auditâ, corruit exanimis, diuque ſine voce, ac prope intermortuus jacuit [1]. Ut reſipuit, veſte deſciſſâ, converberato capite « actum de ſe » queritur; ſpretiſque ſolatiis nutriculæ [2], « ſimilia aliis Principibus accidiſſe » memorantis, « ſe præter ceteros inaudita & incognita pati » lamentatur, « qui ſuum Imperium vivus amittat [3] ». Sed, ut vanis ingeniis cuncta quoque ſunt vana, terror dolorque ceſſere ; revaluere luxus & deſidia : acriora etiam, quòd proſperi quiddam [4] e provinciis nuntiatum, quódque ſenatus Galbam « hoſtem [5] » judicaverat. Victoria ſtatim cantibus & ludis anteoccupata eſt ; parſque inſanæ lætitiæ fuit templi Sabinæ Poppææ [6] dedicatio. Galbæ bona [7], ſub haſtâ venumdata, in has vanitates abiere. Gallorum verò opes [8], quòd nondum erant domiti, ad prædam reſervatæ.

LXXVII. Hæc Neronis, alia fortunæ deſtinatio. Nil jam in Urbe reliquum, niſi Principis nomen. Vis Imperii in Hiſpaniam tranſierat. Super veterem exercitum [9] penes Gal-

cem, libertatis apud Gallos adſertorem, invocabant.

[1] Intermortuus jacuit] Hæc & ſeqq. Sueton. in Ner. XLII.

[2] Nutriculæ] Sueton. ibid. Eademne, quæ a Suetonio in Ner. XXXV, *nutrix* dicitur ; mater Cæcinæ Tuſci, de quo plura infrà Hiſt. III, 38.

[3] Vivus amittat] Sueton. ibid.

[4] Prosperi quiddam] Sueton. ibid. *Quinimmo, cùm proſperi quiddam ex provinciis nuntiatum eſſet, ſuper abundantiſſimam cenam jocularia in defectionis duces carmina, laſcivéque modulata, quæ vulgò innotuerunt, etiam geſticulatus eſt : ac ſpectaculis theatri clam illatus, cuidam ſcenico placenti nuntium miſit, abuti eum occupationibus ſuis.*

[5] Galbam hostem] Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[6] Sabinæ Poppææ] Uxoris Neronis, quam ictu calcis afflictam, deinde deûm honoribus auctam vidimus ſuprà Annal. XVI, 6 & 21. Auctore Dione LXIII. pag. 726, Nero in hac dedicatione templo inſcripſit : SABINAE DEAE VENERI MATRONAE FECERVNT.

[7] Galbæ bona] Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[8] Opes] Plutarch. ibid.

[9] Veterem exercitum] Sueton. in Galbâ, X. *Deinde*, poſt orationem memoratam ſuprà cap. 71, *juſtitio indicto, e plebe quidem provinciæ legiones & auxilia conſcripſit, ſuper exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, & cohortium trium. Ac e primoribus prudentiâ atque ætate præſtantibus, velut inſtar ſenatûs, ad quos de majore re, quoties opus eſſet, referretur, inſtituit. Delegit & equeſtris ordinis juvenes, qui manente annulo-*

bam aderant novæ legiones, forma quædam ſenatûs, & equeſtris ordinis excubiæ. Auctoritatem intendebant Hiſpanæ Neronis poſſeſſiones, auctionibus ſubditæ [1]. Majus adhuc potentiæ inſtrumentum acceſſit Otho [2], provinciæ Luſitaniæ [3] præfectus, in partes Galbæ tantò pronior, quantò ob veteris injuriæ [4] memoriam Neroni infenſior: argentum aurumque privatum [5] militi in ſtipendium ultro obtulit. Legatorum plerique, exemplum ſecuti, favori occurrere, aut proditarum Vindicis literarum, ut ſuprà retuli, [6] memoriam obliterare nitebantur. Pauci diverſis de cauſis ſuſpenſi & incerti. Clodius Macer, rapinis & cædibus in Africâ adſuetus, imperium neque occupare, neque amittere volebat [7]. In Syriâ Veſpaſianus Judaici belli curâ lentus videri ſatagebat, ne fortunam feſtinatione corrumperet. Legiones inferioris Germaniæ Fonteium Capitonem [8] ad defectionem ſollicitabant, ſed avaritiâ retinebatur. In ſuperiore Germaniâ, invicta, patriæ, non Neronis ſtudio, Verginii Rufi conſtantia; nec a legionibus, vi ſuâ & famâ ducis ferocibus, umquam impelli potuit, ut ſummam rerum acciperet: « Imperium a »ſenatu [9], non a legionibus dari » dictitans. Ideoque Vindici iratus, qui id audaciæ præſumeret, exercitum in Gallias duxit, ne a Gallo homine tantum Imperii dedecus oriretur.

A. U. C. 821. J. C. 68.

LXXVIII. Tum Galliæ erant ſibi diſcordes. Pars nobiliſſima ſimulque validiſſima, Sequani [10], Ædui, & Arverni [11],

rum aureorum uſu, Evocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimiſit, auctor ſingulis univerſiſque conſpirandi ſimul, & ut quâ poſſet quiſque operâ, communem cauſam juvarent.

[1] Auctionibus subditæ] Has enim vendidit Galba, & paratiſſimos emptores reperit, Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[2] Otho] Poſtea Imperator.

[3] Lusitaniæ] Ut dictum ſuprà Annal. XIII, 46.

[4] Injuriæ] Raptæ ſcilicet a Nerone Poppææ.

[5] Aurumque privatum] Quidquid erat argenteæ aureæque ſupellectilis, quæ maxima fuit apud Othonem, Plutarch. in Galbâ, pag. 1061.

[6] Supra retuli] Id jam retuli ſuprà cap 67.

[7] Neque amittere] Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[8] Fonteium Capitonem] Tacit. Hiſt. I, 7.

[9] A senatu] Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[10] Sequani] Nunc *la haute Alſace, le Canton de Baſle, la Franche-Comté, le Bugey, la Breſſe.* De Æduis dictum ſuprà Annal. XI, 25.

[11] Et Arverni] Tacit. Hiſt. I, 51. IV, 17. Arverni, nunc *les dioceſes de Clermont & de S. Flour.*

A. U. C. 821. J. C. 68.

Vindicem ſequebantur. Alii, quorum præcipui Lingones, Remi, & qui Rhenum adcolunt [1] populi, partim provinciali æmulatione, partim veteris ſacramenti uſu, in Neronis fide perſtabant. Viennenſes [2] verò Vindicis partibus ſe immiſcuere, ut municipalia adversùs Lugdunenſes [3] odia licentiùs perſequerentur. Ea erat Galliarum inclinatio, cùm Verginius, Germanicarum legionum viribus, & Belgarum auxiliis [4], Batavorumque alis potens, Gallias intravit. Veſontionem [5] rectà petiit; ingreſſuque prohibitus, obſidionem paravit. Ad urbis præſidium ſtatim adſtitit Vindex. In conſpectu ſtabant acies: duces, amotis ſtipatoribus, in colloquium conſenſere, in quo, ut fuit ſuſpicio, adversùs Neronem fœdus initum [6]. Cùm diſceſſiſſent, Gallicus exercitus urbi propinquavit [7]. Legiones, ratæ Gallos ad pugnam incedere, primo impetu arma expediunt, præliumque ineunt. Tunc viſum atrox ſpectaculum. Nulla ducum imperia [8]: regit militum furor: utrimque miſcentur funera: cædibus creſcit ira: certa internecio, ni Galli, inopinato prœlio turbidi, amiſſis viginti hominum millibus [9], victi tandem ceſſiſſent. Vindex, furens quòd tanta libertatis ſpes caſu vaneſceret, violentas manus ſibi attulit [10]. Reperti tamen, qui, turpiter ingeſtis cadaveri vulneribus, interfectorum gloriam quæſierint.

LXXIX. Legiones verò, confecto unicâ pugnâ bello ſuperbæ, Verginium *Imperatorem* [11] ſalutant, orantque ut « ipſe Princeps fatiſcenti reipublicæ ſubveniat ». Simul imagines Neronis devellunt: « Verginii Cæſaris, Auguſti »,

[1] Rhenum adcolunt] Ac maximè Belgæ, Tacit. loc. cit. Lingones, nunc *les dioceſes de Langres & de Dijon*. Remi, *les dioceſes de Reims & de Laon*.

[2] Viennenses] Tacit. Hiſt. I, 65. Vienna, nunc *Vienne en Dauphiné*.

[3] Lugdunenses] *Pertinaci pro Nerone fide*, Tacit. Hiſt. I, 51.

[4] Belgarum auxiliis] De Belgarum auxiliis & Batavorum alis, infrà Hiſt. IV, 17.

[5] Vesontionem] Dio, LXIII. pag. 725. Veſontio, hodie *Beſançon*.

[6] Fœdus initum] Dio, LXIII, pag. 725. Κατὰ τȣ̃ Νέρωνος, ὡς εἰκάζετο, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλȣς. Tacit. Hiſt. I, 8. *Nec ſtatim pro Galbâ Verginius: an imperare voluiſſet dubium.*

[7] Urbi propinquavit] Dio, loc. cit.

[8] Ducum imperia] Dio, ibid. Plutarch. in Galbâ, pag. 1055.

[9] Millibus] Plutarch. ibid. Tacit. Hiſt. IV, 18. *Batavo equite protritos Æduos Arvernoſque*

[10] Sibi attulit] Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

[11] Imperatorem] Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

nomina ingeminant; eaque unus militum, loco imaginum, ſigno inſcribit. Verginius, Vindicis morte triſtis, & quò res reciderent dubius, extritis literis, hæc ſeditionis monumenta præceps abolere, firmus ſententiæ, « ſenatûs eſſe Imperium dare ». Perculſi milites ſtupent, Neroniſque fidem repetere cogitant. Idem ferme ſenſus locis omnibus, quibus didita Gallorum cladis & Verginii conſtantiæ fama.

A. U. C. 821. J. C. 68.

LXXX. At ubi nuntius Hiſpaniam pervenit, Galbam, recenti unius alæ [1] ſeditione, & ſervilibus inſidiis, inquietem, terror occupavit. Mortem primùm, deinde receſſum meditatur; ſcriptiſque ad Verginium literis [2], quibus eum ad Imperii ſocietatem invitat, Cluniam [3] ſe cum amicis recipit, veteris otii deſiderio languidus, nec quæ temporis forent curans, aut intelligens. Sed ejus inertiam juvit fortuna: hominum ludibriis læta, ſimul Cæſarum domum vertebat, & quem deſtinabat Imperio, terroribus exagitabat. Neronem verò ut perditum iret, luxu & deliciis, quæ unica ſupererant dominationis adminicula, uſa eſt.

LXXXI. Forte unus e turpi ſpadonum grege, inter Principis libidines intimus, ſe injuriam indignè accepiſſe credidit [4]. Per pudenda, utì ſolet id hominum genus, ultionem parat. Secretioribuſque conſiliis, quîs deſtinatum Neroni ſenatum univerſum necare, Urbem iterum incendere [5], feras in populum immittere, auſugere Alexandriam, verè falſóve

[1] Unius alæ] Duas alas habebat Galba, ut dictum ſuprà cap. 77. in not.

[2] Literis] Plutarch. loc. cit. Sueton. in Galbâ, XI.

[3] Cluniam] Malè Plutarchus loc. cit. Κολȣνίαν, corrige Κλȣνίαν; & interpres Latinus *Coloniam*. Plin. III. 3. num. 4, *Clunia Celtiberiæ finis*, urbs clara Hiſpaniæ Tarraconenſis, & conventus juridicus. Videntur adhuc magna rudera, & pars amphitheatri: at in loco ſtat tantùm eccleſia dicta, *Nueſtra Señora de Caſtro*, inter oppida *Coruña del Conde* & *Peñalba*. Cùm imperavit Galba, cuſus eſt Romæ nummus ære magno, SER. SULPI. GALBA. IMP. CAESAR. AUG. P. M. TR. P. Capite laureato. In averſâ parte, mulier ſtans offert Imperatori ſedenti trophæum, HISPANIA CLUNIA SUL. id eſt, *Clunia Sulpicia*; ita ſanè dicta in honorem Sulpicii Galbæ. Infrà S. C. *ſenatusconſulto*. Vide eruditum Florez, *Medallas de Eſpaña*, pag. 372.

[4] Credidit] Dio Chryſoſtomus, orat. XXI. pag. 271.

[5] Iterum incendere] De his atrocibus Neronis conſiliis Dio, LXIII. pag. 726. Zonaras Tom. I. pag. 570. & Suet. in Ner. XLIII. *Senatum univerſum veneno per convivia necare, Urbem incendere, feris in populum immiſſis, quò difficilius defenderetur.*

A. U. C. 821. J. C. 68.

proditis, inevitabile exitium attulit. Nulla antè Principis reverentia; nullus amor, ni fortè apud plebem ludis inſanam, ſed mobilem, & potentiorum infortuniis ſemper lætam: corrupta aut inconſtans exercituum fides: ne certa quidem prætoriarum cohortium ſtudia. Ipſe Petronius Turpilianus [1], ad opprimendum Galbam miſſus, defecerat. Nudus ergo & inermis patebat Nero, cùm ſenatus, opprobriis, patientiâ, periculo atrox, paratam ſibi ruinam in ejus auctorem convertere, totâque legum vi ſævire properavit.

LXXXII. Nero ineluctabili, proviſo tamen, fato circumventus, ſumptum a Locuſtâ [2] venenum in auream pyxidem condidit, & in hortos Servilianos [3] ſeceſſit, comitante imbelli libidinum catervâ. Tum varia animo agitare. Placet fuga dudum meditata; præmiſſiſque libertorum fidiſſimis Oſtiam [4] ad claſſem præparandam, tribunos centurioneſque prætorianos de fugæ ſocietate tentat. Sed partim tergiverſantibus, partim apertè detrectantibus, uno etiam proclamante, « Uſque adeóne mori miſerum eſt »! aliò flexit conſilia; dubius « Parthoſne, an Galbam, ſupplex peteret, an atratus »prodiret in publicum, proque roſtris, quantâ maximâ poſ»ſet miſeratione, veniam præteritorum precaretur; ac, ni »flexiſſet animos, Ægypti præfecturam dari ſibi oraret ». Certè inventus poſtea in ejus ſcrinio hac de infamiâ ſermo formatus. Recitatione deterritum putant, ne, priuſquam ad forum perveniret, diſcerperetur.

LXXXIII. Itaque conſilii incertus, cogitationem in poſterum diem diſtulit. Sed, cum ſomnos non paterentur curæ, ad mediam [5] fere noctem excitatus, ut comperit ſtationem militum receſſiſſe, proſilit e lecto, & mittit circùm amicos. Nihil quoquam renuntiante, ipſe cum paucis hoſpitia ſingulorum adit. At, clauſis omnium foribus, reſpondente

[1] Turpilianus] Zonaras, loc. cit. Tacit. Hiſt. I, 6.

[2] Sumptum a Locusta] Sueton. in Ner. XLVII.

[3] Servilianos] De his dictum ſuprà Annal. XV, 55.

[4] Ostiam] Manet nomen *Oſtia*. Hæc & ſeqq. Suetonius in Ner. XLVII, cujus verba invertere fuit religio.

[5] Ad mediam] Sueton. loc. cit.

nullo,

A. U. C. 821. J. C. 68.

nullo, ſeu ſomnus, ſeu pavor, eos occupaverat, cubiculum prætrepidus repetit. Cuſtodes jam diffugerant, direptis etiam ſtragulis, amotâ & pyxide veneni. Vaſtitate, ſuſpicionibus turbidus, Spicillum mirmillonem [1], vel quemlibet alium percuſſorem, cujus manu pereat, requirit. Ne ad id quidem miniſterii adeſſe quemquam miratus, in ſummæ miſeriæ vocem « ſibi neque amicum eſſe, neque inimicum », erumpit, procurritque quaſi præcipitaturus ſe in Tiberim [2].

LXXXIV. At vitam exoſum, mortis pavidum, ſiſtit inveterata mollities; & aliquid ſecretioris latebræ ad colligendum animum ſuadet. Phaon, libertus [3], ſuum obtulit ſuburbanum inter Salariam & Nomentanam viam [4] circa quartum milliarium. Tantulum manet Principi ſuffugium! Ac quaſi fatale eſſet ſordidè etiam perire, nudo, ut erat, pede, tunicatus tantùm, ſuperindutâ obſoleti coloris pænulâ [5], adoperto capite, & ante faciem obtento ſudario, equum inſcendit; quatuor e tantâ modò turbâ comitantibus, quos inter Sporus [6], ultimum, ut diximus, propudium. Turpis fuga, ſubito tremore terræ [7] & fulgure adverſo damnata, ad novas patet injurias. Proxima itineri caſtra circumſonant clamoribus militum, Neroni adverſa, Galbæ proſpera, ominantium. Ex obviis etiam viatoribus, alter, « Hi Neronem perſequuntur », monſtrat: alter rogitat, « Ecquid in Urbe novi de Nerone »?

[1] Spicillum mirmillonem] Sueton. Ibid. Mirmillones dicebantur, qui in ludis adversùs retiarios pugnabant, eoſque inſequebantur: unde *mirmillones* appellati quoque *ſecutores*. Vetus Scholiaſtes Juvenalis in Satyr. VIII, 200,

Nec mirmillonis in armis.

ait: *Mirmillo armaturæ Gallicæ nomen, ex piſce inditum, cujus imago in galeâ fingitur.* Apud Gruterum pag. cccxxxiv, exſtat Inſcriptio VLPI. FELICIS MIRMILLONIS. VETERANI. Vide quoque eruditum Gori, *Muſeum Etruſcum*, Tom. II. pag. 396.

[2] In Tiberim] Sueton. loc. cit.

[3] Phaon libertus] Sueton. in Ner. XLVIII.

[4] Nomentanam viam] Sueton. ibid. Salaria via a portâ Urbis Collinâ, nunc *Porta Salara*, initium ducebat: via Nomentana a portâ Nomentanâ, nunc *Porta Pia*. Phaontis autem ſuburbanum nunc dicitur, *la Serpentara*.

[5] Pænula] Nobis vulgò, *un manteau*.

[6] Sporus] Alios duos memorat Dio, LXIII. pag. 726. Phaontem & Epaphroditum. Quartum addit Aurelius Victor in Epitome, *Neophytum*.

[7] Tremore terræ] Sueton. in loc. cit.

A. U. C. 821. J. C. 68.

Ipſa reverentia in formidinis cauſam vertit: nam miſſicius [1] quidam prætorianus Principem, detectâ ob ſubitam equi conſternationem facie, agnoſcit, & ſalutationis officio ad deſperationem adigit.

LXXXV. Nec ſpes tantùm fugæ vaneſcebat, ſed primum ejus conſilium cum prætorianis, ut ſuprà memoravi [2], communicatum, jam in exitium ceſſerat. Quippe, mutato ſacramento, Galbam illico fecerant Principem, ducibus Nymphidio & Tigellino [3]. Atque etiam, ne vetus Cæſarum fides recurreret, Nymphidius, per quodque nefas fortunæ ſe inſerendi cupidus, ſub nomine Galbæ prætoriarum & Urbanarum cohortium militibus ſingula tricena nummûm millia [4] promiſerat, legionariis quina millia [5]. Enorme donativum [6], in Galbæ æquè ac Neronis ruinam paratum, ut primam in ſpem veniret Nymphidius; formidoloſo quoque exemplo, in cædes Urbiſque excidium abituro, venale eſſe Imperium, & juxta militum libidinem dari. Ubi per Urbem percrebuit favor militaris, traxit animos ad odium pridem incitatos. Ne in ſenatu quidem quidquam moderati, aut verecundi. Publicis ſtudiis, ſentientium numero, auctoritatis inſolentiâ ad atrociora quæque impellitur. Nec de tollendo Principe, ſed quâ tolli queat turpiore contumeliâ, certatur. Hos inter clamores, Nero « hoſtis [7] » judicatur, « more majorum puniendus ».

[1] Missicius] Prætorianus, *miſſus honeſtâ miſſione*, ut vulgò occurrit in inſcriptionibus. Sic memoratur apud Gruterum pag. MCIX, num. 5.

L. LARGIUS. NONI. F.
SVC. FAVSTVS.
TRIB. LEG. XI. AVG.
ET. MISSICIVS. LEG.
VI. AVG.

In Mſſ. veteribus gloſſis Græcis, Μισσίκιυς, παλαιὸς στρατιώτης ἀπολυθείς. Id eſt *Miſſicius, vetus miles dimiſſus.*

[2] Supra memoravi] Suprà cap. 82.

[3] Nymphidio ac Tigellino] Præfectis prætoriarum cohortium. Plutarch. in Galbâ, pag. 1053.

[4] Tricena nummûm millia] Plutarch. Ibid. δραχμὰς ἑπτακισχιλίας πεντακοσίας. Gallicæ monetæ libras 5835.

[5] Quina millia] Plutarch. ibid. πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ χιλίαις. Gallicæ monetæ libras 972.

[6] Enorme donativum] Quod ſolvere non poterat Galba, quin expenderet Gallicæ monetæ libras 285,162,300, non numeratis ducum præmiis. Exaggerat Plutarchus, ibid. Ὅσον ἀμήχανον ἦν συναγαγεῖν, μὴ πλείονα μυριάκις κακὰ παρασχόντα πᾶσιν ἀνθρώποις, ὧν Νέρων παρέσχε. *Quantam ſummam nemo cogere poterat, quin ſexcenties plus quàm Nero mortales omnes flagellaret.* Multò plura donationibus prodegerat Nero, ut dicetur infrà Hiſt. I, 20.

[7] Nero hostis] Sueton. in Ner. XLIX.

A. U. C. 818. J. C. 65.

Galba verò in Imperium adſcitus [1], non quòd melior, ſed quia Neroni iratior. Tum miſſi equites [2], qui fugitivum Neronem ad ſupplicia vivum attraherent.

LXXXVI. At is per diverticula [3], fruticeta inter ac vepres, occulto effoſſæ cavernæ introitu, in Phaontis ſuburbanum ægre inrepſerat. Nihil ibi priſtinæ dignitatis manet: ſola inhærent vitia, quæ, ut vitam, ſic mortem, infamavere. Corpus, deliciarum uſu fractum, levamenta, quæ offert loci nuditas, aut refugit [4], aut miſerabiliter tolerat. Animo nihil fixum, nihil firmum; impetus tantùm, & ſcenica levitas. Comitibus, ut « quàm primùm ſe impendenti contumeliæ eripiat inſtantibus, annuit: ſed ſcrobem [5] fieri imperat: fruſta marmoris, aquam, ligna, ceteraque funerum parat, flens ad ſingula; atque idemtidem dictitans, « Qualis artifex pereo [6] ».

LXXXVII. Has inter moras perlatos a Phaontis curſore codicillos avidus præripit [7]; lectoque ſe hoſtem a ſenatu judicatum, & quæri, ut more majorum puniatur, interrogat « quale id genus ſit pœnæ ». Comperto nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus duos pugiones, quos ſecum tulerat, arripit; utriuſque acie prætentatâ, rurſus condit, cauſatus « nondum adeſſe fatalem » horam ». Subinde modo Sporum hortari, « ut lamentari ac

[1] Adscitus] Plutarch. in Galbâ, pag. 1056. Dio, LXIII, pag. 727.

[2] Equites] Dio, ibid.

[3] Diverticula] Sueton. in Ner. XLVIII, ut *ad diverticulum* viæ, quæ ad Phaontis ſuburbanum ducebat, *ventum eſt, dimiſſis equis, inter fruticeta ac vepres, per arundineti ſemitam ægre, nec niſi ſtratâ ſub pedibus veſte, ad averſum villæ parietem evaſit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in ſpecum egeſtæ arenæ concederet, negavit ſe vivum ſub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjectâ lacunâ potaturus manu hauſit: &, Hæc eſt, inquit, Neronis decocta. Deinde divulsâ ſentibus pænulâ trajectos ſurculos raſit: atque ita quadrupes per anguſtias effoſſæ cavernæ receptus in proximam cellam decubuit ſuper lectum modicellâ culcitâ, vetere pallio ſtrato inſtructum.* Quæ quidem neque in Annales referre licuit ob exiguitatem, neque hìc ſilere ob hiſtoricam veritatem & ſingulare fortunæ exemplum ac documentum. De decoctâ aquâ, quod Neronis inventum fuit, & ſubtiliſſimum voluptatis adjumentum, plura vide infrà inter Anecdota de Nerone.

[4] Aut refugit] Sueton. loc. cit. *Fameque interim interpellante, panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.*

[5] Scrobem] Sueton. in Ner. XLIX. eam *dimenſus ad corporis ſui modulum.*

[6] Pereo] Sueton. loc. cit.

[7] Præripit] Hæc & ſeqq. Suetonius loc. cit.

A. U. C. 821. J. C. 68.

»plangere inciperet »: modò orare, ut « ſe aliquis ad mortem capeſſendam exemplo juvaret »: interdum ſegnitiem ſuam increpare [1]. Inanibus verbis robur indidit adventantium equitum ſonitus. Tunc, ignominiam exhorreſcens, Homerico verſu [2] trepidanter recitato, ferrum, juvante Epaphrodito [3], jugulo adigit; priùs comites precatus, « ne poteſtas cuiquam »capitis ſui fieret, ſed ut quoquomodo totus cremaretur ». Centurioni, qui mox adſtitit, &, pænulâ ad vulnus appoſitâ, in auxilium ſe veniſſe ſimulabat, ſemianimis reſpondit, « Serò. Hæc eſt fides ». In hac voce [4] defecit, exſtantibus torvéque rigentibus oculis [5], primo & trigeſimo [6] ætatis anno, imperii decimo quarto, optimis initiis, fine peſſimo, execrabili memoriâ.

LXXXVIII. Cadaver cremari permiſit Icelus [7], Galbæ libertus, primo tumultu conjectus in vincula, tunc exſolutus: ſingulari fato in præſens Neroni ſupremæ ſortis arbiter, poſtea Galbæ fortunam corrupturus, & per tam diverſa facinora ſuum in exitium præceps. Modicum fuit funus [8],

[1] Increpare] Sueton. loc. cit. *Interdum ſegnitiem ſuam his verbis increpabat*: Vivo deformiter ac turpiter: ὀ πρέπει Νέρωνι, ὀ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Id eſt, *Non decet Neroni, non decet: nunc juvat alta ſentire: macte animo, excita teipſum.*

[2] Homerico versu] Homer. Iliad. X, 535.

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

Equorum mihi velocium ſonitus aures circumdat:

Aut ut verſio ſit Homero Virgilioque digna,

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

[3] Epaphrodito] Qui Neroni erat a libellis. Sueton. loc. cit.

[4] In hac voce] Sueton. loc. cit. Alia, ſed fortè paulo ante dicta, nec Neronis vanitate indigna refert Conſtantinus Manaſſes, pag. 80.

Αὐτὸν διεχειρίσατο τοῦτ' ἐπειπὼν ἐν τέλει,
Οἷον, ὦ Ζεῦ, κιθαρῳδὸν ὁ βίος ζημιοῦται.

Se ipſe interemit, hæc ſuprema fatus:
Qualem, o Jupiter, citharœdum mortalitas amittit.

[5] Rigentibus oculis] Sueton. in Ner. loc. cit. *rigentibuſque oculis uſque ad horrorem formidinemque viſentium.*

[6] Primo et trigesimo] Sueton. in Ner. LVII. *Obiit ſecundo & trigeſimo ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat.* Conſentiunt quoque in XXXII. anno Eutropius & Aurel. Victor in Epitome. At cùm Nero, teſte Suetonio in Ner. VI, natus ſit XVIII. *Kalendas Januarias*, die 15 Decembris, anno DCCXC: mortuus ſit anno DCCCXXI, V Idus Junias, ſeu die 9 Junii, ut liquet ex Dione, LXVI, pag. 753, certiſſimum eſt Neronem mortuum eſſe anno ætatis ſuæ primo & trigeſimo.

[7] Icelus] Sueton. in Ner. L. Perperam dictus a Plutarcho in Galbâ, pag. 1056. Οὐίκελλος, *Vicellus.*

[8] Funus] Sueton. loc. cit. *Funeratus eſt impenſâ ducentorum millium*, Gallicæ monetæ librarum 38,906, *ſtragulis albis, auro intextis, quibus uſus Kalendis Januarii fuerat.*

A. U. C. 821. J. C. 68.

& intra privati modum. Reliquiæ a nutricibus [1] & Acte concubinâ in gentili Domitiorum monumento [2] conditæ. Sic exſciſa Cæſarum domus, ſuo & libertatis damno per centum & quindecim annos dominata: magnâ virtutum claritate, ſi C. Julii ſublimem, magnificam Auguſti, profundam Tiberii mentem virtutibus annumeraveris: immenſâ verò ſcelerum famâ, publico quoque odio ob Tiberii truculentiam, Caii furorem, ſtoliditatem Claudii, & Neronis improbitatem. Fuſo ſanguine Romano [3], auctoritatem orſa, per nobiliſſimorum quorumque cædes invaluit, donec, furore in ſuos verſo, ad ultimum ſe ipſa confecit, numquam melior, quàm cùm cœpit, nunquam pejor, quàm cùm deſiit.

LXXXIX. Ejus ruinam portendere viſa prodigia plurima [4]; retroacti amnes, prata in contrarias ſedes tranſgreſſa, prolapſa cupreſſus Urbi æquæva, lauri a Liviâ ſatæ, illico aridæ, aliaque id genus: leve libertatis incitamentum, ob ſervitutis adſuetudinem, poſteriorum Cæſarum vitiis validiùs, quàm priorum artibus, coalitam. Pileata [5] tamen diſcucurrit

[1] Nutricibus] Ecloge & Alexandrâ, Sueton. ibid. De Acte dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 12.

[2] Monumento] Monumentum illud proſpicitur e campo Martio impoſitum colli hortorum, nunc *Trinita de monti*. Primis Eccleſiæ ſæculis ſingulares de Nerone opiniones apud Chriſtianos invaluere. Verba enim D. Pauli, Ep. II. ad Theſſalonic. II, 7, *Nam myſterium jam operatur iniquitatis*, de eo interpretati, exiſtimabant Neronem Antichriſtum eſſe, eumque reſurrecturum; immo non eſſe mortuum. Vide Sulpitium Severum, Hiſt. Sacr. libr. II. & D. Auguſtinum, de Civitate Dei, XX, 19. Orta ſanè hæc Neronis odia, quòd tot Chriſtianorum millia falſo incendii crimine exſtinxiſſet, hocque ſupremo anno ineunte DD. Petrum ac Paulum, Chriſtianæ religionis coryphæos, interfeciſſet. Unde in Laterculo Polemei Silvii: *VIII. Kal. Martias, depoſitio S. Petri & Pauli.*

[3] Sanguine Romano] Pharſalicis Actiaciſque in campis, atrocioribuſque proſcriptionibus.

[4] Prodigia plurima] Hæc aliaque prodigia memorant Sueton. in Galbâ, I. Dio, LXIII. pag. 727. Unum referam ob ſingularem tempeſtatis vim. Plin. II, 83, *Non minùs mirum oſtentum & noſtra cognovit ætas, anno Neronis Principis ſupremo, ſicut in rebus ejus expoſuimus, pratis oleiſque, intercedente viâ publicâ, in contrarias ſedes tranſgreſſis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli, equitis Romani, res Neronis procurantis.* Expreſſiùs adhuc idem Plinius XVII, 26. *Super omnia quæ unquam audita ſunt, erit prodigium in noſtro ævo Neronis Principis ruinâ factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli, e primis equeſtris ordinis, oliveto univerſo viam publicam tranſgreſſo, arviſque inde e contrario in locum oliveti profectis.* Marrucinus ager, hodie *le territoire de Chieti dans l'Abruzze citérieure.* De cupreſſu, Urbi æquævâ, de amnibus retro fluentibus, vide Plin. XVI, 44; & II, 103.

[5] Pileata] Sueton. in Ner. LVII. Pileus libertatis inſigne: unde Aurel.

A. U. C. 821. J. C. 68.

plebs, in lætitiæ ſigna præceps ſemper & inconſtans. Mox omnium ſtudia in novi Principatûs ſpem ac fortunam conſpiravere. Præcipua Nymphidii Sabini, prætorianorum præfecti, cura in ſe cuncta trahere [1], ut ante Galbæ adventum firmatâ auctoritate, aut ſecundus in Imperio ageret, aut, ſi ſenex, tres & ſeptuaginta annos natus, itineris defatigatione occumberet, ipſe capeſſeret Imperium: reputans « prætorias cohortes » dudum favorabiles, nunc donativi [2] promiſſo obligatas: pe- » nes ſe eſſe totam liberalitatis gratiam, apud Galbam neceſ- » ſitatem ». Proinde, ne tantas ſpes præcideret Tigellini ſocietas [3], ei gladio interdicit: ſimul conſulares, ceteroſque, qui exercitus provinciaſve olim rexerant, conviviis aliiſque id genus lautitiis occupat. Iiſdem artibus per caſtra gliſcit ambitio: plurimi jactitant « mittendos ad Galbam legatos [4], qui » Nymphidium perpetuum, & ſine collegâ, prætorianorum » præfectum » efflagitent.

XC. Par in ſenatu [5] adulatio. Patres ejus foribus adſidere: beneficentiam laudare: omnibus ſenatuſconſultis auctorem habere. Inde, utì fert hominum natura, orta Nymphidio arrogantia, ſenatui invidia, dein metus. Citò erupere hæc diſcordiarum ſemina. Patres, cùm ſenatuſconſultum [6] ad Galbam per tabellarios ſuos miſiſſent, dedere ſimul diplomata, ſigillo ſuo obſignata, quîs oppida curſum celerarent [7]. Succenſuit Nymphidius, queſtus « Patres nec ſuo ſi-

Victor. in Epitome, *Ceterùm adeò cunctæ provinciæ omniſque Roma interitu ejus*, Neronis, *exſultavit, ut plebs induta pileis manumiſſionum, tamquam ſævo exempta domino, triumpharet.* Plebis verò inconſtantiam notat Suetonius, loc. cit. *Et tamen non deſuerunt qui per longum tempus vernis æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent: ac modò imagines prætextatas in roſtris proferrent, modò edicta, quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri.*

[1] Trahere] Plutarch. in Galbâ, pag. 1056.

[2] Donativi] De quo dictum ſuprà cap. 85.

[3] Tigellini societas] Qui Nymphidii collega erat in præfecturâ prætoriarum cohortium.

[4] Legatos] Plutarch. loc. cit.

[5] In Senatu] Plutarch. ibid.

[6] Senatusconsultum] Plutarchus, ibid. Hoc ſenatuſconſulto non tantùm nova dignitas nuntiabatur, ſed jura quoque, ut in lege Regiâ, de quâ dicemus infrà Hiſt. IV, 6, procul dubio præſcribebantur.

[7] Cursum celerarent] Hanc unam curſum celerandi rationem repererat Auguſtus. Inde apud Romanos curſus publicus, quem Gallicè dicimus *la poſte*, a noſtro uſu & commodo multùm aberat.

» gno, nec prætorianis uſos »: pœnas etiam, ut ſama fuit, repetiturus, ni ſupplices, excuſatâque imprudentiâ, veniam exoraſſent [1].

A. U. C. 821. J. C. 68.

XCI. Tum, nihil non audendum ratus, odiis vulgi per prioris Principatûs ignominiam gratificatur. Raptatæ Neronis imagines [2]. Spicillus, gladiator, cum iis tractus, in foro trucidatur. Acta per corpus Aponii, delationibus infamis, plauſtra, lapidibus gravida. In hac vulgi licentiâ, ſontium & inſontium multitudo adeò promiſcuè perit, ut Mauricus [3], futuri providus, « Urbi promptum Neronis deſiderium » prænuntiaverit. Interim a Nymphidio, ſe Caii Cæſaris filium ementito [4], conſulebatur, ut grata ſemper populo Romano Germanici memoria reviviſceret. Hæc quidem in fortunæ ſpem parata, in exitii cauſas vertêre.

XCII. Galba enim, perlatis mirâ celeritate [5] nuntiis ſe a ſenatu Imperatorem fuiſſe conſalutatum, auditoque Neronis fine, Romam erat profectus [6]: atrox ob diu ancipitem Imperii ſpem, necdum ſatis firmam; quòd, cùm iter faceret, nuntiarentur timerenturque turbæ, in repentinis caſibus ſolitæ. Ob id, neglectâ togâ, paludatus [7], & dependente a cervicibus pugione ante pectus [8], quaſi per hoſtile ſolum iter ingreſſus eſt. Pronus in ſeveritatem, Hiſpaniarum Galliarumque civitates, quibus cunctatior fuerat fides, gravioribus tributis, finium quoque damno [9] attrivit: auctoreſque

[1] Exorassent] Plutarch. ibid.

[2] Neronis imagines] Hæc & ſeqq. Plutarch. ibid. Inde autem non modò ſtatuæ, ſed vera etiam Neronis capita hodie rariſſima ſunt; ut videre eſt apud Cl. Winckelmann, *Hiſtoire de l'Art chez les Anciens*. Tom. II. pag. 291.

[3] Mauricus] Plutarcho, ibid. dictus Μαυρίσκος. At Mauricus, appellabatur; memorandus infrà Hiſt. IV, 40; & in vitâ Agricolæ cap. 45.

[4] Ementito] Plutarch. ibid. Tacit. Annal. XV, 72.

[5] Mira celeritate] Mirâ quidem, cùm Icelus libertus, de quo dictum ſuprà cap. 88, nuntius advenerit ſeptimo die poſt Neronis mortem, ut teſtatur Plutarchus in Galbâ, pag. 1055. Proinde ſeptem diebus confecit ſaltem decies ſexcenta millia paſſuum; quod ſingulis diebus efficit ducenta viginti octo millia paſſuum, ſeu Gallicas leucas 76: biduo pòſt venêre tabellarii, qui ſenatuſconſultum afferebant, Plutarch. ibid: neque ipſi tardi.

[6] Erat profectus] *Depoſitâque legati, ſuſceperat Cæſaris appellationem.* Sueton. in Galbâ, XI.

[7] Paludatus] Paludamentum veſtis erat militaris, ut dictum eſt Annal. XII, 56.

[8] Ante pectus] Sueton. loc. cit.

[9] Damno] Tacit. Hiſt I, 53. *Quaſdam etiam murorum deſtructione*, Sueton.

cunctationis, Obultronius Sabinus [1] & Cornelius Marcellus
A. U. C. 821. J. C. 68. in Hiſpaniâ, Betuus Chilo in Galliâ, occiſi. Simul Principis juſſu, Trebonius Garucianus, procurator, Clodium Macrum [2] in Africâ turbantem interſicit. Fonteius Capito, ambiguis ſtudiis ſuſpectus, in Germaniâ periit, a Cornelio Aquino & Fabio Valente oppreſſus.

XCIII. Formidolosiorem Nymphidium præpropera cupido perditum iit. Cùm ſecundas in Imperio obtinere vanis artibus tentaſſet, Vinio, Lacone, Icelo [3], præpollentibus, & Othone per Vinii favorem ad fortunam ſenſim inrepente, Imperium invadere occupat, Mithridatis Pontici [4] opibus ſubnixus. Illi in prætoriano milite ſpes; & ne imparatus ad id dignitatis accederet, orationem a Cingonio Varrone [5], venali ingenio, in tantum faſtigium ſcriptam, edidicerat. Nox propinqua talibus auſis deſtinabatur. Reſtitit Antonii Honorati, tribuni, fides [6]. Præmonitis enim prætorianis, « tot vices dedecere: præcipitem fuiſſe a Nerone, » licèt ſcelerum reo, defectionem: a Galbâ, novo & lau» dato Principe, probroſam fore: turpe inſuper, ſi Liviæ » adfinem [7] Nymphidiæ filio [8] poſtponerent ». Cùm Nymphidius caſtra adiſſet, ſeu ut ſuâ in fide firmaret animos,

in Galbâ, XII. *Finium damno*, id eſt, ademptis agris; ſic *finium* uſurpatum videbis infrà Hiſt. I, 24. Et civitates publicos agros habebant, ut omnibus compertum.

[1] Obultronius Sabinus] Hæc & ſeq. Tacitus, Hiſt. I, 7 & 37. Sueton. in Galbâ, XI.

[2] Clodium Macrum] De Clodio Macro ejuſque nummis vide infrà Notas & Emendationes ad Hiſt. I, 11.

[3] Vinio, Lacone, Icelo] De his plura infrà cap. 96.

[4] Mithridatis Pontici] Plutarch. in Galbâ, pag. 1058. Mithridates oriundus, ut videtur, Ponti regibus.

[5] Cingonio Varrone] Plutarch. in Galbâ, pag. 1059. Perperam Latinus Plutarchi Interpres eum appellat *Ciconium Varronem*. Jam memoratus eſt Cingonius Varro, Annal. XIV, 45.

[6] Fides] Hæc & ſeq. Plutarchus in Galbâ, pag. 1058.

[7] Liviæ adfinem] Plutarch. ibid. Atque etiam expreſſiùs pag. 1054. ἦν δέ τι καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας. Aliter tamen Suetonius in Galbâ, II. *Neroni Galba ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſarum domum.* At Suetonii verba intelligenda mihi videntur de gradibus conſanguinitatis, non verò de affinitate. Hujus affinitatis fortè teſtis eſt nummus argenteus, qui fuit in Muſeo Collegii Ludovici Magni: IMP. SER. GALBA CAES. AVG. Capite laureato. In parte poſticâ DIVA AVGVSTA. Liviâ ſub effigie Pietatis expreſſâ.

[8] Nymphidiæ filio] Nymphidius, filius Nymphidiæ, &, ut opinatur Plutarchus in Galbâ, pag. 1056. Martiani gladiatoris.

ſeu

ſeu ut ortos fortè motus ſedaret, ipſo in ingreſſu confoſſus occubuit.

A. U. C. 821. J. C. 68.

XCIV. Galba, hâc cæde nuntiatâ, quaſi Imperii paciſque certus, togam ſumpſit [1]: ſed mutato habitu, haud mutata mens. Inerant ſemper ira, diffidentia, injuriarum memoria, ceteraque pavidi animi, in privato homine inhoneſta, funeſta Principi, cujus initia verâ fictâve lætitiâ gratiâque debent clareſcere. Immo plus invidiæ movit cædes Petronii Turpiliani [2], conſularis & triumphalis viri, imperata quòd Neronis dux fuiſſet, & a Tigellino patrata. Atrox quoque viſum, præter Mithridaten & Cingonium [3], conſulem deſignatum, Principis edicto amicos ſociosve Nymphidii inauditos & indefenſos morte mulctari. Molliiſſet tamen intempeſtivam ſeveritatem tutandi Imperii voluntas, aut neceſſitas, ni fuiſſet idem adversùs omnes atque immeritos rigor. Sed cùm legati, a ſenatu miſſi, Narbonem Martium [4], adventaſſent, ut Principi gratularentur, & « quam primùm Romam veniret », orarent, parca fuit civilitas, nihil comitatis. Pari illiberalitate [5] exceptus Verginius, debellato Imperii hoſte, ſpreto Principatu, ſummum honoris promeritus. At felix, qui ob nimiam virtutem parum gratus ſuſpicaci Principi, id in his temporum adverſis eſt adſecutus, ut malorum reipublicæ ſpectator tantùm, non actor, gloriæ ſuæ ſuperſtes, ad ea uſque duraverit tempora, quibus revixit Romana felicitas [6].

XCV. Cruento autem Principis itinere fœdior adhuc adventus. Urbſque horruit Claſſiarios, qui obviàm occurrerant [7], ſibique militiam a Nerone datam [8] ſervari orabant,

[1] Togam sumpsit] Sueton. in Galbâ, XI.

[2] Petronii Turpiliani] Tacit. Hiſt. I, 6. Jam memoratus eſt ſuprà cap. 81. & Annal. XV, 72. Perperam appellatus a Plutarcho in Galbâ, pag. 1059, Πετρώνιος Τερτυλλιανός.

[3] Mithridaten et Cingonium] Plutarch. ibid. De iis dictum cap. ſup.

[4] Narbonem Martium] Nunc *Narbonne*: urbem olim Galliarum clariſſimam.

[5] Illiberalitate] Cauſam affert Tacitus, Hiſt. I, 8. *Nec ſtatim pro Galbâ Virginius*; & Fabius Valens eum cunctationis accuſaverat, teſte Tacito, ibid. cap. 52.

[6] Romana felicitas] Imperante Trajano, ut dicetur, cùm ad hæc tempora devenerimus.

[7] Occurrerant] Ad tertium ferme ab Urbe lapidem, Plutarch. in Galbâ pag. 1059. Vide & Tacitum Hiſt. I, 87.

[8] A Nerone datam] *Ex remigibus*

A. U. C. 821. J. C. 68.

non modò rejici, ſed, qui aquilam ſignaque [1] pertinaciùs flagitaverant, immiſſo confeſtim equite, equorum vi obteri, aut trucidari: ſuperſtites, in Urbis oculis decumari, cuſtodiâve attineri, licèt in fidem acceptos [2]. Amoti etiam prætorianorum plerique [3], ob Nymphidii molimina ſuſpecti. Germanorum cohors, quæ multis fidei experimentis ſe prioribus Cæſaribus in corporis cuſtodiâ approbaverat, tum diſſoluta, ac ſine ullo commodo in patriam remiſſa; quaſi Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat [4], pronior.

XCVI. Talibus non facta ſecuritas, conflata tantùm odia, quæ in dies creſcebant, dum apud ſenem, in pœnas promptum, tardum ad præmia, nullus eſſet gratiæ locus [5], conceſſaque a prioribus Principibus beneficia eriperentur [6]. Inritati adhuc animi, quòd, ſuper Principis vitia, majora ex hominibus, quibus ſe abutendum permiſerat [7], orirentur pericula. Titus Vinius, quem ſuprà memoravi [8], ut favore præcipuus, ſic cupiditate immensâ graſſabatur. Cornelio Laconi, ex adſeſſore [9], præfecto prætorii, arrogantia ſocordiaque intolerabilis. Icelus, libertus, anulis donatus equeſtrique nomine [10], potentiſſimorum olim libertorum opes æmu-

juſtos milites eos *fecerat* Nero, Sueton. in Galbâ, XVI. id eſt legionem fecerat, Plutarch. loc. cit.

[1] Signaque] Aquilam & ſigna legionis.

[2] In fidem acceptos] Tacit. Hiſt. I, 6, 37 & 87. Sic trucidata multa millia inermium & innocentiſſimorum militum. Malè Dio, LXIV, pag. 729, ad prætorianos, δορυφόρυς, retulit, quæ ad claſſiarios pertinere demonſtrant Suetonius & Plutarchus loc. cit.

[3] Prætorianorum plerique] Sueton. in Galbâ, XVI.

[4] Tendebat] Sueton. in Galbâ, XII.

[5] Gratiæ locus] Sueton. in Galbâ, XIV & XV.

[6] Eriperentur] Sueton. ibid. *Judicibus ſextam decuriam adjici precantibus, non modò negavit, ſed etiam conceſſum a Claudio beneficium, ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit . . . Liberalitates Neronis, non plus decimis conceſſis, per quinquaginta equites Romanos eâ conditione revocandas curavit exigendaſque, ut & ſi quid ſcenici aut Xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emptoribus, quando illi, abſumpto pretio, ſolvere nequirent.*

[7] Permiserat] Sueton. in Galbâ, XIV.

[8] Memoravi] Suprà cap. 69. Sueton. loc. cit. Vinius, *mortalium deterrimus*, Tacit. Hiſt. I, 6.

[9] Ex adsessore] Sueton. ibid. Adſeſſores magiſtratibus præſidibuſve in jure dicundo adſidebant. Liberti adſidere poterant. Vide Digeſt. libr. I. Tit. 22. de officio adſeſſorum. Leg. 2. Laco, mortalium *ignaviſſimus*, Tacit. Hiſt. I, 6.

[10] Equestrique nomine] Appellatus nempe *Martianus*, Tacit. Hiſt. I, 13. Ob nuntiatum Imperium incredibili celeritate, ut dictum ſuprà cap. 92, id honorum adeptus, Plutarch. in Galbâ, pag. 1056.

ſabatur. Hos inter, lucri ſpe, & ob ſenium Principis in ruinam præceps, concordia: nec cura, niſi unde citior majorque fortuna pararetur.

A. U. C. 821. J. C. 68.

XCVII. Galba, his obnoxius, non ſuopte ingenio, ſed pro eorum cupidine, regebatur. Per eos ergo licuit ut Helium, Polycletum, Petinum, Patrobium [1], Neronis libidinum miniſtros, plecteret [2]. Tigellinum verò, nequiorem & inviſum magis, at magnâ pecuniarum vi favorem T. Vinii emercatum [3], morti ſubduxit; populumque Romanum, qui eum ad pœnas aſſiduè repetebat, edicto increpuit, quòd « hominem tabe ferme enectum perſequerentur »: flagitabat [4], ne « Principatum ſuum cruentarent, odioſumque » facerent ». Tigellinus, quaſi deûm munere ſervatus, pro ſalute ſuâ litare [5]; magnoque ſumptu paratâ cenâ, Vinii filiæ, alia jam elargitus [6], decies ſeſtertiûm [7] propinare [8]. Pronum credere quàm id fuerit populo ingratum, quæ inde adversùs Galbam invidia. Accedebant tetrica ſenectus, triſtis avaritia [9], præpoſterè tentata [10] Imperii leges moreſque emendandi conſilia, & vana libertatis reſtitutæ [11] oſtentatio. Præterea gliſcebant per exercitus querelæ, quòd donativum [12] ſibi promiſſum fruſtra repoſcerent. Efferavit quoque animos, magnifica, ſed non talis Imperatoris, nec hujus temporis, vox, « legi a ſe militem, non emi [13] ». Sic

[1] Patrobium] Locuſtam, veneficiis famoſam, addit Dio, LXIV. pag. 729.

[2] Plecteret] Plutarch. in Galbâ, pag. 1060.

[3] Emercatum] Plutarch. ibid. Sueton. in Galba XV.

[4] Flagitabat] Plutarch. ibid.

[5] Litare] Plutarch. ibid.

[6] Alia jam elargitus] Quæ inter fuit monile, quod ex pellicum ſuarum primariæ collo detraxit, ut Vinii filiæ daret, æſtimatum πεντεκαίδεκα μυριάδων, Plutarch. ibid. id eſt *ſexcentis millibus nummûm*, Gallicæ monetæ libris, 116,718.

[7] Decies sestertium] Plutarch. ibid. πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἀργυρίου, Gallicæ monetæ libras 194,531. Malè vertit interpres Latinus, *duodecies ſeſtertiûm*.

[8] Propinare] Plutarch. in Galbâ, pag. 1060. πρὕπιεν. Quæ compotationes! quam opulentæ!

[9] Avaritia] Sueton. in Galbâ XII. Dio, LXIV, pag. 728.

[10] Præpostere tentata] Senem imbellemque Principem latebat in Imperiis magna & vetera mala ſanari non poſſe, niſi acerrimo ingenio, viridi ætate, lentiſque remediis.

[11] Libertatis restitutæ] Unde in nummis Galbæ frequenter occurrit LIBERTAS P. R. vel LIBERTAS PVBLICA. vel LIBERTAS RESTITUTA.

[12] Donativum] De quo ſuprà cap. 85.

[13] Non emi] Tacit. Hiſt. I, 5.

coaleſcebant diſcordiarum cauſæ, quæ ſequentem annum
A. U. C. 821. J. C. 68. funeſtavere, amplum hiſtoriæ argumentum [1].

[1] HISTORIÆ ARGUMENTUM] Vide Hiſtoriarum libros, quibus fusè ſplendidéque hoc argumentum Tacitus eſt proſequutus.

NOTÆ

ET

EMENDATIONES

AD SEX POSTERIORES LIBROS

ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM UNDECIMUM

ANNALIUM

C. CORN. TACITI.

ANNALIUM LIBER XI. Mſ. Reg. alium præfert titulum. C. CORNELII TACITI HISTORICI ILLUSTRIS XXX. LIBRORUM QUOS ÆDIDIT FRAGMENTA INCIPIUNT. ET PRIMO LIBER TERTIUS DECIMUS. VIXITQUE SUB DOMITIANO. Fortè alia fuit olim librorum partitio. In Mſſ. tamen Vaticanis & Oxonienſibus vulgò legitur : *Cornelii Taciti actorum diurnalium Auguſtæ hiſtoriæ liber XI.*

CAP. I. A LUCULLO CŒPTOS] Mſſ. & Puteolanus. In editione principe *captos*. Margini Mſ. Harl. adſcriptum *emptos*.

CAP. II. IN OMNI FLAGITIO] Mallet Rhenanus *in omne flagitium*; probatque Erneſtus : nec immeritò. Ferri tamen poteſt *in omni flagitio*.

AC POSTREMUM] Mſſ. Guelf. Harl. & Jeſ. *ad poſtremum*. Latinè quidem, ſed duriter. Mox enim ſequitur *ad quod*.

CAP. III. SED CONSULTANTI] Mſ. Harl. *conſultante*. Mallet Erneſtus *conſultantibus*. Utrumque Latinum. Emendatione tamen non indiget vulgata lectio. Neque hìc omnia hiulca, ut voluit Lipſius.

EI MORTIS ARBITRIUM] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *liberum mortis arbitrium ei permiſit*. Ad aures accommodatè.

QUAM, QUOD . . . CADERET] Gruterus omiſſum vellet, *quòd . . . caderet*. Rectiùs expungeretur *quòd*, ut viſum Gronovio & Erneſto. Haud tamen improbabilis vulgata ſcriptura.

CAP. IV. QUIBUS PETRA COGNOMENTUM] In Mſ. Reg. *quibus præter cognomen*. Editio princeps, *quibus pet cognomen*. Optimè emendavit Puteolanus, *quibus Petra cognomentum*; & ita habent Mſſ. omnes Vaticani. Ab his equitibus cognominata videtur ala Petrina, quæ memoratur infrà Hiſt. I, 70 & IV, 49. Hujus alæ exſtat memoria in vetere lapide apud Brigantas, nunc *Cumberland*, reperto, de quo *Camden's Britannia by, Gibſon.* col. 831.

. . . .
GADVNO
VLP. TRAI
EM. AL. PET.
MARTIVS
F. P. C.

Vide & Gruterum DLXXII. Num. 3.

EM. AL. PETR.

Id eſt, *Emeritus alæ Petrinæ.*

VALERII ET POPPÆÆ] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones omnes veteres. Mendosè in Mſ. Reg. *Veſteris*; & in quibuſdam aliis ſcriptis libris *Neſteris*: unde multi emendavere *Mneſteris*. At hìc de Poppææ & Valerii, non verò Mneſteris, congreſſibus agitur.

GRAVITATEM ANNONÆ] Urſinus & Muretus mallent *caritatem annonæ*; ſicque legitur in Mſ. Reg. Nihil tamen mutaverim propter ceterorum librorum conſenſum, & vocem Annal. VI, 13. jam uſurpatam.

CAP. V. LEGEMQUE CINCIAM] Peſſimè in Mſſ. & veteribus editionibus *legemque Titiam*. *Cinciam* egregiè emendavit Jac. Cujacius, Obſerv. VI, 18.

CAP. VI. FAMAM IN POSTEROS] Mſ. Bodl. & Jac. Gronovius *famam & poſteros.*

NEGOCIA SINT] Ita Jac. Gronovius ex Mſ. Medic. probaturque auctoritate Taciti, Annal. I, 28. *Quin potius, ut noviſſimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus.* In ſcriptis libris vulgò *negotiantur*. Margini Mſ. Bodl. adſcriptum *negotia tueantur*, quod in libris omnibus editis legitur. Suſpectum tamen; ideoque conjectabat Frid. Gronovius, *negotia eant*. Erneſtus, *negotia curentur*.

CAP.

CAP. VII. QUIETA REPUBLICA... PETERE] Ita Pichena & Recentiores. Nec aliter infrà in Dialogo de Oratoribus, cap. 36. In Mſſ. *qui & a republicâ nulla, niſi pacis, emolumenta peterent.*

POSUIT MODUM] Senatuſconſulto modum poſuit, ut optimè vidit Cl. Chiffletius, qui etiam hunc locum ita emendatum volebat: *Hæc ita haud fruſtra dicta Princeps ratus, S C. capiendis pecuniis* poſuit modum. De hoc ſenatuſconſulto audiendus Plinius V. Ep. 21. *Suberat edicto ſenatuſconſultum:* HOC OMNES, QVIDQVID NEGOTII HABERENT, IVRARE, PRIVSQVAM AGERENT, IVBEBANTVR, NIHIL SE OB ADVOCATIONEM CVIQVAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. *His enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes & emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebantur pecuniam dumtaxat decem millium dare.* Decem millia ſeſtertium, & *dena ſeſtertia*, unam & eamdem pecuniæ ſummam ſignificant.

CAP. VIII. VECTUM MEMORAVI] Ita Mſſ. Bodl. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. Sic etiam Annal. XII, 21. *Vectus Romam.* In Mſ. Reg. *perductum.* Editio princeps & Erneſtus *vinctum.*

PROPERAVERAT] In Mſſ. & editis libris *præparaverat.* Emendandum *properaverat* dudum monuere Muretus & J. Fred. Gronovius; ſuadentque latinitas & hiſtoriæ ſeries.

CAP. IX. FRATRIS F. PATEFECIT] Perperam in recentioribus editionibus *fratri patefecerat.* Bardanes non erat frater Gotarzis, ſed filius fratris ejus, nempe Artabani, teſte Joſepho, Antiq. Jud. XX, 3. ipſoque Tacito cap. ſup. In Mſſ. & veteribus editionibus *patefecit.*

CUNCTANTUR] Mſ. Reg. & editio princeps, probatque Erneſtus. Non ita bene Puteolanus & Mſſ. Bodl. & Jeſ. *cunctanter.*

INTER SE CONCEDERE] Sic emendavit Puteolanus, quem omnes ſunt ſecuti. In Mſ. Reg. & editione principe *conceſſerunt.* Mſ. Harl. *conceſſère.*

CAP. X. RECIPERARE ARMENIAM PARABAT] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Beroaldus. Sic Annal. II, 10. *Trans Albim concedere parabant.* In Mſ. Reg. & editione principe *habebat.* Miror verbum in recentioribus editionibus penitùs excidiſſe.

AD AMNEM ERINDEN] Mſſ. *Erindem*, vel *Erinden.* Editio princeps *Eriden.* Mallet Ryckius *Charindam*, Ammiano Marcellino XXIII, 9. memoratum. At nihil juvat in tantâ obſcuritate divinare.

AD FLUMEN SINDEN] Ita Mſſ. & editio princeps, vel *Syndem.* Puteolanus, quem ceteri ſunt ſecuti, emendavit *Gynden.* Verùm cùm Gyndes, & Herodoto I, 189, & Senecæ, de irâ III, 21 laudatus, ſit omnino diverſus, nec conſtet de ſitu Gyndis, de quo Ammianus Marcellinus loc. cit. veterem ſcripturam hìc mutare nefas.

CAP. XI. Ludi sæculares] Ludorum ſæcularium rationes expenderat Tacitus, in libris, quibus res Domitiani ſcripſerat. Iis deperditis, pauca, quæ amiſſa ſuppleant, ſubdendum.

De ludis ſæcularibus.

Sæcularium ludorum originem docet Varro apud Cenſorinum, *de die natali*, Cap. 17. *Cùm multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ ſunt intra portam Collinam & Eſquilinam de cœlo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos quindecimviri adiſſent; renuntiarunt, utì Diti patri, & Proſerpinæ, ludi Terentini in campo Martio fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur; utique ludi centeſimo quoque anno fierent.* At contrà, ut decimo centeſimoque anno repetantur, tam commentarii quindecimvirorum, quàm D. Auguſti edicta teſtari videntur: adeò ut Horatius in carmine, quod ſæcularibus ludis cantatum eſt, id tempus hoc modo deſignaverit:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die clarâ, totienſque gratâ
Nocte frequentes.

Hæc Cenſorinus; qui varias poſtea de annis, quibus editi ſunt ludi ſæculares, veterum ſcriptorum opiniones recenſet. Ego quindecimvirorum rationes, quas tradit, utpote probabiliores, ſequar.

Primi ludi ſæculares editi ſunt anno U. C. CCXCVIII, M. Valerio, Sp. Verginio conſulibus.

Secundi ludi ſæculares fuere anno U. C. CDVIII, M. Valerio Corvino & C. Pætilio conſulibus.

Tertii ludi ſæculares facti anno U. C. DXVIII, P. Cornelio Lentulo & C. Licinio Varo conſulibus. Sic quoque Faſti Capitolini ad hunc annum,

LVDI. SÆCVLARES. TERT.

Vide Cl. Pirneſi, *Faſti conſulares*; & Notas, pag. 19.

Quarti ludi ſæculares ſpectati anno U. C. DCXXVIII, M. Æmilio Lepido & L. Aurelio Oreſte conſulibus. Id quoque ſuadet Horatius ſuprà laudatus.

Quintos ludos ſæculares fecere Auguſtus & Agrippa anno U. C. DCCXXXVII, C. Furnio & C. Junio Silano conſulibus. Nec aliter Faſti Capitolini ad hunc annum,

LVDI. SÆCVLARES. QVINCT.

Id eſt *quinctùm*, ſeu *quintùm*.

Sextos ludos ſæculares fecit Claudius anno U. C. DCCC, ſpretâ ſæculari ludorum lege, & prævalidâ anni ab Urbe conditâ octin-

genteſimi celebritate. Factum ut excuſaret, edixit ſæculares ludos *anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos* fuiſſe, Sueton. in Claud. XXI. *Ipſe* tamen *in hiſtoriis ſuis* prodiderat, *intermiſſos eos Auguſtum multò poſt, diligentiſſimè annorum ratione ſubductâ, in ordinem redegiſſe*, Sueton. ibid.

Teſtatur Plinius VII, 48. *Stephanionem, qui primus togatas ſaltare inſtituit, utriſque ſæcularibus ludis ſaltaſſe, & Divi Auguſti, & quos Claudius Cæſar conſulatu ſuo quarto fecit, quando LXIII & non amplius anni interfuere.* Inde, ut tradit Suetonius loc. cit. *Vox præconis irriſa eſt, invitantis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet: cùm ſupereſſent adhuc qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur.*

De ludis ſæcularibus dicetur adhuc infrà ad annum DCCCXLI, quo Domitianus ſeptimos ſæculares ludos edidit.

MIRACULIS ADSIMULATA] Mſſ. Reg. Agr. & Puteolanus, *aſſimulata.* Haud ita bene in aliis, *aſſimilata*, vel *adſimilata.*

CAP. XII. AMORE DETINEBATUR] Rectè Cl. Erneſtus ex editione principe. Perperam Mſſ. aliique libri editi *diſtinebatur.*

CAP. XIII. P. POMPONIUM CONSULAREM] De quo Plinius VII, 19. Idem eſt ac Pomponius Secundus, quem *vatem civemque clariſſimum* appellat idem Plinius XIII, 12. De eo quoque Quintilianus, Inſtit. Orat. X, 1. *Eorum quos viderim, longè princeps Pomponius Secundus, quem ſenes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præſtare confitebantur.* Vide & Plinium VII, Ep. 17. Pomponius conſul fuit, ſed ex ſuffectorum numero. Eumdem eſſe ac L. Pomponium, de quo infrà Annal. XII, 27 & 28 haud crediderim, ob prænominis diverſitatem.

IN MORTEM PARENTUM] Adoleſcentes filiosfamilias olim circumſcripſerat Lætorius, teſte Tullio, de Offic. III, 15. & Priſciano libr. VIII. fol. 47. vetitumque *minorem annis viginti quinque ſtipulari.* Graſſantem adhuc fœneratorum libidinem coercuit Claudius ſenatuſconſulto Macedoniano, Digeſt. lib. XIV. Tit. 6. Leg. 1. ex Ulpiano: placuit, *ne cui, qui filiofamilias pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, actio petitioque daretur: ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fænerarent, nullius poſſe filiifamilias bonum nomen expectatâ patris ſui morte fieri.* Redivivam licentiâ temporum Neronianorum fœnerandi cupidinem iterum compeſcuit Veſpaſianus, ut dicemus in Supplemento Hiſt. V. ad annum DCCCXXV.

AB SIMBRUINIS COLLIBUS] Claudii magnificentiam in Curtio & Cæruleo fontibus in Urbem perducendis, a Veſpaſiano & Tito reſtitutis, teſtantur adhuc Romæ, ubi nunc *Porta Maggiore*, monumenta plurima, quæ exhibet Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*,

Tom. I. Tabul. XVII. Ibi exſtant Inſcriptiones, quas habet quoque Gruterus, CLXXVI. num. I.

TI. CLAUDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICUS. PONTIF. MAXIM.[1] TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE.[2] AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QUI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV.[3] ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SUA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT.[4]

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P.[1] AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE.[2] PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT.[3]

IM. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC.[1] POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII.[2] AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA.[3] A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.[4]

Ne hiulca foret Inſcriptio, verſus numeris ſunt diſtincti. Erudito Vulpio, *Vetus Latium*, Tom. X. pag. 492 & ſeq. *Simbruini colles* dici videntur, quòd *ſimul imbres* in ſubjectum lacum dimitterent.

CAP. XIV. PER FIGURAS ANIMALIUM] Juvat Tacitum ſequi, & de literis hìc diſquirere.

De Literarum origine.

GRAVIS intricataque quæſtio, quæ prima fuerit apud homines recepta ſcripturæ forma. Rude adhuc ævum figuris animalium mentis ſuæ ſenſus expreſſiſſe ſatìs conſtat. Hujus inventionis laudem, barbaris omnibus, ut opinor, debitam, Ægyptii monumentorum magnitudine & magnificentiâ ſoli obtinuere. Agreſte iſtud ſcribendi genus, quod & difficile eſt, nec niſi paucos breviſſimoſque mentis ſenſus poteſt exprimere, Aſſyrios ad ex-

peditiorem & fecundiorem literarum formam inquirendam excitavit. Hanc tamen gloriam Ægyptii in ſe derivare voluiſſe mihi videntur ; idque innuit Tacitus , ſi ejus verba ritè perpenderis : *Primi per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant (ea antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur) & Literarum semet inventores perhibent.* At cùm nulla exſtent Ægyptiarum harumce literarum monumenta , ab Aſſyriis literis diverſa , aut iis antiquiora , quæ tamen multa ſupereſſe deberent , non immeritò ſcripſit Plinius , vir immenſæ eruditionis , VII , 56. *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe.*

Primigenias illas literas , maximum humani ingenii fetum , omnino diverſas fuiſſe a rotundo illo charactere , quo nunc Hebræa ſcribimus , certiſſimum eſt. Fortè etiam Samaritanis , quibus nunc utimur , paulo rudiores fuere.

Inde autem ſcriptura ad omnes gentes dimanavit , quæ egregium inventum aut ruſticitate non neglexere , aut vanitate non ſunt aſpernatæ. Hac enim ſuperbiâ laboraſſe mihi videntur duo populi , quos inter poſita Aſſyria , Ægyptii & Sinenſes , vitiis ac virtutibus ſimillimi. Sed in utriuſque pœnam vertit ſuperbia. Stupenda enim Ægyptiorum monumenta ignota obſoleſcunt. Sinenſes in enucleandis ſuis characteribus ſemper pueri , conſeneſcunt.

Utrùm autem veteres inter characteres Sinenſes & Ægyptios fuerit ſimilitudo quærunt eruditi. Hanc quidem ſe deprehendiſſe exiſtimavit Cl. Needham in Iſide Taurinenſi & *Lexico* Sinenſi *Tching-tſee-tong*. De hac ſimilitudine interrogati Galli , qui inter Sinenſes multis abhinc annis degunt , eam ſibi incompertam , nec Sinenſibus libris ſatis nixam reſpondêre. Memini quidem me legiſſe quædam omnino mira de veteribus hieroglyphis Sinenſibus , ſed quæ neque eſt hujus loci referre , neque , utpote ab hominibus religione præoccupatis , qui reconditiſſima Chriſtianæ fidei myſteria vetuſtiſſimis Sinenſium hieroglyphis adumbrata imaginabantur , conſcripta , multum auctoritatis obtinerent , neque obtinere debent.

Dum meliora certioraque a Sinenſibus veniant , ſatius erit legere eruditum opus clariſſimorum virorum *Warburthon & Leonard des Malpeines* Pariſiis editum anno 1744 , *Eſſai ſur les Hiéroglyphes Egyptiens.* Noviſſimam & egregiam in eruderandis linguarum primordiis poſuere Cll. de Guignes & Barthelemy. *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions.* Tom. XXXII. pag. 212. Nunc verò quomodo ex Aſſyriis literis formatæ fuerint ceterarum gentium literæ , oculis exhibebit tabula Edwardi Bernardi , cui titulum fecit *Orbis eruditi literatura.* Hanc meliorem auctioremque Londini anno 1759 edidit Cl. *Morton.*

Tres literas adjecit] Literas , ab Imperatore Claudio additas , rem levem , diſceptandam tamen , hic explanabimus.

De Literis a Claudio repertis.

Cladianum inventum teſtatur Suetonius in Claud. xli. *Novas etiam commentus eſt literas tres, ac numero veterum quaſi maximè neceſſarias addidit. De quarum ratione cùm privatus adhuc volumen edidiſſet, mox Princeps non difficulter obtinuit ut in uſu quoque promiſcuo eſſent. Exſtat talis ſcriptura in pleriſque libris, ac diurnis tituliſque operum.*

Ex tribus his literis una occurrit in hujuſce ævi inſcriptionibus. Sic apud Gruterum ccxxxvi. num. 9.

ANTONIAI
AVGVSTAI
DRVSI
SACERDOTI DIℲI
AVGVSTI
MATRI. TI. CLAVDI.

In eâdem inſcriptione legitur viiℲir epvlon. Id eſt *ſeptemvir epulonum.* principi ivℲentvti. id eſt Principi juventutis.

In aliâ inſcriptione, quam dabimus infrà in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

TI. CLAVDIVS
. . . .
POMERIVM
AMPLIAℲIT TERMINAℲIT.

Illud inventum laudat Quintilianus, Inſtitut. Orat. I, 7. *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam ad hos uſus* Ⅎ *literam adjecerat.*

Altera litera fuit antiſigma ↃC, teſte Priſciano Fol. 5. *Huic S præponitur P, & loco* Ψ *fungitur, pro quâ Claudius Cæſar antiſigma hac figurâ* ↃC *ſcribi voluit. Sed nulli auſi ſunt antiquam ſcripturam mutare.*

De tertiâ literâ major controverſia. Immo Cl. Pitiſcus ad locum Suetonii ſuprà laudatum adnotat. *In III literâ hæremus, nec auxilio eſt Grammaticorum manus.* Hac confeſſione, incitatos nos juvat diligentiùs inquirere. Ac primò quidem Martianus Capella innuit tertiam hanc literam a Claudio fuiſſe additam, ut C S Romanorum, aut Ξ Græcorum, exprimeret. Sic enim Capella libr. III. pag. 55. *Huic literæ (S) Divus Claudius P adjecit, aut C propter* Ψ *&* Ξ *Græcas, pſalterium, ſaxa.* Hæc valde obſcura ſunt; nec inde liquet quibus notis P S aut Ψ, & C S aut Ξ Claudius expreſſerit. In hac tamen obſcuritate manifeſtum eſt juxta Capellam Claudium tertiam reperiſſe literam, quâ exprimeret C S, aut Ξ. Vacillare tamen mihi videtur Capellæ auctoritas, quòd Romani haberent literam x, cui eadem ac literis C S & Ξ vis.

Potior ergo mihi videtur Velii Longi ſententia. Porro ſic ille Velius, in *Orthographiâ*, inter Putſchianos rei grammaticæ ſcriptores editâ apud Wechel. anno 1605. *De VIRO vero & VIRTUTE ubi I ſcribitur & pene U enuntiatur. Unde Tiberius Claudius novam quamdam literam excogitavit, ſimilem ei notæ, quam pro aſpiratione Græci ponunt, per quam ſcriberentur eæ voces, quæ neque ſecundùm exilitatem literæ, neque ſecundùm pinguitudinem literæ ſonant, ut in VIRO, VIRTUTE, neque rurſum ſecundùm latum literæ ſonum enuntiarentur, ut in eo, quod eſt LEGERE, SCRIBERE.* Hactenus Velius; cui nonnihil favet Quintilianus, Inſtitut. Orat. I, 4. *Medius eſt quidam V & I literæ ſonus. Non enim ſic OPTIMUM dicimus, ut OPIMUM. Et in HERE, neque E planè, neque I auditur. An rurſus aliæ redundent, præter illam aſpirationis notam Ⱶ, quæ ſi neceſſaria eſt, etiam contrariam ſibi poſcit ⊣.* Nam Quintilianus, ut & Velius, agnoſcit medium quemdam ſonum inter E & I, ut in HERE; inter V & I, ut in *OPTIMUM.* Velius expreſsè ait ad id diſcriminis exprimendum excogitatam eſſe a Claudio literam ſimilem ei notæ, *quam pro aſpiratione Græci ponunt.* Ea nota eſt Ⱶ, tum ex Quintiliano, tum ex Heracleorum nummis, quos videre eſt apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes. Tom. I. pag.* 42. ⱵΗΡΑΚΛΗΙΩΝ. Ergo illa nota Ⱶ eſt tertia Claudii litera. Claudiana autem illa litera, ſicut & antiſigma, in nullis antiquitatis monumentis, quæ hactenus reperta ſunt occurrit. Nec pœnitenda jactura. In iis enim parum curioſitatis, nihil utilitatis.

In ære publicandis plebiscitis] Ita libri omnes editi. Lipſius tamen emendabat *publicandis ſcitis*, hac ratione ductus, quòd nulla fuerint ſub Imperatoribus plebis ſcita, aut juſſa. Eamdem ob cauſam corrigebat Grotius *publicandis plebi Scis*, id eſt, *ſenatuſconſultis.* Ingenioſè quidem; at durum videtur *publicare plebi ſenatuſconſulta.* Nec verum eſt nulla fuiſſe ſub Imperatoribus plebis ſcita, ſeu juſſa. Aliud enim ſuadet ipſe Tacitus Annal. XII, 41. *Sperni adoptionem, quæque cenſuerint patres, juſſerit populus, intra penates abrogari.* Et in lege Regiâ, de quâ nos plura infrà Hiſt. IV, 6. memorantur LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA. SENATVSVE. CONSVLTA. Monuerim quoque legi in Mſ. Reg. *Aſpiciuntur etiam nunc in ære publico plebiſcitis per fora ac templa fixo.* Quod minimè ſpernendum. Sic enim infrà Annal. XII, 53. *Fixum eſt ære publico ſenatuſconſultum.*

CAP. XV. Nomine Italicus] Bene Cl. Erneſtus ex Mſ. Agr. *Italicus.* Hìc Mſſ. & editi libri habent *Italus.* Sed poſtea *Italicus.*

Ex Catumero] Ita Puteolanus & Recentiores. In editione principe, *Actumero.* Mſ. Bodl. *Cactumero* Mſ. Jeſ. *Cacumero.*

CAP. XVI. Ac, si ... quam parentem] In vulgatis libris *At.* Reſtitui *Ac*, Mſſ. Reg. Guelf. & editionem principem ſecutus. Ill,

Huetius jam viderat *At* mendoſum eſſe. *Parenten* quoque habet editio princeps, ut & Cll. Erneſtus & Lallemand. In Mſſ. ceteriſque editionibus *Parentes*.

CAP. XVII. Nec patrem rubori] Sic Mſſ. Flor. Agr. & editio princeps aliæque optimæ. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *nec patrem illi rubori eſſe*.

Dein secunda] Mſſ. Bodl. & Puteol. *dehinc*. Ceteri & optimi *dein*.

Langobardorum] Mſſ. Harl. Bodl. & Jeſ. *Longobardorum*.

CAP. XVIII. Auxiliaris, et diu meritus] Ita Puteolanus; nec malè. In Mſſ. Harl. & Jeſ. *Auxiliaris & ex diu meritus*. In Mſſ. Bodl. Bud. & Agr. *Auxiliaris ex diu meritis*; quod Ryckio placet. In Mſ. Flor. *Auxiliare ex diu meritis*. Editio princeps *Auxiliare esd in meritis*; unde tentavere Mercerus & Gronovius, *Auxiliare æs diu meritus*. Alii aliter & infeliciùs.

Laboris ignavas] Puteolanus ceterique omnes *ignaras*. Reſtitui *ignavas*, ſecutus Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Medic. Reg. Guelf. & editionem principem. Ignavæ enim legiones, non ignaræ. Præterea hæc dicendi ratio Tacito perfamiliaris paſſim occurrit. In Mſ. Jeſ. *laboribus ignavas*. In Mſ. Vatic. 1958. ſcriptum quidem *ignaras*, ſed ſuperſcriptum *ignavas*. Sic infrà cap. 19. in Mſ. Harl. ſcriptum *ignaro Principi*, pro *ignavo*.

An falso jacta] Puteolanus *jacta*, *vel aucta*. Redundant *vel aucta*. In Mſſ. & editione principe *falſo acta*. Mſ. Bodl. *falſo aucta*. Margini additum *acta*. Rectè emendatum *jacta*. Haud enim aliter ſuprà Annal. IV, 7. *Neque raro, neque apud paucos talia jaciebat.*

CAP. XIX. Præsidium immunivit] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *inde munivit*. Tentabat Acidalius *inibi munivit*. Rectè Chiffletius, Lipſius, *immunivit*, quod eamdem vim habet ac *ibidem munivit*, probatque Gronovius ex Suetonio in Tiber. XXXIX. *Incœnante eo*, id eſt ibidem cœnante. Dictum hic *immunivit*, ut ſuprà Annal. VI, 32. *Inſtituta Parthorum inſumit.*

CAP. XX. Ut tamen miles] Bene Mſ. Reg. & editio princeps. Corruptè in Mſ. Flor. *vi*. Perperam Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus *ne tamen*.

In agro Mattiaco] Mſ. Reg. *Matiaco*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *Machiaco*. Rectè emendatum *Mattiaco*. In eodem agro fontes erant, de quibus Plinius XXXI, 2. *Sunt & Mattiaci in Germaniâ fontes calidi trans Rhenum*. Hæc cùm ita ſint, mirum ſanè videbitur Tacitum ſcripſiſſe in libello de Moribus German. V. ſe neſcire utrùm ulla Germaniæ vena argentum aurumve gignat. *Quis enim*

ſcrutatus

ſcrutatus eſt? Sed vel de Germanis Tacitus hìc loquitur, vel cùm hæc ſcriberet, ad Curtium Rufum non attendit. Certè non emendandum *Maciaco*, ut vult Lipſius, qui de Africâ intelligit. Patet ex cap. ſeq. Rufum tunc non fuiſſe in Africâ.

CAP. XXII. De se Novius] Nullum hìc hiatum reperi in tribus Mſſ. Vaticanis. Sed corruptè admodum *dſononi*, *de ſenoni*, *de ſe novi.* In Mſſ. Bodl. Harl. Jeſ. *de ſe novius.* Et puto ſic ſcripſiſſe Tacitum. Casûs varietate orationem, more ſuo, diſtinxit. Eâdem brevitate dixiſſet, *de ſe confeſſus*, *conſcios non edidit.* Sic Florus, I, 1. *Hoc de ſe ſacerdos gravida confeſſa eſt, nec mox fama dubitavit.* Et Tacit. Annal. XIV, 59. *De cæde Sullæ Plautique haud confeſſus.*

Creatique primum] Locus hic mirum in modum ab interpretibus vexatus; & immeritò. Nam ſi ad Taciti narrationem attendatur, nihil culpandum occurrit. Ait Quæſtores, imperantibus regibus, fuiſſe inſtitutos, probatque legis Curiatæ auctoritate, cui ſanè conſentit Ulpianus, Digeſt. libr. I. Tit. 13. *De Officio quæſtoris.* Pulſis regibus, manſit conſulibus poteſtas deligendi quæſtores; nec refragatur Plutarchus in Poblicolâ, pag. 103. Anno LXIII poſt pulſos reges, U. C. CCCVIII, quæſturæ honorem mandavit populus. Bene quidem. Sed ante hunc annum quæſtores memorare potuerunt Livius ac Dionyſius. Non eſt ergo cur Lipſius pro *LXIII* annum *XXIII* emendet. Cl. Heineccius, *Antiq. Rom. Juriſprud.* Tom. I. pag. 246. de quæſtorum origine Tacito conſentit.

CAP. XXIII. L. Vipsanio] Ita editiones omnes veteres, Muratori in Faſtis conſularibus & alii. In Mſſ. *Vipſano* aut *Vipſana.* Unde emendavit Cl. Erneſtus *Vipſtano.* In vetere fragmento apud Muratori, Theſaur. Inſcript. Tom. I. pag. CCCV.

C. VIPSTANVS POPLICOL.

At incertum an idem ſit ac L. Vipſanius Poblicola.

Fœdera et civitatem Romanam] Ut intelligatur quæ ſint fœdera, quid civitas Romana, res altiùs repetenda; ac ne lector in evolvendis Taciti libris uſquam hæreat paucis diſquirendum.

De jure Latii, Civitate Romanâ, jure Quiritium, jure Italico, Coloniis, Municipiis, populis liberis, fœderatis, immunibus, ſtipendiariis.

Romani, initâ tandem, poſt diuturnum bellum, cum Latinis pace, iis tribuêre, ut Romanis legionibus immiſti militarent, ibique ho-

nores capeſſerent. Negata verò ſuffragii latio; & magiſtratibus in Urbe interdictum. Hoc *Jus Latii*: quod, cùm ſit inter jura antiquiſſimum, dictum eſt quoque *Jus antiquum Latii.*

Poſtea datum jus ſuffragii & magiſtratus ineundi; ceteraque juris publici permiſſa, cenſus, militia, tributa, vectigalia, ſacra. Hoc *Jus civitatis Romanæ*, ſeu *civitas Romana.*

Conceſſa etiam, quæ juris erant privati, libertas, gens, connubia, jus patrium, jus legitimæ dominationis, dominii, uſucapionis. Hoc *Jus Quiritium.*

Non Latini tantùm, id eſt Latii incolæ, ſed Itali quoque, id eſt, qui inter utrumque mare ad Rubiconem uſque fluvium incolebant, jus a Romanis conſecuti ſunt, quod dictum eſt *Jus Italicum.* Jus illud Italorum videtur primò fuiſſe aliquantò deterioris conditionis, quàm Latinorum: ſed tandem eò recidit ut immunitas a cenſu capitis & ſoli eſſet *Jus Italicum.*

Roma, inter arctiores concluſa fines, cives militeſve aliò deduxit, qui loca ſibi adſignata incolerent. Hæ ſunt *Coloniæ*, quæ Romanis regebantur legibus. Aliæ erant, quibus jus Italiæ dabatur; aliæ, quæ Latinorum; aliæ, quæ civium Romanorum eſſent.

Municipia, ſeu *Municipes*, cives erant Romani, legibus ſuis utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur: nullis aliis neceſſitatibus, neque ullâ populi Romani lege adſtricti, ni populus eorum fundus factus foret.

Liberi populi ſuis gaudebant legibus: levia tantùm & ſponte ad expenſas publicas contribuebant, ſicut & *Fœderati populi*, qui fœdus cum populo Romano inierant. *Immunes* verò *populi*, ab omni publico onere ſoluti. *Stipendiarii*, vectigal certum ſolvebant, *quod ſtipendiarium dicitur; quaſi victoriæ præmium, ac pœnam belli.* Cicero in Verrem III, *6.*

Hæc qui fuſiùs explicata reperire voluerit, adeat eruditos viros, Heineccium, *Antiq. Roman. Juriſprud.* Tom. I. Appendix. capp. 1, 2 & 3, & Florez, *Medallas de Eſpaña.* pag. 85. & ſeqq.

Obſervandum autem hæc omnia, ut donorum natura eſt, pro arbitrio reipublicæ aut Principum, modò liberaliùs, modò parciùs fuiſſe conceſſa. Ita hoc in loco Tacitus memorat primores Gallorum, civitatem Romanam jam pridem aſſecutos, jus adipiſcendorum in Urbe honorum expetere. Nempe civitas Romana nonnumquam ſine hoc privilegio tribuebatur. Unde, teſte Livio IX, 43. *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data: concilia connubiaque adempta, & magiſtratibus præterquam ſacrorum curatione interdictum.*

Juvaret hìc animadvertere quàm fuerit digna totius orbis imperio gens, quæ tot jura, tam ſapienter attemperata, repererit, quibus

populos, ut moribus, ſic meritis, diverſos, quaſi familiam unam regeret. At nobis brevitati ſtudendum. Monuiſſe ſit ſatis.

Senator foret] Emendat Acidalius, probatque Cl. Lallemand. *Quem ultra honorem reſiduis nobilium, aut ſi quis pauper e Latio ſenator, fore?* At melior, & magis Corneliana videtur vulgata ſcriptura.

Ferro vique] Ita Mſſ. Puteolanus *ferro ignique.*

Apud Alesiam] Hìc reperta iv idus Decembris, anno mdclii inſcriptio, quâ nulla exſtat, ut opinor, in Galliâ vetuſtior & illuſtrior. Eam ex exemplari, ad ſe miſſo, ſed properantiùs deſcripto, vulgavit Reineſius, Syntagm. Inſcript. claſſ. 1. num. clxxvi. quam pariter mancam poſtea publicavere D. Bouquet, *Hiſtoriens de France*, Tom. I. pag. 130. & Cl. Danville, *Eclairciſſemens ſur la Gaule*, pag. 494. Lapidem ipſum cùm diligentiùs inviſiſſet Petr. Franc. Chifſletius S. J, animadvertit inferiori lapidis limbo inſcriptam eſſe lineam integram, quæ curioſos hactenus fugerat. Inſcriptionem integram, ut in Mſſ. ejus ſchedis, reperi, juvat hìc edere, ne egregium antiquitatis Gallicæ monumentum integritate ſuâ careat.

TI. CL. PROFESSVS. NIGER. OMNIBVS
HONORIBVS. APVD. AEDVOS. ET
LINGONAS. FVNCTVS. DEO. MORITASGO
PORTICVM. TESTAMENTO. PONI
IVSSIT. SVO. NOMINE. ET. IVLIAE
VIRGVLINAE. VXORIS. ET. FILIARVM
CL. PROFESSAE. ET. IVL. VIRGVLAE
IVL. VIRGVLA. A. SOLO. REPOSVIT

Lapis erat trium pedum & unciarum ſex longitudine, duorum pedum latitudine: unciales pulcherrimæque literæ. Quis verò ſit Deus ille Moritaſgus? Ni me fallat conjectura, ipſe eſt Moritaſgus, rex Senonum, de quo Julius Cæſar, Bell. Gall. V, 52. Illum vel Romani, vel Galli ſacravere: illi, ut Gallorum animos ſibi conciliarent: hi, ut Romanorum ſacra imitarentur.

Quid si memoria eorum] Nullus in Tacito locus deploratus magis: nec ullam ſanitatis ſpem afferunt ſcripti codices. Juvat tamen Vaticanorum librorum ſcripturam, quæ eadem eſt in ceteris omnibus, exhibere, ut inde eruditis conjectandi ſit locus. In Mſ. 1864. *Quid ſi memoria eorum moreretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorumdem per ſe ſatis fruerentur.* In Mſ. 1958 ſupra *moreretur* ſcriptum *memoretur*; loco *per ſe ſatis* ſcriptum *proſtratis*; in margine *per ſe ſatis.* Quàm multa inde divinaverint eruditi, longum & inutile foret referre. Abſurda ſilebo: probabiliora tantum referam, ut ea probet, melioravе tentet lector. Puteolanus edidit, *Quid ſi memoria eorum inoriretur.* At verbum inſolens *inoriretur.* Nec, cùm emendantur ſcriptores, nova verba obtrudenda. Addit Cl. Chiffletius, *qui Capitolium & ar-*

cem Romanam, deorum ſedem perſecuti ſunt. Optimè quidem vidit Cl. Chifflctius a librariis perperam ſcriptum *ara Romana* pro *arce Romana.* Cetera minimè ſunt Corneliana. Haud felicior J. Fr. Gronovius, *quid ſi memoria eorum inoriretur, qui Capitolium & arcem Romanam, mœnibus eorumdem proſtratis?* ſubauditum putat, *obſederint.* Hæc dura; nec proſtrata ſunt Capitolii mœnia: Cl. Lallemand monet legendum cum Jac. Gronovio: *Quid ſi memoriâ eorum moverentur, qui pro Capitolio & arce Romanâ manibus eorumdem proſtrati ſunt? pro Capitolio* idem eſſe ac *ante Capitolium.* Sed certè, *memoriâ eorum moverentur* & *manibus eorumdem proſtrati ſunt* ab uſu ſtiloque Taciti recedere mihi videntur. Diſplicet quoque Ryckius, *Quid ſi memoria eorum innovaretur, qui in Capitolio & arce Romanâ a majoribus eorumdem proſtrati.* Nemo a Gallis in Capitolio proſtratus, *cùm victoribus Gallis captâ totâ urbe, Capitolium tamen atque arcem Diique & homines Romani tenuerint, habitaverint*, teſte Livio V, 51. Voſſii, Heinſii aliorumque emendationibus abſtineo, quæ latinitate aut hiſtoricâ veritate ſatis refelluntur. Cùm nihil ergo occurreret, quod placeret, nec quidquam ſani ex librorum ſcripturâ extrudi poſſet, dum meliora ſuccurrerent, ſuppleri poſſe exiſtimavi, quæ neque hoc loco, nec Taciti mente, indigna mihi viderentur: *Quid ſi memoria eorum renovaretur, qui, Capitolio & arce Romanâ manibus eorumdem fere ſuperatis, pretium populi Romani mille pondo auri fecerint?* Hæc omnia, ut ſuprà in Notis monuimus, conſtant ex Livio V, 39, 47 & 48. Floro, I, 13. Plinio XXXIII, 1. ſect. 5. Loca integra referre ſuperſedeo, quòd jam longior fuerim. Hæc conſulat eruditus lector.

CAP. XXIV. Et statim] Ita Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteribus editionibus *etiam ſtatim.* Mallem *etiam* vel & omitti.

Ita exorsus est] Exemplar hujuſce orationis Claudii, æreâ tabulâ, longâ pedes quinque, uncias octo, latâ pedes quatuor, unciam unam, inciſæ, repertum eſt Lugduni in colle Sancti Sebaſtiani anno mdxxviii, cùm rimandis aquis foderetur terra, ut docet P. De Colonia S. J. *Hiſtoire Littéraire & Antiquités de Lyon*, Tom. I. pag. 134. Cùm eam accuratiſſimè editam vellem, Cl. Beraud, pro ſuâ humanitate, a ſe deſcriptam & cum exemplari collatam ad me tranſmiſit, unde ſincerior, quàm apud Gruterum pag. dii. ipſumque De Colonia, ſervatâ etiam interpungendi ratione, hìc repræſentabitur. Periit, ut mihi videtur, altera tabula, aut forte pars ſuperior hujus tabulæ, in quâ titulus orationis & aliquot erant orationis lineæ. Ipſa etiam, quæ ſupereſt, tabula in duas partes injuriâ temporum diffracta. Nunc, ut licuit, coagmentata, exſtat in Lugdunenſi prætorio, *la maiſon de ville.*

LÆVA PARS TABULÆ.

MAE. RERVM. NOSTR. . . . . SII . . . .

EQVIDEM. PRIMAM. OMNIVM. ILLAM. COGITATIONEM. HOMINVM QVAM. MAXIME. PRIMAM. OCCVRSVRAM. MIHI. PROVIDEO. DEPRECOR. NEQVASI. NOVAM: ISTAM. REM. INTRODVCI. EXHORRESCATIS SED. ILLA. POTIVS. COGITETIS. QVAM. MVLTA. IN. HAC. CIVITATE NOVA. SINT. ET. QVIDEM. STATIM. AB. ORIGINE. VRBIS. NOSTRÆ IN. QVOD. FORMAS. STATVSQVE. RES. P. NOSTRA. DIDVCTA. SIT

QVONDAM. REGES. HANC. TENVERE. VRBEM. NEC. TAMEN. DOMESTICIS SVCCESSORIBUS. EAM. TRADERE. CONTIGIT. SVPERVENERE. ALIENI. ET. QVIDAM. EXTERNI. VT. NVMA. ROMVLO SVCCESSERIT. EX. SABINIS. VENIENS. VICINVS. QVIDEM. SED. TVNC EXTERNVS. VT ANCO. MARCIO. PRISCVS. TARQVINIVS. PROPTER TEMERATVM. SANGVINEM. QVOD. PATRE. DEMARATHO CORINTHIO NATVS. ERAT. ET. TARQVINIENSI. MATRE. GENEROSA. SED. INOPI VT. QVAE. TALI. MARITO. NECESSE. HABVERIT. SVCCVMBERE. CVM DOMI. REPELLERETVR. A. GERENDIS. HONORIBVS. POSTQVAM. ROMAM. MIGRAVIT. REGNVM. ADEPTVS. EST. HVIC. QVOQVE. ET. FILIO NEPOTIVE EIVS. NAM. ET. HOC. INTER. AVCTORES. DISCREPAT INSERTVS. SERVIVS. TVLLIVS. SI. NOSTROS. SEQVIMVR. CAPTIVA NATVS. OCRESIA. SI. TVSCOS. CAELI. QVONDAM. VIVENNAE. SODALIS. FIDELISSIMVS. OMNISQVE. EIVS. CASVS. COMES. POSTQVAM VARIA. FORTVNA. EXACTVS. CVM. OMNIBVS. RELIQVIS. CAELIANI EXERCITVS. ETRVRIA. EXCESSIT. MONTEM. CAELIVM. OCCVPAVIT ET. A. DVCE. SVO. CAELIO ITA. APPELLITATVS. MVTATOQVE. NOMINE. NAM. TVSCE. MASTARNA. EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS. EST. VT. DIXI. ET. REGNVM. SVMMA. CVM. REIP. VTILITATE. OPTINVIT. DEINDE. POSTQVAM. TARQVINI. SVPERBI. MORES INVISI. CIVITATI. NOSTRAE. ESSE. COEPERVNT. QVA. IPSIVS. QVA FILIORUM. EIVS. NEMPE. PERTAESVM. EST. MENTES. REGNI. ET AD. CONSULES. ANNVOS. MAGISTRATVS. ADMINISTRATIO. REIP TRANSLATA. EST

QVID. NUNC. COMMEMOREM. DICTATVRAE. HOC. IPSO. CONSVLARI IMPERIUM. VALENTIVS. REPERTVM. APVD. MAIORES. NOSTROS QVO. IN. ASPERIORIBVS. BELLIS. AVT. IN. CIVILI. MOTV. DIFFICILIORE. VTERENTVR. AVT. IN. AVXILIVM. PLEBIS. CREATOS. TRIBVNOS. PLEBEI. QVID. A. CONSVLIBVS. AD. DECEMVIROS. TRANSLATVM. IMPERIVM. SOLVTOQVE. POSTEA. DECEMVIRALI. REGNO AD. CONSVLES. RVSVS. REDITVM. QVID. IN. DECVRIS. DISTRIBVTVM. CONSVLARE. IMPERIVM. TRIBVNOSQVE. MILITVM. CONSVLARI

IMPERIO. APPELLATOS. QVI. SENI. ET. SAEPE. OCTONI. CREARENTVR. QVID COMMVNICATOS. POSTREMO. CVM. PLEBE. HONORES NON. IMPERI. SOLVM. SED. SACERDOTIORUM. QVOQVE. IAM. SI NARREM. BELLA. A. QVIBVS. COEPERINT. MAIORES. NOSTRI. ET QVO. PROCESSERIMVS. VEREOR. NE. NIMIO. INSOLENTIOR. ESSE VIDEAR. ET. QVAESISSE. IACTATIONEM. GLORIAE. PROLATI. IMPERI. VLTRA OCEANVM. SED. ILLOC. POTIVS. REVERTAR. CIVITATEM

DEXTRA PARS TABULÆ.

. . . . SANE . . . NOVO. . . DIVVS. AVG. . . NO. . . LVS. ET. PATRVVS. TI CAESAR. OMNEM. FLOREM. VBIQVE. COLONIARVM. AC. MVNICIPIORVM. BONORVM. SCILICET. VIRORVM. ET. LOCVPLETIVM. IN. HAC CVRIA. ESSE. VOLVIT. QVID. ERGO. NON. ITALICVS. SENATOR. PROVINCIALI. POTIOR. EST. IAM. VOBIS. CVM. HANC. PARTEM. CENSVRAE MEAE. ADPROBARE. COEPERO. QVID. DE. EA RE. SENTIAM REBVS. OSTENDAM. SED NE. PROVINCIALES. QVIDEM. SI MODO. ORNARE. CVRIAM. POTERINT. REICIENDOS. PVTO

ORNATISSIMA. ECCE. COLONIA. VALENTISSIMAQVE. VIENNENSIVM QVAM. LONGO. IAM. TEMPORE. SENATORES. HVIC. CVRIAE. CONFERT. EX. QVA. COLONIA. INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM. L. VESTINVM. FAMILIARISSIME. DILIGO ET. HODIEQVE. IN. REBVS. MEIS. DETINÉO CVIVS LIBERI. FRVANTVR QVAESO. PRIMO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST. MODO. CVM ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVAE. INCREMENTA. VT. DIRVM NOMEN. LATRONIS. ET. ODI. ILLVD. PALAESTRICVM. PRODIGIVM QVOD. ANTE. IN. DOMVM. CONSVLATVM. INTVLIT. QVAM. COLONIA. SVA. SOLIDVM. CIVITATIS. ROMANAE. CONSECVTA EST. IDEM DE. FRATRE. EIVS. POSSVM. DICERE. MISERABILI QVIDEM. INDIGNISSIMOQVE HOC. CASV. VT. VOBIS. VTILIS. SENATOR. ESSE. NON POSSIT

TEMPVS. EST. IAM. TI. CAESAR. GERMANICE. DETEGERE. TE. PATRIBVS. CONSCRIPTIS. QVO. TENDAT. ORATIO. TVA. IAM. ENIM. AD EXTREMOS. FINES. GALLIAE. NARBONENSIS. VENISTI

TOT. ECCE. INSIGNES. IVVENES. QVOT. INTVEOR. NON MAGIS SVNT PAENITENDI. SENATORES. QVAM. PAENITET. PERSICVM NOBILISSIMVM. VIRVM. AMICVM. MEVM INTER IMAGINES. MAIORVM SVORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE QVOD. SI HAEC. ITA ESSE CONSENTITIS QVID VLTRA. DESIDERATIS QVAM. VT. VOBIS

DIGITO. DEMONSTREM. SOLVM. IPSVM. VLTRA. FINES. PROVINCIAE NARBONENSIS. IAM. VOBIS SENATORES. MITTERE. QVANDO. EX LVGDVNO. HABERE. NOS. NOSTRI. ORDINIS. VIROS. NON. PAENITET. TIMIDE. QVIDEM. P. C. EGRESSVS. ADSVETOS. FAMILIARESQVE. VOBIS. PROVINCIARVM. TERMINOS. SVM. SED DESTRICTE IAM. COMATAE. GALLIAE. CAVSA. AGENDA. EST. IN. QVA. SIQVIS HOC. INTVETVR. QVOD BELLO. PER. DECEM. ANNOS. EXERCVERVNT. DIVOM. IVLIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM. ANNORVM IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE MVLTIS. TREPIDIS. REBVS NOSTRIS. PLVSQVAM. EXPERTVM ILLI. PATRI MEO DRVSO GERMANIAM. SVBIGENTI. TVTAM QVIETE SVA. SECVRAMQVE. A TERGO PACEM. PRAESTITERVNT. ET. QVIDEM. CVM. AD CENSVS. NOVO TVM. OPERE. ET. IN. ADSVETO GALLIS. AD. BELLVM AVOCATVS ESSET. QVOD. OPVS. QVAM. ARDVVM. SIT. NOBIS. NVNC. CVM MAXIME. QVAMVIS NIHIL. VLTRA. QVAM. VT. PVBLICE. NOTAE SINT FACVLTATES. NOSTRAE. EXQVIRATVR. NIMIS. MAGNO. EXPERIMENTO. COGNOSCIMVS

In hac oratione omnia ſatis plana & aperta. Monuerim tantùm vitio ſcriptoris in dextrâ parte tabulæ ſcriptum eſſe *ad cenſus* pro *ab cenſu*. Oſcitanter quoque, aut potiùs antiquè, nam in Inſcriptionibus Mſſque libris nonnumquam occurit *quod formas* pro *quot formas*, *ruſus* pro *rurſus*, *optinuit* pro *obtinuit*, *reiciendos* pro *rejiciendos*. Cetera ſunt accurata. Vixque unum aut alterum antiquitatis monumentum reperietur, in quo minus peccatum ſit.

Verba verò illa, *ne nimio inſolentior eſſe videar & quæſiſſe jactationem gloriæ prolati imperii ultra oceanum*, intellige de Britannicâ Claudii expeditione, de quâ nos diximus in Supplemento ad Annal. IX, 50 & ſeqq. Plus obſcuritatis in iis, *ut dirum nomen Latronis taceam*, *& odi illud palæſtricum prodigium*: puto ſcommata eſſe, quibus maledici L. Veſtinum inſectabantur. De *Druſo*, *patre* Claudii, qui Germaniam ſubegit, vide Stemma Cæſarum, num. 79. Errat Gruterus, qui, quæ de Druſo, Claudii patre, hìc dicuntur, ad Germanicum, Claudii fratrem trahit. Quod addit Claudius, cenſûs Gallici difficultatem *nimis magno experimento cognoſcimus*, huc ſpectat, quòd tum ob Claudii cenſuram in Galliis cenſus renovaretur. De hac ſuâ cenſurâ jam ſuprà egerat, *vobis cum hanc partem cenſuræ meæ adprobare cœpero, quid de eâ re ſentiam rebus oſtendam.*

Nunc vero haud ſiluerim quoſdam eſſe qui Tacitum culpent, quòd Claudii orationem non exſcripſerit, aliam ſuo marte ſuppoſuerit. Iis certè adſentirem, ſi Claudii oratio non eſſet antiqua, enervis, minimè perſuaſibilis. At certè, cùm iis laboret vitiis, Claudius plurimùm debet Tacito, qui talia omiſit, ut re, loco, & Principis majeſtate, digna traderet.

CAP. XXV. Augustus lege Sænia] Tacito teſte, Dictator Cæſar lege Caſſiâ, Auguſtus lege Sæniâ patres ſublegêre. At leges illæ hìc tantùm memorantur. Unde quæ ſint, & a quibus latæ, haud ita compertum. Poſſumus tamen nonnihil lucis mutuari a monumento Ancyrano, apud eruditum Chishull, *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 173, in quo Auguſtus ipſe ſcribit:

PATRICIORVM. NVMERVM. AVXI. CONSVL. QVINTVM.
IVSSV. POPVLI. ET. SENATVS. SENATVM. TER. LEGI.

Patet enim juſſu populi & ſenatûs Auguſtum id egiſſe; ac proinde legem interceſſiſſe. Certè eodem juſſu egit quoque dictator Cæſar, cùm *ſenatum ſupplevit, patres adlegit*, Sueton. in Cæſ. XLI. At lex Sænia nomen habere videtur a L. Sænio, conſule ſuffecto A. U. C. DCCXXIV, cujus memoria exſtat in veteri lapide apud Gruterum. CCIC.

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIUS. *conſules*
K. IVL. C. ANTISTIVS.
EID. SEPT. M. TVLLIVS *Ciceronis filius*.
K. NOV. L. SAENIVS.

Id eſt *Kalendis Novembribus* conſul ſuffectus *L. Sænius*, a quo cognominata lex Sænia. Sic quoque, ut videtur, conſule ſuffecto Caſſio, lata erit lex Caſſia: & ob populi & ſenatûs juſſum leges illæ a conſulibus nomen acceperint. De adlectis patribus vide Cl. Heineccium, *Antiquit. Rom. Juriſprud.* Tom. I. Appendix. cap. I. num. 32.

Jus exuendi ordinis] In Mſſ. *exeundi*. Optimè Lipſius ceterique *exuendi*. Sic Tacit. Annal. III, 17. *M. Piſo exuta dignitate*, & Hiſt. II, 86. *Senatorium ordinem exuerat*. Poetæ tamen *exire* cum quarto caſu dixere: ut Lucretius V. verſ. fin,

Feros exibant dentis adactus.

& Virgil. Æneid. V, 437.

Stat gravis Entellus, niſuque immotus eodem;
Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit.

Civium LVIIII. LXXXIIII. LXXII.] Puteolanus *cenſa ſunt civium* LXVIIII *centena & CXLIIII. millia.* Euſebius in Chronico, *Deſcriptione Romæ factâ ſub Claudio inventa ſunt Civium Romanorum LXIX centena XLIV millia.* Inde in vulgatis Taciti editionibus obrepſit, *cenſa ſunt civium LXIX centena & XLIV millia.* Sed error eſt, ut patet ex Mſſ. & cenſibus ab Auguſto actis. Ego ſum ſecutus Mſſ. Vatic. 1863 & 1864, Mſ. Flor. & editionem principem, in quibus expreſsè, *cenſa ſunt civium* LVIIII. LXXXIIII. LXXII. Id eſt, ut

ut jam in Notis monui, civium 5,984,072. In Mſ. Vatic. 1958. omiſſo intermedio numero, cenſa ſunt civium LVIIII. LXXII. Ita quoque Mſſ. Harl. & Bodl. In Mſ. Jeſ. omiſſum etiam decennium: nam notat tantum LVIIII. LXII. Ex hoc loco, ut ex multis aliis, obſervavi Mſſ.Oxonienſes deſcriptos videri ex Mſ. Vatic. 1958. Mſ. Harleianum collatum fuiſſe cum Mſſ. Vatic. 1863 aut 1864. Unde hìc ejus margini additum LXXXIIII, poſt numerum LVIIII. Verùm, ad lætiora & utiliora progreſſuri, cenſus luſtraque Romanorum expendamus.

De Cenſu Luſtroque Romanorum.

Servius Tullius, rex, circa annum Urbis conditæ CLXXX, cenſum inſtituit, rem tanto futuro imperio ſaluberrimam. Populus enim Romanus digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus; omniaque patrimonii, dignitatis, artium officiorumque diſcrimina in tabulas relata, ac ſi maxima civitas minimæ domûs diligentiâ contineretur. Belli paciſque munia, non viritim, ut antè, ſed pro habitu pecuniarum facta ſunt. Atque ut populus Romanus ſe Marti devotum ſciret, peracto cenſu, omnes cives Romani, equites peditesque, in ſuis quiſque centuriis in campo Martio aderant; ibique exercitus omnis ſuovetaurilibus, id eſt ſue, ove, tauro, Marti immolatis, luſtrabatur. Id appellatum *Luſtrum*: ſingulis quinquenniis renovandum, ut vivida ſemper acriſque virtus ardeſceret. Livius I, 44. Florus I, 6.

Cenſûs cura primùm penes reges, deinde penes conſules fuit. At, conſulibus ad alias curas bellaque intentis, ne optimum inſtitutum periret, creati ſunt anno U. C. CCCX. cenſores. Tanto incremento aucta hæc dignitas, ut morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen; ſenatus, equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejus magiſtratûs; publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani, ſub nutu arbitrioque eſſent. Livius IV, 8.

Hac cenſurâ nihil certè melius utiliuſque umquam repertum; eâque unâ ſemper ſtetiſſet Roma, ſi æterna eſſe valerent imperia, aut ab optimis inſtitutis ferme ineluctabili vi non deſciſcerent mortales. Verùm nonnumquam mutata omiſſave cenſura: ipſaque vitia, modo pietatis, modò Urbis ſplendoris ſpecie, patrocinium quæſiere. Nihil verò cenſuram ac Urbem æque perditum iit, ac civitas Romana, maximum olim & rariſſimum donum, promiſcuè vulgata. Ut intelligatur quàm latè ſenſim irrepſerint, luſtraque ab Imperatoribus condita illuſtrentur, haud pigebit luſtrorum, quorum exſtat memoria, indicem breviter ſubtexere.

Anno U. C. CLXXX. Primum a Servio Tullio conditum eſt luſtrum, in quo *millia* LXXX *civium cenſa dicuntur.* Livius I, 44.

Anno U. C. CCXLV. Pulſis regibus, Valerio & Lucretio conſulibus, cenſa ſunt *centum triginta millia.* Plutarch. in Publicolâ pag. 103.

Anno U. C. CCLXXXVIII. A Quinctio conſule *cenſa civium capita centum quatuor & viginti millia ducenta quindecim dicuntur præter orbos orbaſque.* Livius III, 3.

Anno U. C. CCXCIV. Q. Fabio & L. Cornelio conſulibus, luſtrum decimum. *Cenſa civium capita centum triginta duo millia quadraginta novem.* Livius III, 24.

Anno U. C. CCCX. creati cenſores L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. Livius IV, 8. Luſtrum XI fecere. Faſt. Capitol.

Anno U. C. CCCLXIV. *Capta eſt Roma cum jam capitum liberorum cenſa eſſent* CLII *millia quingenti* LXXII. Plin. XXXIII, 1.

Anno U. C. CDLIX. Cenſoribus P. Cornelio Arvinâ & C. Marcio Rutilo, *cenſa capitum millia ducenta ſexaginta duo trecenta viginti duo.* Livius X, 47. Sed errat Livius, aut potiùs erravere ejus librarii, cùm ſcripſere *luſtrum* hoc fuiſſe *undeviceſimum.* Fuit enim luſtrum XXX, ſeu trigeſimum, ut patet ex Faſtis Capitolinis.

Anno U. C. CDLXXIII. *Cn. Domitius cenſor primus ex plebe luſtrum condidit: cenſa ſunt civium capita ducenta ſeptuaginta octo millia, ducenta viginti duo.* Livii Epitome XIII.

Anno U. C. CDLXXXVIII. Cenſoribus Cn. Cornelio Blaſione & C. Marcio Rutilo II. qui luſtrum fecerunt XXXV. *Inventa ſunt civium capita* CCXCII *millia* CCCXXXIV, *quamquam a condita Urbe numquam ceſſaſſent bella.* Eutrop. libr. II. In Faſtis Capitolinis,

CENS. CN. CORNELIVS. L. F. CN. N. BLASIO. C. MARCIVS. C. F. L. N. RVTILO. II. QVI. L. F. XXXV. IN. HOC. HONORE. CENSORIN. APPEL. E. BELLVM. PVNICVM. PRIMVM.

Anno U. C. DI. Cenſoribus Valerio Meſſallâ & Sempronio Sopho, luſtrum. XXXVII. *Cenſa ſunt civium capita ducenta nonaginta ſeptem millia ſeptingenta nonaginta ſeptem.* Livii Epitome XVIII. Faſt. Capitol.

Anno U. C. DVI. Cenſoribus Atilio Calatino & Manlio Attico, luſtrum XXXVIII. *Cenſa ſunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo.* Livii Epitome XIX.

Anno U. C. DXXXIII. Cenſoribus L. Æmilio Papo & C. Flaminio, luſtrum XLIII. *Cenſa ſunt civium capita ducenta ſeptuaginta millia ducenta tredecim.* Livii Epitome XX. Caſſiodor.

Anno U. C. DXLIV. Cenſoribus Cornelio Cethego & Sempronio

Tuditano, luſtrum XLIV. *Cenſa ſunt civium capita centum triginta ſeptem millia centum & octo.* Livius XXVII, 36. Tantum ſcilicet Romani ſanguinis fuderat Annibal. Præterea in eo luſtro cenſi non videntur cives Romani, qui in exercitibus erant, ut conjicere eſt ex ſequente luſtro.

Anno U. C. dxlix. Cenſoribus Livio Salinatore, & C. Claudio Nerone, luſtrum XLV. *Luſtrum conditum ſeriùs, quia per provincias dimiſerunt cenſores ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique eſſet, referretur numerus. Cenſa cum iis ducenta decem quatuor millia hominum.* Livius XXIX, 37. Faſt. Capitol. Accrevit hic cenſus multitudine ſociorum ac Latini nominis, qui Romam commigravere, ut ibi cenſerentur. Unde exortæ ſociorum querelæ, de quibus Livius XXXIX, 3.

Anno U. C. dlix. Ælio Pæto & Cornelio Cethego cenſoribus, luſtrum XLVII. *Cenſa ſunt civium capita centum quadraginta tria millia ſeptingenta quatuor.* Livius XXXV, 9. Faſt. Capitol.

Anno U. C. dlxiv. Cenſoribus T. Quinctio & M. Claudio Marcello, luſtrum XLVIII. *Cenſa civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo.* Livius XXXVIII, 36. Faſt. Capitol. In hoc luſtro multi adhuc ſocii Latinique nominis Romam demigraverant; unde novæ querelæ, & edictum, de quo Livius XLI, 12. & ſeqq. XLII, 10.

Anno U. C. dlxxix. Cenſoribus Q. Fulvio Flacco & A. Poſtumio Albino, luſtrum LI. *Cenſa ſunt civium capita ducenta ſexaginta novem millia & quindecim.* Livius XLII, 10. Faſt. Capitolin.

Anno U. C. dlxxxix. Cenſoribus L. Æmilio Paulo & Q. Marcio Philippo, luſtrum LIII. *Cenſa ſunt civium capita trecenta viginti ſeptem millia viginti duo.* Livii Epitome XLVI. Faſt. Capitol. Plutarchus autem in Paul. Æmil. pag. 275 ait *cenſa fuiſſe civium trecenta triginta ſeptem millia & cccclii.*

Anno U. C. dxciv. Cenſoribus Cornelio Scipione Naſicâ & Marco Popillio Lænate, luſtrum LIV. *Cenſa ſunt civium trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim.* Livii Epitome XLVII. Faſt. Capitol.

Anno U. C. dxcix. Cenſoribus Valerio Meſſalâ & Caſſio Longino, luſtrum LV. *Cenſa ſunt civium capita trecenta viginti quatuor millia.* Livii Epitome XLVIII. Faſt. Capit. Ab hoc luſtro *ſubverſam* Romæ *pudicitiam*, poſito nempe theatro, prodit Plinius XVII, 25.

Anno U. C. dcxi. Scipione Æmiliano & L. Mummio cenſoribus, luſtrum LVII. *Cenſa civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo.* Livii Epitome LIV. Faſt. Capitolin. Notat Plinius XXXIII, 3. L. Mummii cenſurâ, poſt Carthaginem everſam, laquearia primò inaurata fuiſſe in Capitolio. Inde tranſiere in privatorum *cameras quoque & parietes, qui jam & ipſi tamquam vaſa inaurantur.*

Anno U. C. dcxvii. Appio Claudio Pulchro & Q. Fulvio No-

biliore cenſoribus, luſtrum LVIII. *Cenſa civium capita trecenta viginti tria millia.* Livii Epitome LVI. Faſt. Capitol.

Anno U. C. DCXXII. Luſtrum LIX. Q. *Pompeius & Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti cenſores, luſtrum condidere. Cenſa ſunt civium capita trecenta tredecim millia octingenta viginti tria, præter pupillos & viduas.* Livii Epitome LIX.

Anno U. C. DCXXVIII. Cenſoribus Servilio Cæpione & Longino Ravillâ, luſtrum LX. *Cenſa ſunt civium capita trecena nonaginta millia, ſeptingenta triginta ſex.* Livii Epitome LX.

Anno U. C. DCXXXVIII. Cenſoribus Cæcilio Metello & Domitio Ahenobarbo, luſtrum LXII. *Cenſa ſunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia trecenta triginta ſex.* Livii Epitome LXIII.

Anno U. C. DCLXXXIII. Luſtrum LXVII. *Cn. Lentulus & L. Gellius cenſores aſperam cenſuram egerunt, quatuor & ſexaginta ſenatu motis, a quibus, luſtro condito, cenſa ſunt civium capita quadringenta quinquaginta millia.* Livii Epitome XCVIII. Nec audiendus Phlegon, qui apud Photium, Cod. XCVII. tradit cenſa fuiſſe Romanorum nongenta decem millia. Ῥωμαίων ἀπετιμήθησαν μυριάδες ἐνενήκοντα καὶ μία.

HOC LVSTRVM FVIT REIPVBLICAE SVPREMVM.

Anno U. C. DCCIII. Cenſoribus Appio Claudio Pulchro & Calpurnio Piſone Cæſonino, motus eſt ſenatu Criſpus Salluſtius, ſcriptor florentiſſimus. Dio, libr. XL. pag. 150.

Errat Plutarchus, cùm ſcribit in Cæſ. pag. 733. Julium Cæſarem cenſum egiſſe, & pro trecentis viginti millibus civium, quæ priore cenſu numerata fuerant, in hoc cenſa tantum fuiſſe centum quinquaginta millia. *Tantam*, inquit, *cladem inflixit bellum civile, tantamque populi portionem abſumpſit.* Hæc omnia ſcatent erroribus, in quos tamen iere, Plutarchum ſecuti, Appianus, Bell. Civil. libr. II. pag. 492. Dio, XLIII pag. 226, & ſcriptor Livii epitomes CXV. Julius Cæſar non cives Romanos, ſed ut *præfectus moribus*, plebem, cui dabatur e publico frumentum, recenſuit, & frumentationem emendavit anno U. C. DCCVIII. Unde Suetonius in Cæſ. XLI. *Recenſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.*

Anno U. C. DCCXXV. Auguſtus, cùm cenſoria jura, ut cetera omnia, ad ſe traxiſſet, anno altero & quadrageſimo, poſtquam luſtra defierant, luſtrum condidit, cenſaque ſunt civium quadragies centum millia & ſexaginta tria millia, id eſt 4,063,000 hominum. Teſtis lapis Ancyranus apud eruditum Chiſhull. *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 173. IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM. POPVLI. CONLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGENSIMVM. FECI. QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET.

SEXAGINTA. TRIA. MILLIA. Hìc, ut ſæpe, ineptus eſt Suidas, qui, voce Αὔγουστος, hoc numero omnes orbis Romani incolas contineri exiſtimat. Καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υί μυριάδες καὶ χίλιοι ιζ′ ἄνδρες. Fruſtra adlaborat eruditus Riccioli, *Geographia reform. in fin.* ut Suidam explicet. Scilicet quòd in codice ſuo ab Æmilio Porto emendato legeretur ὕί cum duplici accentu, contendit non 410 myriadas hìc intelligi, ſed 41000 myriadas, ac proinde numerum integrum Suidæ eſſe 410,001,017 Romanorum, quem numerum tunc Imperio Romano parem exiſtimat. At hæc vana, & ab Auguſti cenſu aliena: abſurda adhuc, quòd in Imperio Romano numquam fuit, nec umquam eſſe potuit hic hominum numerus.

Anno U. C. DCCXXXI. Cenſores quidem fecit Auguſtus Paulum Æmilium Lepidum & L. Munatium Plancum. At *alteri vis cenſoris, alteri vita deerat*, Velleius Patercul. II, 95. Eâ Auguſti arte malè & inter diſcordiam acta eſt cenſura; amboque fuere e privatis cenſores ultimi. Auctoritas manſit penes Imperatores, qui & nomen ſæpe uſurpavere.

Anno U. C. DCCXLV. Luſtrum alterum ab Auguſto conditum. Cenſa ſunt civium Romanorum quadragies centum millia & ducenta tria millia, id eſt 4,203,000 hominum. Lapis Ancyranus, loc. cit. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. cenſumque SOLVS. FECI. CENSORINO. & ASINIO. COS. QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM. pita. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIA. millia.

Anno U. C. DCCLXVI. Tertium luſtrum condidit Auguſtus. Cenſa ſunt civium Romanorum quadragies centum millia & triginta ſeptem millia, id eſt 4,137,000. Lapis Ancyranus, loc. cit. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. CONLEGA. TIB. CAeſare feci. SEX. POMPEIO. ET. SEX. APPVLEIO. COS. QVO. LVSTRO. ETiam. Cenſa ſunt. ROMANORVM. CAPITVM. QVADRAGIENS. CENTVM MIllia TRIGINTA. ET. SEPTEM. MILLIA. Immanem numerum obtrudit Euſebius in Chronico, cùm ſcribit cenſa fuiſſe nonagies trecenta millia, id eſt 9,300,000 hominum.

Anno U. C. DCCCI. Claudius, cenſor, luſtrum condidit. Cenſa ſunt civium quinquagies novies centena octoginta quatuor millia & ſeptuaginta duo, id eſt 5,984,072. Tacit. Annal. XI, 25. Errat adhuc Euſebius in Chronico, qui tradit inventa fuiſſe civium ſexagies novies centena & quadraginta quatuor millia, id eſt 6,944,000. Circumfertur etiam inſcriptio, quæ exſtat Romæ in porticu S. Gregorii, & apud Gruterum pag. CCCI. num. 1.

TEMPORIBVS. CLAVDII. TIBERII,
FACTA. HOMINVM. ARMIGERORVM.
OSTENSIONE. IN. ROMA. SEPTIES,
DECIES. CENTENA. MILLIA,
LXXXXVI. MIL. X.

Sed recens eſt adulterinuſque fetus, nec Latinam, ſed Italicam linguam ſapit. Rectè enim obſervatum erudito Pignorio, Ep. XXXIV. FACTA. OSTENSIONE. IN. ROMA. mera Italica eſſe, *Fatta la moſtra in Roma.* Vidi nummum æreum Claudii, antiquum quidem, in cujus poſticâ parte coronâque laurea hæc mendacia fuerant cælata. Evidens erat fraus. Novi tamen qui nummum genuinum eſſe defenderent.

Anno U. C. DCCCXXVII. Veſpaſianus & Titus cenſores luſtrum ſeptuageſimum quintum & SVPREMVM condidere. *Poſtea* luſtra *planè fieri deſiere.* Cenſorinus de die natali. Cap. XVIII. Quot civium millia in eo luſtro cenſa fuerint nemo prodidit. Plura certè fuere, quàm priore luſtro, civitate Romanâ a Claudio & Nerone intemperantiùs, quàm conſultiùs, vulgatâ.

Anno U. C. MIV. Decius cenſuram reſtituere voluit, magnoque apparatu cenſorem fecit Valerianum. Trebellius Pollio in Valeriano Cap. I & II. At cura hæc inutilis, cùm omnes orbis Romani incolas Antoninus Caracalla cives Romanos feciſſet; nec ulla jam eſſet cenſoria caſtigatio, quæ publica delicta emendare poſſet.

Cùm hæc diſſertatio Faſtis Capitolinis ut plurimùm nitatur, eorum computandi rationem ſum ſecutus. Ab his luſtris diverſum eſt Auguſti edictum, *ut deſcriberetur univerſus orbis.* Luc. II, 1.

CAP. XXVI. FACILITATE ADULTERIORUM] Puteolanus & Recentiores *adulterorum.* Emendandum *adulteriorum* optimè vidit Ill. Huetius. Sic quoque habet editio princeps; innuitque Dio LX. pag. 686. De his verò Meſſalinæ adulteriis horrenda memorant Juvenalis VI, 115 & ſeqq. ejuſque Scholiaſtes. Plin. X, 63. Aurel. Victor. in Claud.

SENECTAM PRINCIPIS OPPERIRENTUR] Mſſ. & Pichena *Senecta Principis opperiretur.* At cùm in editione principe ſit *operirentur*, rectè emendavit Puteolanus, *Senectam Principis opperirentur.*

SUMMA ADEPTUS] Errat Cl. Erneſtus, qui ita legi in editionibus omnibus ante Rhenanum ſcribit. In Mſſ. & editionibus veteribus *ſummam adeptus.* At cùm duriora ſint *ſummam adeptus*, *ſperneret adulteram*, cum Beroaldo & Recentioribus edidi *ſumma.*

CAP. XXVII. SUBISSE] Fortean *nupſiſſe*, inquit Lipſius; id eſt, ſolemni luteo flammeo, qui mos novis nuptis, faciem velaſſe. *Subiſſe* intelligit Gronovius, quaſi Meſſalina *ſubierit verba*, quæ auſpex præivit. Cl. Chiffletio *ſubiſſe* idem eſt, ac *Capitolium aſcendiſſe.* Sed *ſubiſſe* videtur eſſe vox nuptialis; quod poſtea & Lipſio placuit.

CAP. XXVII. DUM HISTRIO CUBICULUM PRINCIPIS PERSULTAVERIT] Locus omnino corruptus in Mſſ. Alii *dum inſtruo cubiculum*

Principis exultavero; ſic & editio princeps. Alii *dum induſtria cubiculum Principis occulit adulteros*, ut & Puteolanus. In Mſ. Bodl. cùm ſcriptum eſſet, *dum induſtruo.* Librarius margini adjecit, *dum intus clauſo cubiculo Principis.* Felicior ſanè Franciſcus Medicis, qui cùm in Mſ. Flor. legeret *dum hiſtrio . . . exultavero*, meliùs divinavit, *dum hiſtrio cubiculum Principis perſultaverit.* Quod Pichena ceterique recentiores recepere. Pro *perſultaverit* tentabat Cl. Chiffletius *inſultat.* Si mutandum, mallem *inſultaverit.* At æquè probabilis Medicea emendatio.

SED EXCIDIUM] In Mſ. Flor. *Sed & ſcidium.* Unde Pichena *ſed diſcidium.* Meliùs ceteri *ſed excidium.*

VI MENTIS] Ita Mſſ. Malè Puteolanus *juventâ.* Suprà in pleriſque Mſſ. *dignitate forma.* Bene Lipſius & Recentiores *dignitate formæ.*

CAP. XXX. QUOD SI TITIOS VECTIOS] Nihil in Taciti libris hac oratione corruptius. Mſſ. Vatic. 1863 & 1864, Mſ. Flor. & editio Princeps. *Quod eicis Vecticis Plaucio diſſimulaviſſet.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *Quod ei cis Vectium Plancium diſſimulaviſſet.* Mſſ. Vatic. 1958. Harl. & Jeſ. *cis Vectium Plaucium.* Mſ. Agr. *Quod Cicios, Vectios Plautios.* Certè emendandum *Vectios, Plautios.* Sic infrà Tacitus Annal. XII, 60. *Matios poſthac & Vedios & cetera equitum Romanorum prævalida nomina referre nihil attinuerit. Cicios* autem, aut *Cincios*, ut divinabat Heinſius, nemini notos, ſanus quiſque amandabit. Hæſitandum dumtaxat *Titios* inter aut *Suilios*, Titium nempe Proculum aut Suilium Cæſoninum, Meſſalinæ libidinibus famoſos, de quibus infrà cap. XXXV & XXXVI. *Titios*, quod ad codicum ſcripturam magis accederet, antetuli. De *Vectiis* verò & *Plautiis* vide infrà cap. XXXI & XXXVI. Poſtea edidi *nec nunc Silio adulteria objecturum.* Hæc enim Silium ſpectant, non verò Meſſalinam, ut vulgus interpretum exiſtimavit: eos decepit Puteolanus, qui edidit *nec nunc adulteria objecturum.* Deeſſe vocem unam monet editio princeps, vitioſa licèt, in quâ *nec non ſimul adulteria objecturus.* Corrupta ſanè vox *ſimul*, cui *Silio* ſubſtituendum clamat ipſa narrationis ſeries. *Domum* autem, *ſervitia & ceteros* imperatoriæ *fortunæ paratus* Silium a Meſſalinâ accepiſſe dicetur infrà cap. XXXV. Demum ut ſana foret reliqua orationis pars, vulgata adhuc hæc fuere emendanda, *Frueretur immo iis, & redderet uxorem*, quæ Puteolanus invexit. In editione principe & pleriſque Mſſ. libris *Frueretur immo & his redderet.* Meliùs Mſ. Reg. *& is redderet.* Nam cùm librarii ſæpe & atque *at* confundant, manifeſtum eſt, ut orationis concluſio digna ſit Tacito, emendandum, *Frueretur immo. At is redderet uxorem.* Hæc jam longiora ſunt, quàm ut, quæ alii obſcurè falſóve commentati ſint, huc congeram.

FORTUNÆ PARATUS] Ita editio princeps. Mſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *apparatus.*

CAP. XXXI. Potiſſimum amicorum] Vel Tacitus omiſit *quemque*, ut citatior foret narratio, vel emendandum *potiſſimos*, ut multi ante nos obſervavere.

Certatim ceteri] Ita Mſ. Reg. & editio princeps. Malè Puteolanus & recentiores *tum certatim*. Abeſt etiam *certatim* a Mſ. Bodl.

Sive ceperat.] Mſſ. Reg. Jeſ. & editiones veteres *cæperat*. Recentiores *ceperat*. Nec malè.

CAP. XXXII. Lucullianos in hortos] Mſſ. & editio princeps *Fucillianos*. Puteolanus *Lucilianos*. Meliùs ceteri *Lucullianos*.

Consilium eximerent] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bodl. Bud. Guelf. Agr. editio princeps, Erneſtus & alii. Puteolanus *adimerent*.

Eripiuntur] In Mſ. Reg. *expuuntur*. In editione principe *reperiuntur*, unde Puteolanus excogitavit *eripiuntur*. Fortè meliùs *excipiuntur*, quod & Erneſto placet.

CAP. XXXIII. Et P. Largo Cæcina] Edidi *&*, quòd in Mſ. Reg. legatur *a P. Largo*. Non crediderim emendandum *C. Largo*, ut hic Largus idem ſit ac C. Largus, qui conſul fuit cum Claudio anno U. C. dccxcv. At cum L. Vitellius hoc ipſo Urbis conditæ anno dccci. conſul fuerit ſuffectus A. Vitellio, ſic quoque P. Largum ſuffectum fuiſſe L. Vipſanio opinor; unde metus ne Claudius ad pœnitentiam a conſulibus mutaretur.

Sumitque] Ita Mſ. Reg. in Mſſ. Bodl. *inſumitque*. Mſ. Flor. *is ſumit*.

CAP. XXXIV. Quin multa cum invidia] Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *quæ* pro *quin*. At in margine Mſ. Bodl. *quin*, quod & in ceteris optimæ notæ ſcriptis & editis libris. Sic mox Puteolanus edidit *ergo auditurum*, cùm alii habeant *igitur*.

CAP. XXXV. Quidquid habitum] Cl. Chiffletius *habitum* non culpabat; ſed *avitum* conjiciebat, quod probavit Lipſius. Nihil mutandum.

Ad minas erumpentem] Ita Mſſ. editio princeps & Erneſtus. Fruſtrà Puteolanus *prorumpentem*.

Cohortium clamor dehinc continuus] Sic libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Guelf. *Continuus dehinc cohortium clamor*. Ad aures accommodatè.

Messalinæ datum] Bene Pichena ex Mſ. Flor. Malè in ceteris *Silio ac Meſſalinæ datum*.

CAP. XXXVII. Prorumpit Narcissus] Pichena e Mſ. Flor. In aliis *prorupit*.

Quam

Quam morti decus] Rhenanus *morte.* Meliùs ceteri e Mſſ. *morti.*

CAP. XXXVIII. Ictu tribuni transfigitur] Mallet Lipſius *tranſigitur.*

Levissimum fastigii ejus] Hæc & cetera uſque ad libri finem totidem apicibus exhibet Mſ. Reg. quem ſum ſecutus. Nec multùm abludit editio princeps. Alii aliter. *Faſtidii* pro *faſtigii* emendavit Erneſtus. Et quidem *faſtidii* habent Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. & Flor. *Faſtigii* autem Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & Jeſ. *Supra Pallantem* Mſ. Flor. & rectè. In Mſſ. Harl. Bodl. & Jeſ. *ſecundum Pallantem.* Demum pro *triſtitiis multis*, quidam emendant *flagitiis inultis*, ſicque legitur in Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Alii *flagitiis inultis*, ita quoque Mſſ. Vatic. 1958. & Bodl. Tamen in Mſ. Vatic. 1958. ſuprà *flagitiis* ſcriptum *triſtitiis.* In editione principe *triſticiis multis*, quod & Erneſtus probavit. Si quis tamen mallet *flagitiis multis*, non multùm repugnarem. Multa ſanè extitere Agrippinæ & Neronis flagitia inde orta, ſed quæ non fuerunt inulta; ideoque minimè probabile *flagitiis inultis.* Plus tamen ſenſûs in *triſtitiis multis*, ut in Notis explicatum.

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM DUODECIMUM
ANNALIUM.

CAP. I. Cælibis vitæ intoleranti] Mſſ. Vatic. 1863. Flor. Reg. & editio princeps, *Cælibis vitæ intonanti.* Mſſ. Vatic. 1864 & 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *Cælibi vitæ intonanti.* Mſ. Agr. *inſolenti.* Rectè emendavit Pichena *intoleranti.* Sic enim ſæpe Tacitus. Jac. Gronovius perperam retinet *intonanti.*

Opes, contendere, ac digna] Editio princeps *opem.* Mſſ. *dignam.* Sic fortè Tacitus ſcripſerat. *Opem* enim pro *opulentiam* dixere veteres, ut patet ex Poetâ, qui apud Ciceronem Tuſculan. III, 19. laudat Priami domum,

Ope barbaricâ
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore inſtructam regificè.

Puteolanus emendavit *opes.* In editione principe *digna.*

CAP. II. Usura in Britannicum] Ita Puteolanus & Recentiores. In editione principe *viſura Britannicum.* Mſſ. Harl. Bodl. & Jeſ. *uſuram*; quod non diſplicet: ſic enim variatur oratio.

Stirpem nobilem ... quæ posteros] *Quæ* redundare opinabatur Muretus. Certè ſi vox illa abeſſet, citatior illuſtriorque foret oratio. Haud tamen vitioſa eſt. Fruſtra ergo multi hunc locum vexavere, quos inter Heinſius, qui ita emendabat, *ſtirpe nobilem* Agrippinam, *& familiæ Juliæ Claudiæque poſteros conjungere.*

Nec femina] Ita Mſ. Reg. poſtulatque narratio. Libri editi *ne.*

Expertæ fecunditatis] Editio princeps *experta fecunditati. Experta* quoque in Mſſ. Harl. Bodl. & Jeſ. Unde fortè hìc legendum *expertâ fecunditate.*

CAP. III. Quæ ad eum.] *Quæ* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus Puteolani & Beroaldi. Licèt non valde arrideat, nolui tamen omittere, quòd defendatur auctoritate mulrorum Mſſ. codicum & editionis principis aliarumque præſtantiſſimarum.

Alia clarum] Bene Mſſ. Flor. Vatic. Lipſius & Recentiores.

Haud ita eleganter in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus *aliàs.*

Nisi indita] Mallet Muretus *indicta.* Minimè tamen ſpernendum *indita.*

CAP. IV. Serere crimina] Bene Puteolanus & Recentiores. Ita quoque emendatum in Mſ. Vatic. 1958. In Mſſ. & editione principe *ferre.*

Fratrumque] Sic Mſſ. Flor. Vatic. Reg. & editio princeps ceteræque optimæ. Puteolanus ut & multi Mſſ. *fratris.* Mſ. Agr. *fraternum.* Frater de fratre ac ſorore dici jam lexicographis aliiſque multis ante nos obſervatum.

CAP. V. Deductæ in domum patrui fratris filiæ] Lipſius e Mſ. Farneſ. Sic & Flor. In Mſ. Vatic. 1864. *deducte.* Ceteri Mſſ. & editiones veteres *deductâ . . . . filiâ.*

Et consensui imparem] Mſ. Reg. & Puteolanus *conſenſu.* Copulam & deletam immeritò vult Lipſius.

Summamque rempublicam] Mſ. Flor. Lipſius & Recentiores. Alii *reipublicæ.* Latinè utrumque.

Censoriæ mentis] Malè quidam tentant *Cæſareæ mentis.*

CAP. VI. Nec diu anquirendum] Pichena ex Mſ. Flor. & Recentiores. In Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *inquirendum.*

Quo uxorem Imperator acciperet] In Mſ. Flor. lacuna eſt inter *Imperator* & *acciperet.* Fortè quòd olim ſcriptum *quo uxorem Imperator fratris filiam acciperet.* Mox enim cap. ſeq. Claudius, *ſenatum ingreſſus, decretum poſtulat, quo juſtæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ. . . ſtatuerentur.* Conjectabat Lipſius, *quomodo uxorem.*

CAP. VII. T. Alledius] Lipſius ac Recentiores. In veteribus editionibus *Talledius.* Alledius fortè eſt guloſus ille, de quo Juven. V, 118.

Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.

Ut Messalinæ] Libri plerique editi, *ut Meſſalina.* Benè in Mſſ. Reg. Harl. Bodl. & Beroaldus *Meſſalinæ*; ſicque emendandum viderat Ill. Huetius.

CAP. VIII. Ad spem dominationis uterentur] Pichena ex Mſ. Flor. Haud ita bene in aliis Mſſ. & veteribus editionibus *uteretur.*

CAP. IX. Promissis inducit] Sic Mſſ. Vatic. 1864. Reg. Corb. & editio princeps. in Mſ. Vatic. 1863. *inducunt*, ſed ſuprà emenda-

tum *inducit*, quod & Mureto placebat. Meliùs enim ad Agrippinam, quàm ad Agrippinam ejuſque fautores referas. Mſ. Vatic. 1958. & Puteolanus *inducunt.*

Oraretur Claudius] Mſſ. Flor. Vatic. 1863 & 1958. & Bodl. in margine. Non rectè in quibuſdam Mſſ. & editione principe *hortaretur.*

Super priorem] Pichena ex Mſ. Flor. Ante eum & in multis Mſſ. *ſecundùm.*

CAP. X. Accedere adversus] Mſſ. Vatic. Flor. Reg. &c. editio princeps, Ryckius & Recentiores. Puteolanus, Mſ. Bodl. & in margine Mſ. Vatic. 1958. *accerſere.*

Bellis infaustus] In Mſ. Vatic. 1958. *Belliſque infauſtus.* Sed *que* ſuprà ſcriptum & recèns additum. In Mſ. Agr. *Belli infauſtus*, quod Modio & Lipſio placet, nimio, ut opinor, antiquitatis ſtudio.

CAP. XI. Quantò ignara] Ita Mſſ. Vatic. Reg. & editio princeps. In Mſſ. Farneſ. & Corb. *ignota.* Mſ Harl. & Puteolanus *ignoratiora.* Mſ. Jeſ. *ignorantia.* Mſ. Guelf. *ignorantiora.*

Tanto toleratiora] Pichena ex Mſ. Flor. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. *tolleratiora.* Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres *tolerantiora.*

Ac tamen ferenda] Editio princeps *attamen.* Meliùs disjungerentur, *at tamen.*

Datum post hæc . . . Euphratis] Optimè Mſ. Corb. editio princeps & Recentiores. Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *datam. Poſt hæc C. Caſſio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis jubet.* Pro *poſt hæc* in editione principe *poſthac.*

CAP. XII. Cassius ceteros præeminebat] Cl. Cellarius in notis ad Plinium VII. Ep. 24. putat Caſſium hunc eumdem eſſe de quo Pomponius Digeſt. lib. I. Tit. 2. *de origine juris.* Leg. 2. Sabino *ſucceſſit C. Caſſius Longinus, natus ex filiâ Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii, & ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat. Hic conſul fuit cum Quartino temporibus Tiberii. Sed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eo uſque donec eum C. Cæſar civitate expelleret. Expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus a Veſpaſiano diem ſuum obiit.* Hic, teſte Plinio, VII. Ep. 24. *Caſſianæ ſcholæ princeps & parens fuit.* At, ſi revocatus eſt a Veſpaſiano, diverſus eſt a Caſſio, quem Syriæ præſidem hìc memorat Tacitus. Ad hunc verò pertinet hoc, aut priore, anno cuſus Antiochenorum nummus ex ære mediocri, de quo Harduinus *Selecta Opera*, pp. 22 & 624. IMP. CLA. CAE. AV. GER. Capite Claudii laureato. Ex averſâ parte in coronâ ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ET. ϛϘ. id eſt *ſub Caſſio* Syriæ præſide nummus *Antiochenorum anno æræ* Antiochenæ *XCVI.* Quæ cum ab Octobri anni U. C. DCCV

incipiat, annus XCVI in annos U. C. DCCCI & DCCCII incidit, Jeſu Chriſti 48 & 49. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres *præeminebat*. Mſſ. Reg. Vatic. & editio princeps *ceteris præerat*. A Gronovio & Recentioribus editum *præminebat* ex uſu Mſ. Flor.

FAMILIA CASSIA RATUS] Fortè Tacitus omiſerat *ratus*. Certè abeſt a Mſſ. Flor. Reg. & editione principe. Primus edidit Puteolanus.

REXQUE ARABUM AEGARUS] In Mſſ. & editionibus veteribus *Acbarus*, vel *Æbarus*, aut *Abbarus* appellatur. Emendandum *Abgarus*, ut docent nummi Abgarorum regum, quos videas apud eruditum Bayerum, *Hiſtoria Oſrhoen. & Edeſſ. nummis illuſtrata.* In iis paſſim occurrit ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ *Abgarus Rex*. Hic verò Abgarus, de quo nunc Tacitus, eſt *Maanu bar Abgar*, filius Abgari *Vehomo*, id eſt *Abgari nigri*, fide ſuâ in Chriſtum notiſſimi, & ab Euſebio in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ I, 3. celebratiſſimi. Multa quoque de eo reperias apud Moſen Chorenenſem, *Hiſtoria Armeniaca*, II, 25 & ſeq. Sed neque ejuſdem antiquitatis, neque ejuſdem auctoritatis. A virtute paternâ degener Abgarus, filius, fuit omnium hominum ſceleratiſſimus, teſte Procopio, pag. 118. ἀνοσιώτατος γεγονὼς ἁπάντων ἀνθρώπων. Nec confundendus cum fratre ac ſucceſſore ſuo, paternæ religionis æmulo, de quo Cedrenus, pag. 177. Abgarus autem dicitur *rex Arabum*, id eſt *Edeſſenorum*. Cùm enim Arabes Scenitæ Meſopotamiæ Auſtralis partem tenuiſſent, tractus ille terrarum ſæpe appellatur *Arabia*. Sic enim Plinius, V, 24. *Arabia, ſuprà dicta, habet oppida: Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirhoen a fonte nominatam: Carras clade Craſſi nobiles.* Vide Bayerum libro cit. pag. 35 & ſeqq. Harduinus verò minimè audiendus, qui in notis ad Plin. VII, 16. pro *Abgarus* emendandum *Gabbarus* conjectat.

QUIA HIEMS OCCIPIEBAT] Ita Mſ. Vatic. 1958. Puteolanus & Recentiores. Mſ. Vatic. 1864. *quia hiems occupabat*. Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editio princeps, *quam hiems occupabat*. Placebat quoque Mureto *occupabat*.

CAP. XIII. REX IZATES] Mſſ. Vatic. 1863 & 1864 & editio princeps *Juliates*. Mſ. Vatic. 1958. *Hyliates*. At cùm in iiſdem Mſſ. cap. ſeq. ſit *Ezates*, & Joſephus, qui rem totam narrat *Antiq. Jud.* XX, 2 & 3. Principem illum appellet *Izaten*, de ejus nomine minimè dubitandum.

ET ARBELA] Hæc deſunt in Mſſ. & editionibus veteribus. At cùm ſint neceſſaria, ea meritò ſupplevere, Ryckius & Erneſtus ex Mſ. Agr. qui illa, ut videtur, ab eruditi alicujus viri conjecturâ accepit.

PRÆCIPUA RELIGIONE HERCULI] Benè Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Erneſtus. Malè editio princeps *præcipue religione Herculis*.

TEMPORE STATO] Pichena ex Mſ. Flor. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteres editiones *ſtatuto*.

Ubi pharetras telis onustas] Mſ. Vatic. 1958. & Puteolanus. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864 *telis omiſſis onuſtas*; unde quidam tentavere *telis omnigenis* aut *miſſilibus onuſtas*. Sed fruſtrà. Pro *ubi* in Mſſ. Harl. & Jeſ. *ut*.

Qua . . . pererraverit] Pichena ex Mſ. Flor. & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe *quas . . . pererraverit*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quas . . . pererraverint*.

CAP. XIV. Hostes emercari] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editiones omnes veteres. Cl. Erneſtus *hoſtem*.

Roma petere reges] Mſ. Reg. & Puteolanus. In Mſ. Jeſ. Guelf. Herbip. & editione principe *Romam*.

Quod unum reliquum] Puteolanus *quod unum erat reliquum*.

Medos tum præsidens] Ita omnes ferme Mſſ. & editiones veteres. Pichena e Mſ. Flor. *Medos*.

CAP. XV. Mithridates Bosphoranus] Græcis Βοσποϱανός. In Mſſ. latinis *Boſphoranus*. Nihil ergo mutaverim ut ſcribatur *Boſporanus*, *Boſporus*. Sic, ſi Græcorum uſus obtineret, ſcribendum foret *Mithradates*. Paſſim enim in nummis ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. Sæpe etiam in Mſſ. latinis *Mithradates*.

Abisse cognoverat] Ita Mſſ. Vatic. & ex uſu vetere. Alii *Abiiſſe*.

Siracorum rex] Perperam in Mſſ. *Syracuſorum rex*. Aliàs populos illos vocant *Seracos*, *Soracos*.

Aorsorum genti] Pravè appellantur in Mſſ. *Adhorſci*, *Adorſi*, *Adverſi*. Sunt *Aorſi* quos memorat Plinius, VI, 16.

CAP. XVI. In Siracos pergunt] Præpoſitionem omittunt Mſſ. Vatic. 1863. Reg. & editiones veteres: habent Mſſ. Vatic. 1864 & 1958 & Recentiores.

Cratibus revinctis] Mſſ. Flor. Vatic. Reg. Cl. Erneſtus & Lallemand, *cratibus & vimentis*. At *vimentis* vox eſt Romanis ignota. Mſ. Corb. & editio princeps *cratibus ac jumentis*. Mſ. Bud. *cratibus vinctis ac vimentis*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *cratibus junctis*. In tantâ ſcriptorum & editorum librorum varietate opinor Tacitum ſcripſiſſe *cratibus revinctis*. Sic Cæſar, *de Bell. Gall.* VII, 23, ait muros Gallorum conſtrui trabibus perpetuis directis in longitudinem, *quæ revinciuntur introrſùs, & multo aggere veſtiuntur*. Idem Cæſar IV, 17. pontem ſupra Rhenum exſtruxit, *bipedalibus trabibus immiſſis in contrariam partem revinctis. Hæc directa materiâ injectâ contexebantur, ac longuriis cratibuſque conſternebantur.*

CAP. XVII. Postero misere] In Mſſ. & veteribus editionibus *poſtremo*. Meliùs *poſtero*.

Corporibus orantes] Sic Mſ. Vatic. 1958. & Puteolanus. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. & editione principe *exorantes.*

Incruentum et victorem] Mſ. Vatic. 1958 & Puteolanus. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864 & editione principe *invictum & victorem.*

Plerisque Centurionum] Ita Rhenanus ex Mſ. Bud. Mſſ. Vatic. Oxon. editiones veteres *pleriſque conſularium:* quidam *conſiliarium.* Conjectavere Lipſius *auxiliarium*, Pichena *claſſicorum*, N. Heinſius *commanipularium*, J. Gronovius *contubernalium.* Placet *centurionum*, quòd, ut Cl. Erneſto obſervatum, præcipua in cladibus centurionum mentio. Scilicet occiſis ducibus, prævaluere barbari.

CAP. XVIII. Odiis non infensum] Modius ex Mſ. Agr. Negatio abeſt a Mſſ. & editionibus veteribus. J. Gronovio placuit *inoffenſum.*

CAP. XIX. Etiam communionem] Ita fere omnes Mſſ. & editiones veteres; atque ex uſu Taciti, qui orationis varietate meritò delectatur. In Mſ. Vatic. 1864. & quibuſdam editionibus *ex communione.*

Non regnum] Erneſtus ex Mſ. Guelf. Ac certè vividè & eleganter. In ceteris Mſſ. & editionibus veteribus *neque regnum.*

CAP. XX. At Claudius] Mſſ. & editiones veteres. Quædam recentiores *atque.*

Libido vindictæ adigebat] Mſſ. Vatic. 1958 & Puteolanus. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Reg. & editione principe *adjacebat.*

Cui inopi] Puteolanus & Recentiores. In multis Mſſ. & editione principe *quin inopi.*

Quanta pervicacia in hostem, tanta] Haud defraudandus meritâ laude Muretus, qui hunc locum ita reſtituit. Ante eum in Mſſ. & editionibus veteribus legebatur, *quanta* vel *quantalibet pervicacia in hoc tentata.*

CAP. XXI. Junium Cilonem] In Mſſ. & veteribus editionibus *Colonem.* Rectè emendatum *Cilonem* ex Dione LX. pag. 687. Γ'ουίου Κίλωνος. Et in antiquis Inſcriptionibus ſæpe memorantur Cilones, non verò Colones.

CAP. XXII. Cadius Rufus] Rufum hunc *Claudium*, *Cordium*, *Canium* vocitabant. Quàm vanè, probant nummi duo ærei, dum proconſul erat, Nicææ cuſi, quos publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Villes*, Tom. III. pag. 227. Alter Claudii Imperatoris, Capite laureato, cum duabus ſpicis: ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Tiberius Claudius Cæſar Auguſtus Germanicus.* In averſâ parte Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Caius Cadius Rufus proconſul*; & tetraſtylon, cujus baſi inſcriptum ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ *Nicænorum.* Eadem omnino averſa pars in altero nummo, cujus antica Meſ-

ſalinæ caput exhibet cum duabus quoque ſpicis, & inſcriptione ΜΕΣΣΑΛΕΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ. *Meſſalina Auguſta nova Juno.*

CAP. XXIII. Sohemo atque Agrippa] Ne perobſcuris Herodum rebus hiſtoriæ Romanæ, atque imprimis Tacito, tenebræ offundantur, breve Herodum Stemma proponam, eorumque nummos paucis expendam: quod ad ſacros quoque Scriptores illuſtrandos haud parum juvabit. Nec pigebit de Sohemorum Stemmate nonnulla addere.

HERODUM STEMMA.

ANTIPATER, 1.
Uxor
CYPROS, 2.

HERODES MAGNUS, 3.
Uxores

MARIAMNE, 4. Alexandri filia. — MARIAMNE, 16. Simonis filia. — MALTHACE, 20. — CLEOPATRA, 23.

ARISTOBULUS, 5. Uxor BERENICE, 6.

HERODES, dictus quoque Philippus, 17. Uxor HERODIAS, 18.
SALOME, 19.

ARCHELAUS, Tetrarcha Judææ, 21.

HERODES, dictus quoque Antipas Tetrarcha Galilææ, 22. Uxor HERODIAS, 18.

PHILIPPUS, Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, 24.

AGRIPPA MAGNUS, 7. Uxor CYPROS dicta quoque JULIA, 8.

HERODES, 25. Rex Chalcidis, Uxores BERENICE, 11. MARIAMNE, 26.
ARISTOBULUS, Rex minoris Armeniæ, 27.

HERODIAS, 18.

AGRIPPA II, 9. DRUSUS, 10. BERENICE, 11. DRUSILLA, 12. Uxor AZIZI, 13. FELICIS, 14.
AGRIPPA, 15.

STEMMA

Stemma Herodum illuſtratum.

1. ANTIPATER, Dynaſta Idumææ, pater Herodis Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 1.

2. CYPROS, ex primoribus Arabiæ oriunda, mater Herodis Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 12.

3. HERODES MAGNUS, filius Antipatri & Cyprûs, juvenis adhuc, Galilææ, Cœleſyriæ & Samariæ præfectus, Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 17. De Bell. Jud. I, 8. Judææ regnum ex ſenatuſconſulto accipit anno Urbis conditæ DCCXIV, Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 26. Captis Hieroſolymis, cæſoque Antigono, rex iterum a ſenatu renuntiatur, anno U. C. DCCXVII, Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 28. Dio, XLIX. pag. 405. Tacit Hiſt. V, 9. Petavius, Doctrin. Temp. XI, 1. Moritur anno U. C. DCCL, quadriennio ante vulgatam æram Chriſtianam, Joſeph. Antiq. Jud. XVII, 10. Igitur priore anno, ſi Joſepho de morte Herodis habetur fides, natus erat Jeſus Chriſtus. Extant nummi ΗΡΩΔΟΥ. ΕΘΝΑΡΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ, id eſt *Herodis Ethnarchæ*, *regis Herodis*, cum notis Γ. Ι. ΕΙ. id eſt *annorum ejus regni*, *tertii*, *decimi*, *decimi quinti*. Vide P. Frœlich, Notit. Elem. Numiſm. cap. 10. pag. 224.

4. MARIAMNE, Alexandri filia, neptis Hyrcani, Herodis Magni uxor. Joſeph. Bell. Jud. I, 10.

5. ARISTOBULUS, filius Herodis Magni & Mariamnes, a patre interfectus. Joſeph. Antiq. Jud. XVI. cap. ult.

6. BERENICE, filia Coſtobari & Salomes Idumæorum, uxor Ariſtobuli, ſummâ neceſſitudine cum Antoniâ, Claudii Imperatoris matre, Romæ conjuncta. Joſeph. Antiq. Jud. XVI, 1. XVIII, 8.

7. AGRIPPA MAGNUS, filius Ariſtobuli & Berenices, nepos Herodis Magni, D. Lucæ Act. XII, 1. dictus Herodes. A Tiberio in vincula conjectus, mox a Caio regnum accepit, datis ei Philippi, Lyſaniæ & Herodis Antipæ tetrarchiis: regnum ejus amplificavit Claudius, additis Judæâ & Samariâ. Mortuus eſt Agrippa anno U. C. DCCXCVII, J. C. 44, cùm regnaſſet quatuordecim annos, imperante Caio, tres ſub Claudii principatu. Poſt ejus mortem, Judæa Syriæ contributa. Joſeph. Antiq. Jud. XIX, 7. Tacit. Annal. XII, 23. Nos ſæpe in Supplement. Annal. VII, VIII,

IX & X. In nummis, ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, id eſt *Agrippa rex.* Multi in Muſeo Collegii Ludovici Magni habebant tantùm literas Β Α. id eſt *rex Agrippa*, vel Β Α Φ. cum lilio. Id eſt *rex Agrippa*, nummus *Phaſaëlitarum.* Lilium verò illud eſt lilium rubens, ſeu Cynorrhodon, quod in Cant. Cantic. II, 1. dicitur *lilium convallium. Laudatiſſimum* naſcebatur *in Phaſelide*, Plin. XXI, 5. Annus regni Agrippæ tertius literâ Γ exprimitur, apud P. Frœlich. loc. cit. pag. 226. Auctâ a Claudio fortunâ, appellatur in nummis ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, id eſt *rex magnus Agrippa, amicus Claudii.* Dictus eſt quoque Julius, ut patet ex Inſcriptione de quâ num. ſeq.

8. CYPROS, filia Phaſaëli & Salampſionis, uxor Agrippæ Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7. Dicta eſt quoque Julia in nummo Agrippæ II. Græci, gens adulatrix, in veteri marmore, quod Cl. Spon, *Voyage*, Tom. III. P. II. pag. 35, Athenis deſcripſit, eam appellant

ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ
ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ.

Id eſt *Juliam Berenicen, reginam magnam, Julii Agrippæ regis uxorem, & magnorum regum beneficentiſſimorum in hanc urbem progeniem.*

9. AGRIPPA II, filius Agrippæ Magni & Cyprûs, decimo ſeptimo ætatis anno patrem amiſit. Cùm nondum regno maturus videretur, Judæa Syriæ contributa eſt, ut diximus. At quinquennio pòſt, anno U. C. DCCCII, J. C. 49, mortuo patruo ejus Herode, rege Chalcidis, ejus regno donatus eſt. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. Poſt quatuor deinde annos, U. C. DCCCVI, J. C. 53, ablatâ Chalcide, Claudius ei dedit Philippi Tetrarchiam & Bataneam; addidit quoque Trachonitidem, cum Abilâ, quæ Lyſaniæ fuerat Tetrarchia, Joſeph. Antiq. Jud. XX, 7. Nero primo imperii ſui anno regnum ejus adhuc auxit, datâ parte Galilææ, Juliade, urbe Perææ, & vicis quatuordecim in ejus viciniâ poſitis: Tiberiadem quoque & Taricheas ei parere juſſit, Τιβεριάδα καὶ Ταριχέας ὑπακούειν αὐτῷ κελεύσας, Joſeph. Antiq. Jud. XX, 8. Coram Agrippâ cauſam dixit Paulus anno Neronis ſexto, Luc. Act. XXV & XXVI. Pearſon, Annales Paulini, pag. 18. Diuturno regno, quod & Veſpaſianus amplificavit, potitus per annos LI, mortuus eſt Agrippa, anno Trajani tertio, J. C. 100. Juſtus Tiberienſis apud Photium. Cod. XXXIII.

In nummo e theſauro regio, quem laudat Harduinus, *Select. Oper.* pag. 573. appellatur ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΥΙΟΣ, id eſt *Agrippa Agrippæ & Juliæ filius.* Prænomen *Marci*, in memoriam ſanè Marci Antonii, qui regnum dedit Herodi Magno, accepit, ut liquet ex nummo Cl. Pellerin, *Supplément aux Recueils de Médailles de Rois*, *Villes.* pag. 1. ΜΑΡΚΟΥ ΑΓΡΙΠΠΟΥ ΒΑCΙΛΕΟC, *Marci Agrippæ regis.* Ceterorum Agrippæ nummorum pars inſcribitur ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. L. vel ΕΤΟΥ. ΑΙ. ΙΔ. Κϛ. ΚΘ. id eſt *regis Agrippæ* anno *undecimo, decimo quarto, vigeſimo ſexto, vigeſimo nono.* Unum etiam protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, pag. 176. anni trigeſimi quarti. ΕΤ. ΔΛ. Pars altera inſcribitur ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. id eſt *ſub rege Agrippa.* Cùm præpoſitio illa numquam in nummis regum, ſed præſidum tantùm occurrat, videtur Agrippa quaſdam provincias urbeſve præſidis imperio rexiſſe; idque de Tiberiade & Taricheis innuit Joſephus ſuprà laudatus. Obſervandum denique in nummis Agrippæ II diverſas æras ſignari, quæ initium ducunt a diverſis temporibus, quibus regna auſpicatus eſt, ut Chalcidis, Trachonitidis, Juliadis &c; quæ ſatis ſit monuiſſe, cùm iis immorari haud liceat.

10. DRUSUS, Agrippæ II frater, ante pubertatem mortuus. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7. Sic vel filiorum ſuorum nominibus Romanorum gratiam aucupabatur Agrippa Magnus.

11. BERENICE, ſoror Agrippæ II, nupta Herodi regi Chalcidis, & Polemoni regi Ciliciæ, poſtea Titi amoribus percelebris. Joſeph. Ibid. Tacit. Hiſt. II, 2 & 81. Nos quoque in Supplement. Hiſt. V.

12. DRUSILLA, ſoror Agrippæ II, uxor primùm Azizi, regis Emeſorum, deinde Felicis, præſidis Judææ. Joſeph. Ibid. D. Lucas, Act. XXIV, 24. Alia eſt Druſilla, Cleopatræ & Antonii neptis, quam Felix, qui tribus reginis nupſit, in matrimonium accepit.

13. AZIZUS, rex Emeſorum: de quo plura in Stemmate Sohemorum, num. 5.

14. FELIX, dictus Tacito Antonius Felix, frater Pallantis, libertus Claudii, præſes Judææ, conjux Druſillæ, trium reginarum maritus. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. Sueton. in Claud. XXVIII. Tacit. Annal. XII, 54. & Hiſt. V, 9. Coram Felice cauſam dixit D. Paulus, Act. Apoſtol. XXIV.

15. AGRIPPA, filius Felicis & Druſillæ, periit cum matre in-

cendio Veſuviano, Titi tempore. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5.

16. MARIAMNE, Simonis filia, uxor Herodis Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7.

17. HERODES, filius Herodis Magni & Mariamnes, Simonis filiæ. Joſeph. Ibid. Ille ipſe eſt qui D. Marco VI, 17, dicitur Philippus. Quod cùm non attenderet eruditus Frœlich, Notit. Elem. Numiſmat. pag. 223, ſcripſit Philippum hunc eumdem eſſe ac Philippum, Tetrarcham Trachonitidis, de quo infrà.

18. HERODIAS, ſoror Agrippæ I, uxor Herodis Philippi, mox abducta a patruo ſuo Herode Antipâ, ut dicetur poſtea.

19. SALOME, filia Herodis Philippi & Herodiadis, quæ Joannis Baptiſtæ necem petiit. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7. Matthæus, XIV, 3.

20. MALTHACE, uxor Herodis Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XVII. 11.

21. ARCHELAUS, filius Herodis Magni & Malthaces, Tetrarcha Judææ, decimo Tetrarchiæ anno Viennam relegatus. Joſeph. Antiq. Jud. XVII, 15. Matthæus, II, 22. Nondum reperti ejus nummi.

22. HERODES, dictus quoque Antipas, filius Herodis Magni & Maltaches, Tetrarcha Galilææ, qui morituro Jeſu Chriſto illuſit; cum uxore Herodiade in exilium a Caio Caligulâ Lugdunum miſſus. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 11. Luc. XXIII, 11. Nos quoque in Supplement. Annal. VIII, 17.

In nummis ΗΡΩΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, id eſt *Herodis Tetrarchæ*, occurunt notæ L. ΛΓ. ΛΔ. id eſt *annorum* ejus regni *trigeſimi tertii*, *trigeſimi quarti*. Jeſum Chriſtum quadriennio ante vulgatam æram Chriſtianam natum eſſe nummis probaretur, ſi indubitatæ antiquitatis foret nummus, qui circumfertur, cum notâ anni L. ΜΓ, id eſt *anno quadrageſimo tertio* regni Herodis. Vide Frœlich. loc. cit. pag. 225.

18. HERODIAS, ſoror Agrippæ I, uxor primùm Herodis Philippi, deinde Herodis Antipæ, quæ Joanni Baptiſtæ necem, conjugi ſuo exitium attulit, cum ipſo Lugdunum relegata. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7. Matthæus, XIV, 3. Nos in Supplement. Annal. VIII, 17.

23. CLEOPATRA, uxor Herodis Magni. Joſeph. Antiq. Jud. XVII, 1.

24. PHILIPPUS, filius Herodis Magni & Cleopatræ, Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis. Joſeph. Antiq. Jud. XVII, 13. Luc. III, 1. Obiit anno Tetrarchiæ trigeſimo ſeptimo, Tiberii vigeſimo. Ejus Tetrarchia, quòd ſine liberis deceſſiſſet, Syriæ adjecta. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 6. Exſtant nummi, ſed rariſſimi, ΦΙΛ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, Philippi Tetrarchæ, cum notis L. Kς. & ΛΓ, id eſt annorum vigeſimi ſexti, & trigeſimi tertii. Trigeſimum hunc tertium annum, non ad Philippi Tetrarchiam, ſed ad Auguſti Principatûs annos, ob hujus Principis caput hoc nummo ſignatum, refert Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, Tom. I. pag. 54.

25. HERODES, frater Agrippæ Magni, rex Chalcidis, mortuus eſt octavo Claudii anno. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 3. Rariſſimi adhuc nummi ΒΑСΙΛЄωС ΗΡωΔΟΥ, *regis Herodis*; in iis notæ L. Γ. E. id eſt *anno* regni ejus *tertio* & *quinto*. Vide Frœlich, loc. cit. pag. 226. & Cl. Barthelemy, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVI. pag. 538.

11. BERENICE, ſoror Agrippæ II, uxor Herodis, regis Chalcidis, de quâ jam dictum, num. 11.

26. MARIAMNE, filia Olympiadis & Joſephi, uxor Herodis regis Chalcidis. Joſeph. Antiq. Jud. XVIII, 7.

27. ARISTOBULUS, filius Herodis, regis Chalcidis, a Nerone Armeniæ minori præfectus. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. Tacit. Annal. XIII, 7. XIV, 7 & 26.

18. HERODIAS, ſoror Agrippæ Magni, de quâ dictum ſuprà num. 17.

Herodum fabulam contexuit Harduinus, eruditam hiſtoriam Noldius.

Sohemorum ſtemma adumbrare vanum foret, quòd multa ſileat hiſtoria: illuſtraſſe ergo ſit ſatis.

Sohemorum Stemma illustratum.

1. SOHEMUS I. Ituræus, Herodi Magno fideliſſimus, deinde ſuſpectus, ab eo occiſus anno U. C. DCCXXVI. ante Chriſtum 28. ob virtutes meliora meritus. Joſeph. Antiq. Jud. XV, 10. & 11. XVII, 5. Videtur Tetrarchiam quorumdam locorum circa Libanum habuiſſe. Joſeph. Vita, XI.

2. THOLOMÆUS, filius Sohemi I, incola, & ut videtur,

princeps Libani. Joſeph. Antiq. Jud. XIV, 14.

Cl. de Boze, *Mém. de l'Acad. Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVI. pag. 377, obtrudit Sohemum II, filium Sohemi I, fratrem Tholomæi, Iturææ regem, qui patri ſuo Sohemo I ſucceſſit in regno Iturææ, deceſſit anno ſecundo Caii Caligulæ principatûs. At hæc omnia confinxit vir eruditus, & de re nummariâ egregiè meritus. Nemo enim novit Sohemum illum II, nec potuit eſſe rex Iturææ, cùm Ituræam obtineret Philippus, de quo diximus in Stemmate Herodum, num. 24.

3. VARUS, Nepos Sohemi, qui circa Libanum Tetrarchiam obtinuerat. Joſeph. Vita. XI.

4. SOHEMUS II, rex Iturææ a Caio Caligulâ creatus anno U. C. DCCXCI. Dio, LIX. pag. 649. Nos in Supplement. Annal. VII, 36. Mortuus eſt ante annum U. C. DCCCII. Tacit. Annal. XII, 23.

5. AZIZUS, filius Sohemi II, regis Emeſorum, qui, ut Druſillæ nuberet, ſe circumcidi paſſus eſt. Primo Neronis anno obiit, & ſucceſſorem habuit, fratrem ſuum Sohemum. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. De Druſillâ, uxore Azizi, vide Stemma Herodum, num. 12.

6. SOHEMUS III, frater Azizi; fratre mortuo, rex Emeſorum: ejus regno Nero addidit Sophenen Armeniæ. Joſeph. Antiq. Jud. XX, 5. Tacit. Annal. XIII, 7. Cl. de Boze, loc. cit. huic nummum æreum tribuit, qui ex unâ parte habet caput ſolis radiatum, ex alterâ victoriam cum palmâ, & inſcriptionem ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΥ, id eſt *regis Sami pii & juſti*; notam quoque anni ΓΛ, id eſt *trigeſimi tertii*; cujus initium ducit ab anno U. C. DCCCII, quo cœpit regnum Emeſorum. Alia eſt omnino ſententia Cl. Belley, & probabilior, quam tamen, cùm conjecturis quoque nitatur, & Samoſatena, non Romana ſpectet tempora, expendat, ſi voluerit, curioſus lector. *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVI. pag. 355 & 380.

SALUTIS AUGURIUM] Ejus uſum fusè explicat Dio, XXXVII. pag. 40. Anno U. C. DCXCI, Cicerone & Antonio coſſ. *bellis quieſcentibus, augurium ſalutis*, τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας, *longo tempore intermiſſum repetiere Romani. Eſt autem quoddam divinationis genus, quo exploratur, concedat ne ipſis deus, ut populo ſalutem petant: quaſi nefas eſſet eam, priuſquam concedatur, petere. Ea divinatio celebrabatur ſingulis annis die, quâ nullus exercitus ad bellum eſſet profectus, nullus con-*

tra aciem inſtrueret, aut pugnaret. Tunc addubitatum fuiſſe ſalutis augurium, ob imminens Catilinæ bellum teſtatur Cicero, De Divinatione I, 47. Civilibus bellis poſtea abolitum reſtituit Auguſtus, Sueton. in Aug. XXXI. Illud aliquandiu retinuit Tiberius, ſed poſtea omiſit, harum religionum contemptor. Omiſſum eſt autem quinque & viginti annis, teſte Tacito; ergo ab anno U. C. DCCLXXVII, quo interfectus eſt Tacfarinas, ut dictum eſt Annal. IV, 25.

Pomerium Urbis] Tacitum illuſtraturus, quid ſit Urbis pomerium, quanta fuerit Romæ magnitudo, quis fuerit ejus incolarum numerus, expendam.

De Urbis Romæ pomerio & magnitudine, incolarumque numero.

Ea fuit Romanorum pietas, ut omnia a religione auſpicarentur. Enituit maximè in conſecrandis urbium ac potiſſimum Romæ muris, qui apud eos ſancti & *quodammodo divini juris* erant. Digeſt. libr. 1. Tit. VIII. de rerum diviſione. Leg. I. ex Caio. Inde legis ſeveritas, *Si quis violaverit muros, capite puniatur.* Ibid. Leg. 11. ex Pomponio. Ut autem maneret intacta eorum ſanctitas, ab injuriâ hominum defendebantur atque muniebantur, relictâ tam intra, quàm extra urbem, parte agri, muris vicinâ, quam *neque habitari, neque arari fas erat.* Livius I, 44. Augures, ſacris Etruſcis uſi, effatis, ſeu precibus, per totius urbis circuitum pone muros agrum illum conſecrabant, ut facerent *finem urbani auſpicii*: inde *agrum* illum *effatum* vocitabant, Gellius XIII, 14: Varro de Ling. Lat. V. *Pomerium* quoque dixere, quod pone muros ager *certis circà terminis inaugurato* conſecrabatur; *& in urbis incremento ſemper quantùm mœnia proceſſura erant, tantùm termini hi conſecrati proferebantur*, Livius, loc. cit.

Antiquiſſimum Urbis *pomerium a Romulo inſtitutum, Palatini montis radicibus terminabatur.* Gellius, loc. cit. Mons autem Palatinus quadratâ ferme eſt figurâ, cujus duo latera, ad Septemtrionem & Occidentem obverſa, habent ſingula 1300 pedes Romanos; latus Meridionale circiter 1400 pedes; latus Orientale circiter 1450 pedes. Tantula Urbs, tanti futuri imperii parens!

Creſcente multitudine, montes Capitolinus, Cælius & Aventinus habitari cœpere. Servius Tullius, immenſam Romani imperii majeſtatem præſagâ mente complexus, *addit duos colles, Quirinalem Viminalemque; inde deinceps auget Eſquilias: ibique ipſe, ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere & foſſis & muro circumdat Urbem: ita pomerium profert.* Livius, loc. cit.

Hic Urbis ambitus tam religioſè habitus eſt, ut, teſte Dionyſio

Halicarnaſſenſi, ſcriptore diligentiſſimo, qui Romæ vixit, & Auguſti ætate ſcripſit, *ad ſua uſque tempora ambitus ille ulteriùs non proceſſerit*, *deo*, ut aiunt, *id non permittente.* Προσωτέρω δὲ ὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, ὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τῦ δαιμονίυ. Dionyſ. Halic. IV, 13. pag. 218.

Jus tamen proferendi pomerii penes eos manſit, qui populum Romanum, agro de hoſtibus capto, amplificaverant. Hanc gloriam quæſiit potiùs, quàm meruit, Sylla, anno circiter U. C. DCLXXIV, Senec. de Brevit. vitæ, XIV. Potiori jure Julius Cæſar, tot devictis gentibus, id honoris ſumpſit anno U. C. DCCX, ſi Dioni, XLIII. pag. 238, crediderimus, aut potiùs ſumere voluit: ſilent enim Suetonius & Tacitus. Meritò quoque Auguſtus, & ipſe imperii propagator, pomerium protulit anno U. C. DCCXLVI, Dio, LVI. pag. 552.

At quomodo pomerium protulere, ſi Urbis ambitus non creverit, ut teſtatur Dionyſius ſuprà laudatus? Dionyſio diſſentire certè non licet Exiſtimaverim ergo hos pomerii propagatores, vel violatam pomerii ſanctitatem renovaſſe; vel, quod verius crediderim, fuiſſe in Urbis ambitu partes aggere & foſſis circumdatas, augurum effatis non conſecratas, quæ, cùm pomerium proferebatur, conſecrabantur; cippique conſecrationis teſtes ponebantur. Talis cippus, a conſulibus Cenſorino & Gallo poſitus, cùm Auguſtus pomerium proferret, extra portam Flumentanam repertus, Tiberim inter & viam Flaminiam.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX S. C.
FIN. POMER. TERMIN

Id eſt *finem pomerii terminaverunt.* Gruterus CXCVI. num. 2. Porro fuiſſe in Urbis ambitu partes cærimoniis pomerii minimè conſecratas, patet ex monte Aventino, quem *omnes, qui pomerium* protulerant, *excluſerunt*, *quaſi avibus obſcœnis ominoſum:* donec Claudius, Britannicâ ſuâ victoriâ elatior, quàm ut ominoſas religiones attenderet, eum recepit, & *intra pomerii fines obſervavit.* Gellius loc. cit.

Memoria exſtat in veteri lapide, ad cloacam S. Luciæ, non procul a Campo Floræ, apud Gruterum CXCVI. num. 4.

TI.

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAↃIT. TERMINAↃITQ
V V

Similis omnino lapis exſtat Romæ in Muſeo Kircheriano Collegii Romani, repertus anno 1730 ad radices Cælioli montis, nunc *monte Celiolo*, juxta Urbis mœnia, duos circiter pedes cum dimidio ſubter terram. In latere Tiburtini hujus lapidis inſcripti ſunt numeri XV. qui indicare videntur lapidem hunc fuiſſe terminum, ſeu cippum, decimum quintum, ut Gruterianus lapis fuit quintus terminus.

De Æolicâ literâ Ↄ dixi ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XI, 14.

Poſt Claudium, Nero, cùm Pontum Polemoniacum & Alpes Cottias imperio addidiſſet; Trajanus, tot gentibus Romanæ ditioni ſubditis, pomerium protulere, ut auctor eſt Vopiſcus in Aureliano XXI. Immo, teſte P. Galeotti, *Fr. Ficoronii Gemmæ antiquæ literatæ*, pag. 127. anno 1735, Romæ juxta Cœnobium Monachorum Sancti Stephani ſupra Cacum, in fundamentis conductitiarum domorum inventa inſcriptio Trajani, quæ Urbis pomerium ab eo Imperatore auctum fuiſſe ſignificabat. Inſcriptionem hanc Romæ quæſivi. Sed heu! perierat, lapide marmorariis vendito.

Hadrianus, religionum curioſus, pomerii terminos, continuatis proculdubio ædificiis, ut videre eſt apud Livium & Dionyſium loc. cit. corruptos reſtituit. Quâ de re ſingularis exſtat inſcriptio apud Gruterum CXCVIII. num. 1.

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Aurelianus, *adhibito conſilio ſenatûs, muros Urbis Romæ dilatavit. Nec*

tamen pomerio addidit eo tempore, ſed poſtea. Vopiſc. loc. cit. Nempe poſtea in Urbis ambitu terminos addidit, quibus urbana auſpicia agerentur.

Nunc verò cùm conſtet de pomerio, quæ fuerit Urbis magnitudo inquiramus. Omiſſis falſis opinationibus eorum, qui nihil magnum, niſi immenſum, novere; quoſque non puduit, duce Vopiſco in Aureliano XXXIX, Romam fingere, quæ quinquaginta millia paſſuum, id eſt plus quàm ſedecim leucas Gallicas murorum ſuorum ambitu contineret, eos rei abſurditate revinci ſit ſatis. Melior locupletiorque teſtis Plinius III, 5 *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus cenſoribuſque Veſpaſianis, anno conditæ* DCCCXXVI, *paſſ.* XIII. M. CC; id eſt paſſuum tredecim millia ac ducentos, ſeu leucas Gallicas ferme quinque.

At hæc ipſa menſura explicatione indiget. Majorem enim eſſe jam monuerat eruditus Raphael Fabretti, *de Aquis & Aquæductibus*, num. 261. Recèns monuit Cl. Danville, *Mem. de l'Acad. Royale des Inſcript.* Tom. XXX. pag. 209 & ſeqq. Locorum natura demonſtrat Veſpaſiani ætate Urbis ambitum paſſuum VIII. M. CC. haud eſſe egreſſum. Nec exterior ipſe ambitus, ab Aureliano auctus, ac proinde multò major, ultra paſſuum XII. M. CCCL. excurrit. Unde vir, in rebus Geographicis acutiſſimus, vitiatos Plinii numeros, & pro *paſſ.* XIII. M. CC, emendandum *paſſ.* VIII. M. CC, contendit.

Certè de Urbis menſurâ aſſentior, nec tamen corruptos Plinii numeros opinor. At, qui murorum ambitum ætate Veſpaſiani collegere, non videntur rectà, ſed per turrium flexus ſinuoſoſque murorum anfractus menſuram accepiſſe. Inde ex eorum calculis exurgunt paſſus 13,200; cùm ſint reapſe circiter 8,200. Sic quoque explices, quæ tradit Olympiodorus apud Photium, Cod. LXXX. pag. 198. Ammonem Geometram, mœnia Romæ, cùm primùm Gothi eam incurſionibus infeſtavere, dimenſum, reperiſſe in ejus circuitu XXI mill. paſſ. τὸ δε τῆς Ῥώμης τεῖχος μετρηθεν παρὰ Ἄμμωνος τȣ̃ γεωμέτρȣ, καθ᾽ ὂν καιρὸν Γότθοι τὴν προτέραν κατ᾽ αὐτῆς καταδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι ϗ ἑνὸς μιλίȣ διάςημα ἔχον ἀπεδείχθη. Nam mœnia, quæ Ammon emenſus eſt, ſunt ipſa mœnia ab Aureliano ſtructa, quæ XII. M. CCCL paſſ. tantùm patebant. Hodieque ambitus Urbis, a ſummis Pontificibus ac maximè ab Urbano VIII amplificatæ, patet tantùm paſſus 15000 $\frac{1}{4}$. Nec potuere ab Ammone XXI. M. paſſ. colligi, quin turrium murorumque flexus & anfractus dinumeraverit. Et certè κριτικώτερος foret, qui & Latina Plinii & Græca Olympiodori corrupta contenderet.

At, inquies, ſi hæc ita ſint, haud ita magna fuit Roma, quam nunc in Europâ plures urbes æquent ſuperentve. Verùm Urbem noſcis, Romam nondum noſti. Hæc enim, ſi propriis utimur verbis, valde diverſa, ut accipimus ex Paulo, Digeſt. libr. L. Tit. 16. de Verborum ſignificatione, Leg. 2. *Urbis appellatio muris: Romæ autem*

continentibus ædificiis finitur. & Leg. 87 ex Marcello: *Ut Alfenus ait, Urbs eſt Roma, quæ muro cingeretur. Roma eſt etiam, qua continenti ædificia eſſent.* Leg. quoque 147 ex Terentio Clemente: *Qui in continentibus Urbis nati ſunt, Romæ nati intelliguntur.*

Inde eloquenter pro more ſuo Plinius loc. cit. ait, *Exſpatiantia tecta multas* Urbi addidiſſe *urbes ... Quò ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æſtimationem concipiat, fateaturque nullius Urbis magnitudinem potuiſſe ei comparari.* Nec aliter, & ſub ipſa Auguſti tempora Dionyſius Halicarnaſſ. loc. cit. *Si quis hæc aſpiciens Romæ amplitudinem velit colligere, procul dubio falletur, neque certum ullum ſignum habebit, quo dignoſcat quouſque Urbs progrediatur, & ubi Urbs eſſe deſinat: adeò cum urbanis ædificiis ipſa ſuburbia nexu quodam perpetuo cohærent, & hominibus hæc ſpectantibus Urbis in infinitam longitudinem porrectæ ſpeciem præbent.* Ἀλλ᾽ ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μέγαλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾷστα πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι. Καὶ εἰ μέν εἰς ταῦτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν ᾧ διαγνώσεται μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις· οὕτω συνυφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται.

In tantâ urbe quis fuerit incolarum numerus diſquirere juvat, maximè cùm in enormes & abſurdas computationes abeant, qui hac de re ſcripſere, nullà urbium notitiâ, ſuis tantùm conjecturis ſubnixi. Exiſtimat Lipſius fuiſſe Romæ quadragies centena millia, 4,000,000, hominum. Alii octogies, 8,000,000, hominum volunt. Ne alios quidem puduit ſcribere hominum centies quadragies, 14,000,000.

Si quis fuerit Romæ ſingulis annis hominum emortualis numerus eſſet compertum, de numero ejus incolarum nulla exoriretur difficultas; ille enim numerus, per 32 multiplicatus, foret vitalis hominum numerus, ut ex accuratiſſimis Cl. Petty, *Several Eſſays in political Arithmetic*, aliorumque eruditorum virorum, qui poſtea rem illam attigere, computationibus ſtat certum & inconcuſſum.

At cùm emortualem illum numerum nullus veterum ſcriptorum prodiderit, alia ineunda eſt via, indubitatis quoque Cl. Petty, aliorumque computationibus & experimentis certiſſima. Nempe ſi in urbe frequentiſſimâ ac principe, altitudine tectorum conſpicuâ, ut nunc ſunt Pariſii, ut olim fuit Roma, numerum domorum noveris, noſti numerum hominum.

Omnes enim domos ſummatim accipe. In ſingulis domibus erunt familiæ 3 ½. Singulæ familiæ conſtabunt 6 capitibus; ac proinde unaquæque domus habebit incolas 21. Hæc generatim de domibus, *les maiſons*, dicta. Sed aliæ ſunt domus majores, quas vulgò appellamus, *les Hôtels*, turbâ hominum numeroſoque famulitio gravidæ.

Hæ duplo ſunt æſtimandæ. Singulæ ergo habebunt incolas 42. Unum autem idemque eſſe, ſi incolas ex domibus, vel ex mortuis, æſtimaveris, illuſtri exemplo patebit.

Pariſiis moriuntur ſingulis annis hominum circiter viginti millia . . . . 20,000.

Ex hoc numero 20,000, multiplicato per 32, ſunt Pariſiis incolæ . . . . 640,000.

At Pariſiis ſunt triginta millia domorum, quas inter numerantur 500 domus majores, *des Hôtels*. Multiplica domos 29,500 per incolas 21, domos majores 500 per incolas 42, invenies incolas. 640,500.

Quæ ſumma eadem ferme eſt, ac ea quæ ſuperiùs ex mortuis provenit.

Ex his igitur principiis eamdem nobis licet de numero Romæ incolarum rationem inire. At ne ex verbis ſuboriatur difficultas, priùs præmonuerim, ut Pariſiis diſtinguimus *les maiſons*, *les Hôtels*, ſic Romæ fuiſſe inſulas *les maiſons*, domos *les Hôtels*. Deinde, licèt ſit generalis regula ut domus duplo æſtimentur, eas tamen quadruplo accipiam, ne in Urbis majeſtatem peccaſſe videar, tum etiam quòd Romæ eſſet domus Cæſarum, ceterorumque procerum, qui tantâ abundabant ſervorum copiâ, ut in unâ domo Pedanii Secundi, præfecti Urbis, ſub eodem tecto manſitaverint quadringenti ſervi, ne numeratis quidem libertis, Tacit. Annal. XIV, 42.

His obſervatis, adeamus P. Victorem, *de Regionibus Urbis*. Ipſo teſte, fuere Romæ INSULAE XLVI MILL. DCII. DOMVS MILL. DCCXXC.

Si inſulas, *les maiſons*, 46602 per 21 multiplicaveris, erunt incolæ . . . . 978,642.

In domibus 1780 per 84 multiplicatis ſunt incolæ. . . 149,520.

Adde homines circiter 60 000, qui in caſtris prætoriis, Urbanis, peregrinis, Vigilum, Miſenatium &c. a Victore memoratis, attinebantur.

Fuere ergo

In inſulis incolæ	978,642.
In domibus	149,520.
In caſtris	60,000.
Summa incolarum Romæ fuit	1,188,162.

Ac proinde Roma fuit multò major Pariſiis, in quibus ſunt tantùm incolæ. . . . . 640,000.

Fuit numeroſior Londino, in quo cùm ſingulis annis moriantur homines circiter 24,000, incolarum numerus debet eſſe. . 768,000.

Romæ magnificentia, aliunde ſatis perſpecta, & in ſuis ipſis ruinis hodieque conſpicua, apparet adhuc in domorum, *les Hôtels*, numero, cùm tam paucæ ſint Pariſiis, multò pauciores Londini.

Cognitâ autem Romæ amplitudine, ac frequentiâ, difficultates,

quas nonnulli de veteribus Orientis urbibus movent, extricandæ. Cùm immenſa fuerint Ninives ac Babylonis ſpatia, contendunt ſingulis urbibus fuiſſe incolarum octogies centena millia, 8,000,000. Nec attendunt antiquis temporibus ita conditas fuiſſe urbes, non modò ut habitarentur, ſed etiam ut colerentur, &, ſi bellum ingrueret, ut ſuis facultatibus copiiſque ſuſtentarentur. Id de Babylone apertè prodidit Quintus Curtius, V, 1. *Totius operis* (muri urbis) *CCCLVIII ſtadia complectitur . . . Ædificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpatium unius jugeri abſunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, per XC ſtadia habitatur: nec omnia continua ſunt, credo, quia tutius viſum eſt pluribus locis ſpargi. Cetera ſerunt, coluntque: ut ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta, ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrent.*

Inde Plinium, ſuprà laudatum, intelligas, qui & Ninives, & Babylonis, & Thebarum deſcriptiones viderat, & tamen confidenter pronuntiabat *nullius urbis magnitudinem potuiſſe ei*, Romæ, *comparari.* Immo ipſius ætate cùm Seleucia Babylonem hauſiſſet, in eâ fuere tantùm *plebis urbanæ DC. M.* 600,000, teſte Plinio VI, 26.

Itaque celeberrimæ illæ Orientis & Ægypti urbes fuere Pariſiis quidem aut Londino majores, Romæ autem inferiores, vel ad ſummum pares. Unam in univerſo orbe urbem vetere Româ frequentiorem novi, Pekinum ſcilicet, *Peking*, Imperii Sinenſis caput, quam ferme tricies hominum, 3,000,000, habitare ſcribit P. du Halde, *Deſcription Géograph. Hiſtor. Chronolog. Politique & Phyſique de l'Empire de la Chine*, Tom. II. pag. 7. Licèt pleræque peregrinarum narrationum amplificationibus intumeant, maximè cùm de hominum numero agitur, neque hæc fortè eo vitio careat, frequentiſſimum tamen eſſe Pekinum, atque ipſâ Româ numeroſius, libenter profiteor. Idque evicere noviſſimæ Sinenſes literæ, ſcriptæ Pekino die 12 Novembris, anno 1767, quibus nuntiabatur periiſſe hac in urbe variolis, *la petite vérole*, anno 1766, pluſquàm centum millia puerorum. Nec magnatum liberi hoc morbo fuere afflati, quia diligentiſſimè contactu ſunt prohibiti. Unica hæc fuit adversùs ſævientem morbum cautio ac medela. Graſſanti enim malo iterum ceſſere & priùs habitæ, & olim inſertæ, *l'inoculation*, variolæ. Hæc Sinenſes literæ.

Licèt morbus ſolito acriùs hoc anno ſævierit, patet tamen maximam eſſe Pekini frequentiam. Nec miror. Urbs enim illa, ut & imperium Sinenſe, peſte numquam fœdatur: ibi etiam pax pæne immota. Adde incredibilem populi parcimoniam, qui oryzâ plerumque victitet, nec ipſas ſordes, ceteris populis abominatas, equos, canes, feles, mures, ſenio quoque ac morbo enectos faſtidiat, teſte eodem P. du Halde, qui id non immeritò inter præcipuas Sinenſis abundantiæ cauſas recenſet. *La chair des juments ſauvages eſt fort eſtimée . . . Le peuple s'accommode fort de la chair des chevaux, &*

des chiens, quoique morts de vieilleſſe, ou de maladie; il n'a pas même de répugnance à manger celle des chats, des rats, & d'autres pareils animaux, qui ſe vend dans les rues; du Halde, loc. cit. pag. 138. Quis poſtea mirabitur ibi reperiri urbes populo frequentiſſimas, & in toto imperio Sinenſi numerari circiter bis millies hominum, 200,000,000, cùm vix totidem habeat tota Europa. His paulo diutiùs ſumus immorati, quòd inde nova magnaque lux hiſtoriæ adfulgeat.

CAP. XXV. M. Suillio] Memoratur in nummis Hierapolitarum, apud Harduinum, *Selecta Opera*, pag. 71. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟΣ. *Hierapolitarum, M. Suillius.* In parte averſâ, templum, cum epigraphe, ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Agrippina Auguſta.* Diverſus ergo M. Suillius a P. Suilio, de quo ſuprà Annal. IV, 31. & ſæpe libr. XI & XIII. Marcum autem Suillium eumdem eſſe, ac Suilium Rufum, de quo Plinius VII, 5, opinatur Harduinus.

CAP. XXVII. Deduci impetrat] Sic Mſſ. & editiones veteres. Lipſius *imperat.*

Deinde L. Pomponius] Quòd ad ſignificationem vocis *deinde* non ſatis attenderat Lipſius, opinabatur parum cohærere narrationem, ac fortè excidiſſe, quæ de Sulpicii Galbæ & P. Gabinii expeditione adversùm Cattos Marſoſque Dio narravit, libr. LX. Verùm hìc nihil deeſt. Galbæ & Gabinii expeditionem ſuo loco memoravimus in Supplemento ad Annal. IX, 23.

Vangionas] Ita Mſſ. & editiones veteres. Rhenanus *Vangiones.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Wangionas.*

CAP. XXIX. Mox diuturnitate] Sic Mſ. Flor. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *diuturnitatem.* Mox pro *mutans*, in editione principe *mutatus.* Eleganter dictum *mutans.*

Vibilius] Editio princeps, Mſſ. Flor. Agr. *Vibillius.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Jubilius* aut *Jubillius.*

P. Attellio Histro] Ita Mſſ. Diverſus ergo a SEX. PALPELLIO vel PALPEIO. P. F. VEL. HISTRO, cujus memoria exſtat apud Gruterum CDXLVII. num. 4.

Pannoniæ præsidebat] Ita plerique Mſſ. & editiones veteres. Mſ. Flor. *Pannoniam.* Utrumque Latinè.

Subsidio victis, et terrori] Ita Mſ. Bodl. & editiones quàm plurimæ. In Mſ. Flor. & editione principe, *terrorem.* Sic quoque Erneſtus. Puteolanus, *terrore.* Mſſ. Jeſ. Guelf. *tempore.*

CAP. XXX. Inter se partivere] Editio princeps *partiti ſunt.*

Bene Puteolanus ex Mſſ. *partivere.* Sic Salluſtius in Jugurth. *Conſules deſignati provincias inter ſe partiverant.*

CAP. XXXI. Cæsis qui restiterant] In Mſſ. & editis libris *reſtiterunt.* Ex Latino uſu rectè Erneſtus, *reſtiterant.*

Cinctosque castris] Mſ. Flor. *cunctaque caſtris.* Editio princeps *cunctaſque caſtris.* Mſſ. Harl. & Jeſ. *Cinctaſque caſtris.* Alterâ manu emendatum *cinctos.* Sic & Puteolanus. Lipſius aliique hìc plurimam difficultatem movent, ut emendetur vel *detrahere arma ſuſpectis, cinctiſque: caſtris Antonam ad Sabrinam fluvium cohibere parat*; vel *cinctoſque caſtris, Antonâ & Sabrinâ fluviis.* At eleganter dictum, *cinctoſque caſtris Antonam*, vel potiùs *Auſonam & Sabrinam fluvios cohibere parat.* Nam perperam aut Tacitus, aut librarii ſcripſere *Antonam* pro *Auſonam*; quod jam pridem animadvertit eruditus Camden, *Britannia by Gipſon*, pag. 431; ſuadetque locorum natura. Non ineleganter vertit Cl. Gordon, *He determined to deprive of their arms all ſuch as he ſuſpected, and, by the means of forts, to confine them betwen the rivers Nen and Severn.*

Prœliis contusi] Mſſ. Flor. Reg. Farn. editio princeps, Pichena, Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus *concuſſa.*

CAP. XXXII. Ductus in Cangos] Mſſ. Flor. Vatic. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & Puteolanus, *ductus inde Cangos.* Unde fortè olim ſcriptum, *ductus inde in Cangos*, ut Pichenæ & Erneſto placuit.

Apud Brigantas] Sic Mſ. Corb. & editio princeps. Puteolanus *Brigantes.* Variant quoque ceteri Mſſ. De Brigantibus Seneca in Apocolocynt. ſeu ludo de morte Claudii.

Ille Britannos
Littora ponti,
Scuta Brigantas
Colla catenis
Nova Romanæ
Tremere Oceanum.

Ultra noti
Et cæruleos
Dare Romuleis
Juſſit, & ipſum
Jura ſecuris

Colonia Camulodunum] Ita Mſſ. editiones veteres & Erneſtus. Græcis quoque Καμμλόδουνον. In æreo Claudii nummo apud Cl. Camdenum, *Britannia*, pag. 70. TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. XII. IMP. XIIX. capite nudo. Ex adverſâ parte colonus duos boves agit, vulgare in nummis coloniæ ſignum, COL. CAMALODVN. AVG. Idem pag. 394, ex inſcriptione memorat Cn. Munatium, qui fuit CENSITOR CIVIVM ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI. Utinam tum nummum, tum inſcriptionem ipſe inſpexiſſet, ut ex eruditiſſimi viri teſtimonio indubitata conſtaret fides. Nomen urbis ductum videtur a CAMVLO DEO SANC-

TO ET FORTISSIMO: Sic enim gentes illæ Martem vocitavere. Camden. Ibid.

CAP. XXXIII. CARACTACI] Strenuus ille Britannorum imperator a Zonarâ, Tom. I. pag. 565. Καράτακος appellatur. Sic etiam Mſ. Reg. in Mſ. Jeſ. *Carataci.* Verùm Cl. Haym, *Teſoro Britannico*, pag. 145, nummum æreum e cimelio Comitis *di Winchilſea* laudat, in quo ex unâ parte caput nudum Principis: ex alterâ pedes cum clipeo equum ducit: infrà CARIC. Unde genuinum nomen eſſe *Carictacum* adſeverat. Eum apud Demetas, nunc *le Comte de Cardigan*, regnaſſe docet eruditus Camden, *Britannia*, pag. 585.

SED TUM ASTU, TUM LOCORUM FRAUDE PRIOR] Ita Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In Mſ. Flor. *ſed tum aſtu, locorum fraude prior.* Mſſ. Reg. Agr. & editio princeps, ſed *tamen aſtu.*

CATERVA MAJORUM] Ita libri omnes editi & Mſſ. præter Ryckium, qui e Mſ. Agr. perperam edidit *catervâque majore.* Nec eſt cur emendatum velis cum Lipſio *catervæque nationum*, aut cum Freinſhemio *caterva armatorum.* Abſurdè Barthius *Caterva Monionum*, qui vicinam inſulam Monam, *Angleſey*, habitabant. Non malè vertit Cl. Gordon, *and a hoſt of men guarded his entrenchments.*

CAP. XXXV. ARDOREM EXERCITUS INTENDEBANT] Verbo *intendere* ſæpe utitur Tacitus. Igitur immeritò hìc emendatum *incendebant.* Veteres editiones & Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. omnes habent *intendebant*; quod & N. Heinſio placebat.

CONFERTO GRADU] Ita libri omnes editi. Mallet Freinshemius *conſerto gradu*; ſicque legitur in Mſſ. Harl. Bodl. & Jeſ.

CAP. XXXVI. CARTISMANDUÆ] Variant Mſſ. *Cartunanduam*, *Cartumanduam*, *Cartimandam*, *Cartiſmanduam*, quod magis receptum, appellant.

SUUM DECUS EXTOLLIT] Pro victoriâ paſſim erecta trophæa. In eâ Belgarum parte, quæ nunc dicitur *le Comte de Somerſet*, repertam oblongam plumbi laminam in trophæum erectam & inſcriptam, TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI. DE BRITAN. teſtatur eruditus Camden, *Britannia*, pag. 196. Obvii quoque nummi aurei, in quibus TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. Capite laureato. Ex adversâ parte arcus triumphalis, duobus trophæis, & equeſtri Imperatoris ſtatuâ ornatus, cum inſcriptione DE BRITANNIS. Inde accipimus victum fuiſſe Caractacum anno priore. Sed plures per annos geſta conjunxit Tacitus, ut ipſe monet infrà cap. XL.

CASTRA PRÆJACET] Ita Mſ. Harl. Puteolanus & Recentiores. In editione principe & Mſ. Reg. *caſtris.* Mox emendavi, *tum*, *incedentibus*,

Erneſtum

Erneſtum & latinitatem ſecutus: in editionibus veteribus & Mſſ. Harl. & Bodl. *tunc.*

Regiis clientelis] Ita omnes, Lipſium ſecuti: tamen in Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. aliiſque tum ſcriptis, tum editis libris, ante Lipſium *clientulis.* Quæ vox recipienda videretur, ſi vel aliis ſcriptoribus probata, vel ex uſu Corneliano foret; nec *clientelis* elegantiùs diceretur.

Traducta] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *tradita.*

At non Caractacus] Mallet Erneſtus. *At Caractacus, non vultu demiſſo, aut verbis, miſericordiam requirens.* Certè ſic lætiùs flueret oratio.

CAP. XXXVII. Neque dedignatus esses] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. *Neque dedignatus eſſem claris majoribus ortus, pluribus gentibus imperitans, fœdere pacem accipere.* Mſ. Reg. & editio princeps... *ortum. . . . imperantem. Fœdera pacis.* Mſ. Flor. *imperitantem.* Pichena aliique rectè emendavere, *Neque dedignatus eſſes*, &c.

Non, si vos] Ryckius ex Mſ. Agr. quod Mureto & Grotio placuerat. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *nam*; quod Lipſius in *num* mutavit.

Oblivio sequetur] In Mſſ. & editis libris, *& ſupplicium mei oblivio ſequeretur. Et* redundare manifeſtum eſt, ex ultimâ prioris verbi ſyllabâ repetitum. Pro *ſequeretur* emendandum *ſequetur* jam monuere Rhenanus & Lipſius, ediditque Erneſtus.

Vinclis exsoluti] Lipſius & Recentiores. Editiones veteres & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *abſoluti.*

Laudibus gratibusque] Editiones veteres *gratiiſque.* In Mſ. Harl. primâ manu *gratibus*; poſtea emendatum *gratiis.*

CAP. XXXVIII. Vinctos reges] Sic editio princeps, & Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus, *victos.*

Sive hostes] In Mſ. Reg. & editione principe *ſive quòd hoſtes. Quod* omiſere Puteolanus & Recentiores.

Ni cito vicis et Castellis] In Mſſ. & editionibus veteribus *nunciis & caſtellis:* unde emendandum videtur, *ni citò nunciis e caſtellis*; vel ut Mureto placuit, *ni citò e vicis & caſtellis.* Haud ita bene Lipſius, *ni citis nunciis e caſtellis.*

Promptissimus quisque manipulus] Mallet Lipſius *e manipulis.*

Pabulantes nostros, missasque] Ita Puteolanus & Erneſtus. In Mſſ. Flor. & Guelf. *pabulantes nos ipſis.* Mſ. Reg. & editio princeps, *pabulatum nos ipſos.* Mſſ. Harl. & Jeſ. *pabulantes noſtros ipſos.* Unde Aldus & alii *pabulantes noſtros, ipſaſque miſſas.*

CAP. XXXIX. SORS AUT VIRTUS] Ita libri omnes ſcripti & editi ante Cll. Erneſtum & Lallemand, qui *fors* edidere, fortè operarum errore; nullam enim mutationis cauſam afferunt.

TEMERE PROVISO] Pichena e Mſ. Flor. Malè antea *proviſa*.

CAP. XL. MANLIUS VALENS] Mſ. Reg. *Mallius*. Editio princeps *Malleus Valens*. Puteolanus *Manlius*: cujus fortè memoria exſtat in veteri marmore apud Gruterum DCCCCXVIII. num. 2.

DIS MANIBVS
T. MANLI. VALENTIS

MAJOR LAUS COMPOSITIS] Mſſ. & editiones veteres *compoſiti*, quod probat Jac. Gronovius. At meliùs Lipſius & Recentiores *compoſitis*, ut patet ex ſequenti verbo *duraviſſent*.

VENUSIUS] Hìc Mſſ. & editiones veteres *Venutius*. At infrà Hiſt. III, 45. *Venuſius*; quod utroque in loco a Lipſio aliiſque receptum.

E JUGANTUM CIVITATE] Mſ. Reg. *Evigantium civitate*. Editio princeps *evigantum*. Puteolanus *e Jugantum civitate*. At nemini notus ille *Jugantum* populus. Præterea tum ex ſuperiore cap. 36. tum ex Hiſt. III, 45, certiſſimum videtur emendandum eſſe *Brigantum*, ut jam monuit doctiſſimus Camden, *Britannia*, pag. 609. Jugantes tamen retinuit Cl. Gordon, *Venuſius*, *of the city of the Jugantes*.

ORTO DISCIDIO, ET STATIM BELLO] Bene Erneſtus e Mſſ. Flor. Agr. & editione principe *diſcidio*. Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *diſſidio*. Neſcio cur Cl. Erneſtus omiſerit *&*, refragantibus libris ſcriptis & editis.

INTERCEPIT] Mſ. Reg. *intercipit*.

AD TEMPORUM ORDINEM] Ita Mſſ. Flor. Guelf. Harl. & Bodl. Jeſ. Puteolanus & Erneſtus. In Mſ. Reg. & editione principe, *nunc ad temporum*.

CAP. XLI. SER. CORNELIO ORPHITO] In marmoreâ Antiatinâ tabulâ,

TI. CLAVDIO AVGVSTO V
SER. CORNELIO ORPHITO COS

Annus, quo Claudius V & Orphitus conſules fuere, inſignis eſt veteri lapide, qui faſtorum pontificalium partem exhibet, apud Gruterum, pag. CCC. num. 1.

ADLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C
Nero Claudius CAESAR. AVG. F
GERMANICVS
Ti. CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMAN. V
SER. CORNELIO. ORFITO. COS
P. R. C. ANN. DCCCIIII

Id eſt poſt Romam conditam anno 804. Nec in eo ſtetit ſenatûs adulatio. Fuit adhuc Nero *Sacerdos cooptatus in omnia Conlegia*, id eſt *Collegia*, *ſupra numerum ex ſenatuſconſulto*, ut accipimus ex argenteo nummo, qui olim fuit in Muſeo Collegii Ludovici Magni : ex unâ parte, caput Neronis nudum, NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. ex alterâ, inſtrumenta Sacerdotalia, SACERD. COOPT. IN. OMN. CONL. SVPRA. NVM. EX. S. C. Igitur uno eodemque anno *virilis toga* Neroni maturatur, fit *princeps juventutis*, *conſul deſignatus*, *proconſulari imperio*, id eſt per omnes Imperii provincias majori auctoritate, quàm cuncti provinciarum præfecti, *pontifex adlectus ad numerum pontificum*, *ſacerdos* in omnia collegia cooptatus extra numerum. Quomodo antea inter filios nepoteſve Principum pontificatus ac ſacerdotia fuerint diviſa docebit Cl. de la Baſtie, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XII. pag. 345. & ſeq.

LIBENS CESSIT] Ita Mſ. Guelf. & editio princeps. Malè Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *liberis ceſſit.* Sed in Mſ. Harl. alterâ manu emendatum *libens.*

CONGIARIUM PLEBI] Puteolanus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *plebei.* Editio princeps *plebeis.*

TRIUMPHALIUM VESTE] Mallet Freinſhemius, *triumphali in* aut *cum veſte.* Vellent alii *triumphantium.* Utcumque tamen ferri poteſt *triumphalium*, cùm *triumphales* viros paſſim memoret Plinius.

SIMUL QUI] Malè Beroaldus *ſimulque qui*, reclamantibus libris ſcriptis & editis. Mox *miſerabantur* primus edidit Puteolanus. In editione principe & Mſſ. Guelf. & Harl. Bodl. Jeſ. *miſerebantur.*

TALI OCCASIONE. OBVII] Sic interpunxit Lipſius; & rectè quidem. Antea conjunctim, *Tali occaſione obvii.* Sic tamen editiones veteres & Mſſ. Bodl. Jeſ.

QUASI CRIMINIBUS] Ita Mſ. Reg. Corb. editio princeps aliæque plurimæ. Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *tanquam criminibus.* Mox *Claudius* habent Puteolanus & iidem Mſſ. Abeſt ab editione principe & Mſſ. Flor. Reg. Corb. & Agr.

CAP. XLII. RUFIUS CRISPINUS] Mſſ. Reg. Flor. Corb. In Mſ. Harl. *Ruffius.* Puteolanus, *Rufus.* Editio princeps *Ruffus.* In Mſ. Jeſ. Annal. XV, 71. *Rufius.*

BURRUM AFRANIUM] Mſſ. Flor. Reg. & editio princeps. De alio quoque, ſed ejuſdem nominis, apud Gruterum CVIII. num. 4. IMP. COMMODO III ET BURRO COS. Puteolanus & Mſſ. Harl. & Jeſ. *Burrhum.*

QUI MOS] Mallet Urſinus *qui honos.*

ET SACRIS ANTIQUITUS] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps, Lipſius & Recentiores. Puteolanus, & *ſacris Druidibus antiquitatis.*

In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Guelſ. *& ſacris Druidibus antiquitus.* Hícne memorati Druides, & *antiquitus* additum, quòd eos Tiberius Claudiuſque ſuſtuliſſent, ut notabimus infrà Annal. XIV, 30? Sed verius *Druidibus* redundare.

AQUA ATQUE IGNE INTERDICERET] Rhenanus ac Recentiores. Mſ. Reg. & editio princeps *interdicat.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *interdiceretur.*

CAP. XLIII. INVALIDUS QUISQUE OBTRITI] Pichena e Mſ. Flor. In veteribus editionibus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *obtritus.* Idem ſuprà edidit *prorutæ*, Rhenanus infrà *accipiebatur.* Antea in ſcriptis editiſque libris *proruptæ*, vel *præruptæ*, vel *perruptæ*, & *accipiebantur.*

VI URGEBANT] Puteolanus *vi* omiſerat; reſtituit Pichena. Sic & editio princeps.

MILITUM GLOBO INFENSOS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. & editio princeps. Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. *infeſtos.*

OLIM EX ITALIÆ REGIONIBUS] Rhenanus ex Mſ. Bud. In editione principe, & Mſ. Flor. *olim Italia regionibus portabat.* Puteolanus *Italiæ... portabant.* Miror Cl. Erneſtum, qui arbitratur Tacitum ſcripſiſſe, *Italiâ*, vel *ex Italiâ*, *legionibus... commeatus portabant*, vel *portabatur.* Addit, de *legionibus* certè non dubitandum: Erneſto aſſentitur Cl. Lallemand. Ego verò receptam ſcripturam minimè mutaverim, duce Plinio III, 5. *Auctorem nos divum Auguſtum ſecuturos, deſcriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones XI. Undecim* illas *regiones* paſſim memorat Plinius.

CAP. XLIV. POTENTIÆ PROMPTÆ] Ita libri omnes. Mallet Lipſius *promptum.* Freinshemius *properum*, vel potiùs *impotentiæ promptæ.* Nihil mutaveris: Pharaſmanes metuit juvenem, cui prompta erat potentia, & ſtudio popularium accinctum. Sic Tacitus Vit. Agr. XXXV. *Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus;* & ſic ſæpe aliàs.

VERGENTIBUS JAM ANNIS] Mſ. Jeſ. & editio princeps *urgentibus.*

ET ORNANTE] Mſ. Flor. Lipſius ac Recentiores. In Mſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus *orante.* Mſ. Reg. & editio princeps *ignorante.*

CAP. XLV. REGRESSUS AD PATREM] Rhenanus & Recentiores. In veteribus editionibus & multis ſcriptis libris *regreſſuſque ad patrem.*

QUÆ FRAUDE CONFICI POTUERINT, PROMPTA NUNTIAT] Bene Lipſius. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *qua fraude confici potuerit, promptè nuntiat.*

IRRUPTIONE SUBITA] Male Pichena e Mſ. Flor. *eruptione.*

SCELERE ET PECUNIA VERTERENTUR] Erneſtus ex Mſſ. Bud. & Agr. quibus ſuffragantur Mſ. Flor. & editio princeps, licèt in iis corruptè *uterentur*. Puteolanus ut & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *venderentur*.

C. UMMIDIUM QUADRATUM] Peſſimè Mſ. Reg. & editio princeps, *tum Midium Quadratum*. Puteolanus *T. Vinidium Quadratum*. Mſſ. Harl. & Bodl. *Umidium*. Alii aliter : malè omnes. Verum nomen ex veteri lapide Caſinatis monaſterii docuit Em. Noris, *Epoch. Syromacedon.* Diſſ. III. pag. 183.

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LUSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET
NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Exſtant quoque nummi plurimi ANTIOXEΩN EΠI KOYAΔPATOY. ET. ΔP. atque etiam ET. EP. ϛP. HP. id eſt nummi *Antiochenſium*, *ſub Quadrato* præſide, *anno CIV*, *CV*, *CVI*, *CVIII*. æræ Antiochenæ, ſeu Urbis conditæ DCCCVIII, & DCCCIX, DCCCX & DCCCXII. Vide Em. Noris, loc. cit. pag. 182. & Harduinum, *Selecta Opera*, pag. 635. & ſeq.

CAP. XLVI. CUSTODE EXSOLUTUS] Malè Puteolanus *Cuſtodiæ*.

ET SATIS COGNITAM ARMENIORUM PERFIDIAM] Mſſ. Harl. Bod. Jeſ. Guelf. & editiones veteres *cognitâ... perfidiâ*. Ferendum, ſi particula *&* deleretur. Mox *ſubſidii* ex Mſſ. Flor. Reg. & editione principe Ryckius. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *præſidii*.

COMMEATU EGENUM] Malè Mſ. Farneſ. *Commeatuum*. Quis ferat *Caſtellum commeatuum egenum*!

ARMIS INCRUENTAS CONDITIONES MALLE] Optimè Ryckius. Vulgò in ſcriptis & editis libris, *armis*, *quàm incruentas conditiones malle*.

QUOQUO MODO CELERARE] Malè Rhenanus, *accelerare*, repugnantibus libris ſcriptis & editis.

PRÆSIDIO ABITUROS] Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Guelf. corruptè in Mſ. Flor. *præſidium ammis*. In Mſ. Reg. & editione principe, *præſidium cominus*. Unde Freinshemius emendabat, *præſidium omiſſuros*. Mſ. Agr. ſanè ex librarii conjecturâ, *tradituros*.

CAP. XLVII. PROVISUM ILLIC SACRIFICIUM IMPERATUM] Locum hunc alii aliter vexant, quòd vel *proviſum*, vel *imperatum*, redundare videatur. Conjicit Lipſius, *proviſu ſuo illic ſacrificium*; aut

proviſum illic ac ſacrificium paratum. Heinſius, *proviſum illic ſacrificio imperato. Proviſum* in *reniſum*, (nempe *trahit reniſum*,) mutat J. Fr. Gronovius; Jac. Gronovius in *promiſſum.* Nihil mutat Erneſtus; nec malè. *Imperatum* videtur ſacrificium, cùm Mithridates *diem locumque fœderi accepit.*

Nodoque præstringere] In Mſſ. & editionibus veteribus *perſtringere.* Placuit tamen Recentioribus *præſtringere:* nec immeritò. Uſitatius eſt; & in hoc verbo ſæpius variant errantque Mſſ.

In artus extremos se effuderit] Mſ. Jeſ. & Recentiores poſt Rhenanum. In Mſſ. Reg. Agr. & editionibus veteribus *in artus extremos ſuffuderit.* Sic & Mſ. Bodl. Sed margini adſcriptum, *ſe effuderit.* Mallet N. Heinſius *artus extremos ſuffuderit*, omiſſâ præpoſitione.

Invicem lambunt] Mſ. Reg. *ad invicem.*

Ac compede] Mſ. Reg. & editio princeps, *iniiciuntur catenæ ad compedes.* Puteolanus & Recentiores, *ac compedes.* Jac. Gronovius, *ac compedes. Quo dedecore, barbaris trahebatur.* Cll. Chifletius & Jenſius, *ac compedes, & quod dedecorum* &c. Simpliciùs veriúſque Lipſius, *ac compede.* Hoc enim ſervile ac pecuarium. Juvenal. IV, 80.

Quæ nunc
Squalidus in magnâ faſtidit compede foſſor.

Erant contra] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. In Mſ. Flor. & editione principe, *erant econtra.* At barbara eſt vox illa *econtra*, nec niſi ſequiori ætate, in quâ deſcripti ſunt codices, recepta.

Fortunæ commutationem] Malè Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *commotionem.* In margine Mſſ. Harl. & Bodl. emendatum *commutationem.*

Abduntur] Mſ. Harl. & Jeſ. *abducuntur.*

CAP. XLVIII. Omne scelus externum.] Rectè Lipſius. In Mſſ. & editionibus veteribus, *Omnes ſcelus.* Vellet Gronovius, *monentes ſcelus.* N. Heinſius, *differunt in commune, ſcèlus.* Erneſtus, *quippe*, vel *immo ſcelus.*

CAP. XLIX. Juxta despiciendus] Mſ. Reg. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *conſpiciendus.* At in Mſſ. Harl. & Bodl. emendatum quoque *deſpiciendus.*

Cum privatus olim conversatione scurrarum] Nihil umquam feliciùs emendavit Lipſius. In ſcriptis & editis libris, *cum privatis*, vel *privatas olim converſationes*, vel *concurſationes*, *curaret.* Mox in editione principe *objectaret.* Bene Puteolanus & Mſſ. Flor. Reg. Guelf. & Harl. Bodl. Jeſ. *oblectaret.*

Is Pelignus] Rectè abeſſet *Pelignus*, ut viſum Freinshemio.

Ne ceteri quoque] Eruditus Petavius arbitrabatur fortè emen.

dandum, *ne ceteri quoque ex Peligno contingerentur*, id eſt *contage tentarentur*. At id a librorum omnium ſcripturâ remotius videtur.

CAP. L. Deinde atrox] Ita Mſſ. & editiones veteres. Neſcio unde poſtea irrepſerit *dein*.

Perpellunt Vologesen] Rhenanus & Recentiores, præter Cl. Lallemand, qui *percellunt* edidit; Mſſ. & veteres editiones ſecutus.

Rebellaturos] Bene Rhenanus. Antea, *bellaturos*.

Regiam circumveniunt] Mſ. Reg. & editio princeps, *circumvenerunt*. Mſ. Bodl. & Puteolanus *circumeunt*. Bene Mſſ. Agr. Guelf. *circumveniunt*. Ita quoque emendatum in Mſ. Bodl.

CAP. LI. Ubi quati uterus] Heinſius emendabat, *quatitur*. At nihil mutandum rectè monuit Erneſtus ex uſu Taciti Annal. XV, 27, & Hiſt. III, 31.

Ripam ad Araxis] Ryckius e Mſſ. Flor. Reg. & Agr. Vulgò, *ad ripam*.

Trahit, flumini tradit] Duriuſculum, *trahit*, *tradit*. Unde Erneſtus putat Tacitum ſcripſiſſe, *vulneratamque ripam ad Araxis flumini tradit*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *trahit*, *flumini traditam*, *ut corpus etiam auferretur*.

Placida illuvie] Mallet Gronovius, *eluvie*.

CAP. LII. Quod stirpem] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editio princeps. Puteolanus, *qui*.

CAP. LIII. Inter quæ refertur] Puteolanus & Recentiores. Editio princeps, *refert*.

Ignaro domino, ad id prolapsa] Bene Ryckius e Mſ. Agr. *Ignaro domino, ad id prolapſa, in ſervitute: ſin conſenſiſſet, pro libertâ haberetur*. Probabat quoque Lipſius e Mſ. Farneſ. qui eadem omnino habet, præter quàm quòd pro *ſin* habet *ſi*. Ita quoque Mſ. Corb. In Mſ. Flor. & editione principe, *ignaro domino, ad id prolapſa in ſervitute ſui conſenſiſſet: pro libertis haberentur*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ignaro domino ad id prolapſa: in ſervitutem ſui conſenſiſſet: & qui nati eſſent pro libertis haberentur*. Quot inde natæ ſint conjectationes immenſum foret dicere. Has vide, ſi lubet, apud Taciti interpretes: novaſque, nec meliores, in Actis eruditorum Lipſienſium reperies, Annis 1732, pag. 290. 1733, pag. 431. 1741, pag. 718. Accuratam autem eſſe, quam ſequimur, Mſſ. codicum Agr. & Farneſ. ſcripturam probat Paulus libr. IV, Tit. 10. Ad Senatuſconſultum Orfitianum, Leg. 2. *Ad filiam ancillam, vel libertam ex ſenatuſconſulto Claudiano effectam legitima matris inteſtatæ hereditas pertinere non poteſt: quia neque ſervi, neque liberti matrem civilem ha-*

bere intelliguntur. Ea fuit ergo Claudiani ſenatuſconſulti ſeveritas, ut femina, quæ ſe cum alieno ſervo, ignaro ejus domino, conjunxerat, ſi id reſciret dominus, & prætori denuntiaret, in ſervitutem redigeretur, & fieret domini ancilla. Quæ Paulus, libr. II. Tit. 21. *de mulieribus, quæ* &c. *vel ad ſenatuſconſultum Claudianum*, Leg. 1. explicatè ſignificat: *Si mulier ingenua, civiſque Romana, vel Latina, alieno ſe ſervo conjunxerit, ſi quidem invito & denuntiante domino in eodem contubernio perſeveraverit, efficitur ancilla.* Plures hac de re leges ibidem vide. Si autem conſentiret dominus, tunc minor erat pœna; femina pro libertâ habebatur, omniaque libertinitatis onera ſubibat. Si quis verò hujus legis ſeveritatem miretur, cogitet feminarum illarum turpitudinem, quam notat ipſe Petronius, in Satyric. *Quædam feminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint, aut ſtatores altiùs cinctos. Arena aliquas accendit, aut perfuſus pulvere mulio, aut hiſtrio, ſcenæ oſtentatione traductus.* Ex hac infamiâ, & manuſcriptorum codicum auctoritate, legiſque neceſſitate patet omnino improbabilem eſſe conjecturam Cl. Gravinæ, *Origin. Juris Civil.* pag. 543. qui verba illa *pro libertâ haberetur*, aut potiùs, ut in corruptioribus libris legitur, *pro libertis haberentur*, levi, ut rebatur, mutatione, in *pro liberis haberentur* transformabat. Saluberrimam legem ſuſtulit Juſtinianus: ſuos in uſus vertêre veteres Franci: unde in Legibus Salicis, cap. XXIX. Leg. 5. *Si quis Francus alienam ancillam ſibi publicè junxerit, ipſe cum eâ in ſervitute permaneat.*

Fixum est ære publico] Ita Puteolanus. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *fixum eſt publicè.* In Mſ. Flor. lacuna eſt ante *publico.* Alia, ſed antiqua, manus ſupplevit *ære.* Minimè audiendus Cl. Erneſtus, qui ſuſpecta habet *fixum eſt ære publico*, & emendat, *fixum eſt foro D. Julii Cæſ.* Liquet ex ipſâ Plinii VIII, 6, epiſtolâ, quam laudat, optimam eſſe vulgatam ſcripturam Sic enim ipſe Plinius: *Placuit ÆRE ſignari omnes honores faſtidioſiſſimi mancipii.... Inciſa & inſculpta ſunt PUBLICIS æterniſque monimentis prætoria* Pallantis; *ſic, quaſi fœdera antiqua; ſic, quaſi ſacræ leges.*

CAP. LIV. Jam pridem Judææ impositus] Hoc in loco ſumma eſt Joſephum inter & Tacitum diſſenſio. Joſephus enim Antiq. Jud. XX, 6, 7, & Bell. Jud. II, 12, ſcribit Felicem in Judæam non veniſſe, niſi damnato Cumano. At quæ narrat Tacitus adeò ſunt propria, ita conjuncta cum Cumani ruinâ, ut hac in re fallere non poſſit. Hìc igitur ei magis credendum, quàm Joſepho, licèt Judæus Judaicas res ſcribat. Adde D. Paulum Tacito ſuffragari. Nam ſi vera eſſet Joſephi narratio, dicere non potuiſſet Paulus, cùm Felicem alloqueretur, Act. XXIV, 10. *Ex multis annis te eſſe judicem genti huic ſciens.* Conſtet ergo Cumanum ac Felicem impoſitos fuiſſe Judææ anno Claudii ſeptimo, aut octavo; Judæam

ita

ita diviſam fuiſſe inter eos, ut Galilææ Cumanus, Felix Samariæ procurationem gereret. Felicem in Judæam miſſum ob exortas Judæos inter & Chriſtianos diſſenſiones innuit Suidas, in voce Κλαύδιος. *Στασιασάντων τῶν Ἰουδαίων κατὰ Χριστιανῶν, ἄρχοντα ἐπέστησεν αὐτοῖς* Κλαύδιον (corrige Κλαύδιος, ut & apud Joſeph. Antiq. Jud. XX, 7.) Φήλικα, *κελεύσας αὐτῷ τιμωρεῖσθαι τούτους. Cùm Judæi ſeditionem adversùs Chriſtianos moviſſent, Claudius Felicem eis præfecit, eoſque punire juſſit.* Malè Suidas Felicem cognominat Claudium, cui apud Tacitum cognomen eſt Antonio, ut videre eſt infrà Hiſt. V, 9. De Felice jam dixi ſuprà cap. 23, in Stemmate Herodum, num. 14. Si plura de Cumano & Felice volueris, adi Petavium, *Doctrin. Tempor.* XI, 11. Cl. Pearſon, *Annal. Paulin.* pag. 8 & 12, ceteroſque ſacrarum rerum enarratores.

ORTA SEDITIONE] Editio princeps, *Sanè præbuerant Judæis ſpeciem motûs ortâ ſeditione, poſtquam, cognitâ cæde ejus, haud obtemperaſſet. Monebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret.* Puteolanus, *haud obtemperatum eſſet. Sed manebat metus. Sed* abeſt a Mſſ. Harl. & Corb. reperitur in Mſſ. Bodl. & Jeſ. in Mſ. Jeſ. *obtemperatum eſt.* Interpretes, ut huic loco medicinam facerent, varias in ſententias abiere. Primùm, duce Rhenano, pro *cæde ejus* emendavere *cæde Caii*, repugnantibus libris ſcriptis & editis. Deinde poſt *cæde Caii* lacunam eſſe monuit Lipſius, quam ſupplevit Gronovius, mutatâ etiam vetere ſcripturâ in hunc modum, *quamquam, cognitâ cæde Caii, edicto ejus haud obtemperatum eſſet.* Alii alias, pro arbitrio, minuſque probabiles conjecturas protulere. Quam in Notis propoſui, ea mihi videtur cum codicum ſcripturâ menteque Taciti omnino conſentire. Sic enim Tacitus Hiſt. V, 9. Judæi *juſſi a C. Cæſare effigiem ejus in templo locare, arma potiùs ſumpſere: quem motum Cæſaris mors diremit.* Hæc breviſſimè narrat Tacitus, quòd fuſiùs ea fuerat proſecutus in libris Annalium deperditis. Nos ſupplevimus in Supplement. Annal. VIII, 57 & ſeqq.

ITA DIVISIS] Bene Puteolanus. In editione principe, *diviſit.* Mallet Gronovius *diviſæ.*

CAP. LV. TROSOBORE DUCE] Puteolanus & Recentiores. Mſ. Flor. *Troxobore.* Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. *Aroſobore*; poſtea emendatum *Aroſoboro.* Mſ. Vatic. 1958. *Aroxobore.* In editione principe *Areſeboro.*

ET OPPIDANIS] Mſſ. & editio princeps. Malè Puteolanus, *ac.*

CAP. LVI. NAVALE PRŒLIUM ADORNATUR] Nonnulla, quæ navale hoc prœlium illuſtrent habet Suetonius in Claud. XXI. *Quin & emiſſurus Fucinum lacum, naumachiam antè commiſit. Sed cùm proclamantibus Naumachiariis, Ave Imperator, morituri te ſalutant, reſpondiſſet: Avete vos: neque poſt hanc vocem, quaſi veniâ datâ, quiſquam*

dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroque abſumeret, tandem e ſede ſuâ proſiluit: ac per ambitum lacûs, non ſine fœdâ vacillatione, diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium ſingulæ, exciente buccinâ Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerſerat. De numero navium aliter Dio LX. pag. 687. ait enim utrimque ſtetiſſe quinquaginta naves. Οἱ δὲ δὴ ναυμαχήσαντες, θανάτῳ δὴ καταδεδικασμένοι ἦσαν. Καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν, Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες. *Quibus depugnandum prœlio navali fuit, ii morte damnati erant. Utrinque naves quinquaginta habebant: partium alteri Rhodiorum, alteri Siculorum nomen.* Certè ſi quis attendat undeviginti hominum millia armata fuiſſe, haud diffitebitur potiùs fuiſſe in his claſſibus centum naves, quàm viginti quatuor, ut ſcribit Suetonius: ſed videtur majores tantùm numeraſſe, omiſſis minoribus. Nec crediderim in Tacito emendandum, *Claudius centum triremes*, quod vult Lipſius.

Ut quondam Augustus] Memoria exſtat in marmore Ancyrano, quod accuratiſſimum ex Cl. Pitton de Tournefort exemplari edidit Cl. Chishull, *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 175. NAVALIS. PROELI. SPECTACVLVM. POPVLO. DEDI. TRANS. TIBERIM. IN. QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM. CAVA*to ſolo in longitudinem mille* ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVDINE. *mille erant* & DVCENTI. IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMES. & *quadrirem*ES. PLVRIS. AVTEM. MINORES. INTER. SE. CONFLIXERVNT. *Atticis & Perſicis* CLASSIBVS. PVGNAVERVNT. PRAETER. REMIGES. MILLIA *hominum triginta.* CIRCITER. At pro *triginta*, nam hac in parte malè lectum ſuppletumque vetus marmor exiſtimo, emendandum *duodeviginti* mihi videtur: ſiquidem, Principe Claudio, cùm & majores eſſent naves, & major copia, pugnavere tantùm undeviginti hominum millia. Quanta fuerit ſpectantium multitudo paucis docet Suetonius in Aug. XLIII. *Item* fecit Auguſtus *navale prœlium circa Tiberim cavato ſolo, in quo nunc Cæſarum nemus eſt. Quibus diebus cuſtodes in Urbe diſpoſuit, ne raritate remanentium graſſatoribus obnoxia eſſet.*

Minore copia ediderat] Novum locupleſque exemplum, quàm magnifici fuerint in edendis ludis Romani. Auguſtus, excavato ſtagno pedum mille & octingentorum in longitudinem, mille & ducentorum in latitudinem, derivatâ aquâ Alſietinâ, navale prœlium ediderat, in quo triginta roſtratæ naves, triremes & quadriremes, plures autem minores, inter ſe conflixerant; pugnaverantque, præter remiges, millia hominum triginta, aut potiùs duodeviginti circiter. Ad ſpectaculi voluptatem magnarum rerum memoriâ intendendam, ita diviſæ adornatæque claſſes ut celeberrimam Athenienſes inter & Perſas navalem pugnam referrent. Claudius pari, & magnificentiore ſpectaculo, lacûs Fucini emiſſionem, per undecim annos inenarrabili impendio præpa-

ratam, nobilitare voluit. Plures, majoreſque naves, quàm in Auguſti naumachiâ, viſæ. Præter remiges armata undeviginti hominum millia, quæ, Rhodiis Siculiſque claſſibus, duas gentes, imperio maris olim potitas, repræſentarent. Adfuit multitudo ſpectatorum innumera, tum viſendi cupidine, tum officio in Principem. Incuriâ operis non potuit totus emitti lacus; altiùs effoſſi ſunt ſpecus. Perfecto opere, contracta eſt rurſum multitudo, & ut nova eſſet voluptas, gladiatorum ſpectaculum editum eſt, inditis pontibus pedeſtrem ad pugnam.

Cl. Oiſelius, *Theſaurus Select. Numiſmat.* Tab. CI, num. 7. nummum Claudii edidit cum naumachiâ & epigraphe, ΝΙΚΑ. ΝΑΥΚΡΑΤΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛ. Id eſt *victoria claſſiariorum Capitolinorum*: contendit id haud dubiè pertinere ad Claudii naumachiam, de quâ modò egimus. At, vel ſpurius eſt hic nummus, vel ad aliam Claudii naumachiam pertinet. Cùm enim in lacu Fucino pugnaverint tantùm Rhodiæ & Siculæ claſſes, non potuit nomen victorum eſſe ΝΑΥΚΡΑΤΩΝ. ΚΑΠΙΤΩΛ.

Ac tamen spatium] Mſſ. editiones veteres & Erneſtus. Rhenanus, *attamen.*

Tectis navibus] Ita Mſſ. & edit. veteres. Male Beroaldus, *rectis.*

CAP. LVII. Convulsis ulterioribus] Ita libri omnes editi in Mſſ. Harl. & Jeſ. *convulſis ulterioribus ſubliciis*: in margine Mſ. Bodl. *ſubliciis ulterioribus.*

Sonitu exterritis] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe *exterriti.*

CAP. LVIII. Gloria nitesceret] Mſ. Reg. & editiones veteres. In Mſ. Flor. & Cl. Lallemand, *eniteſceret.* Fruſtra tentat Groſlotius, *noteſceret.*

Iliensium] Cauſam magnitudinemque eorum immunitatis paucis recenſet Calliſtratus, Digeſt. libr. XXVII. Tit. 1. de Excuſationibus. Leg. 17. *Ilienſibus & propter inclytam nobilitatem civitatis, & propter conjunctionem originis Romanæ, jam antiquitus & ſenatuſconſultis & conſtitutionibus Principum pleniſſima immunitas tributa eſt, ut etiam tutelæ excuſationem habeant: ſcilicet eorum pupillorum, qui Ilienſes non ſint. Idque Divus Pius reſcripſit.* Et Ulpianus, Digeſt. libr. L. Tit. 1. ad Municipalem & de Incolis. Leg. 1. *Ilienſibus conceſſum eſt, ut qui matre Ilienſi eſt, ſit eorum municeps.*

Vetera facunde] Rhenanus & vulgò Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editione principe, *vera facunde.* In Mſ. Bodl. *verâ facundie*; unde fortè Puteolanus, *verâ facunditate.* In margine Mſ. Bodl. & in Mſ. Agr. *verùm facundè*, quod ſecutus eſt Ryckius; nec diſplicet. At probabiliora videntur *vetera.*

Ddd ij

PERPETRAT UT ILIENSES] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Guelf. editio princeps, Erneſtus. Sic quoque emendatum in Mſ. Bodl. ubi primò ſcriptum *impetrat*, quod Puteolanus aliique multi retinuere.

REDDITUR RHODIIS LIBERTAS] Huc refer nummum e Cimelio Regio ab Harduino prolatum, *Selecta Opera*, pag. 144. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΥΠΕΡΙΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Claudii Auguſti Sol*, Rhodiorum numen; capite Rhodi turrito. In averſâ parte ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. Id eſt nummus *duarum drachmarum*. Alium Neronis vide apud Cl. Triſtan, *Commentaires Hiſtoriques*, Tom. I, pag. 225. Nummos & Tacitum illuſtrat elegans Antiphili epigramma, Antholog. lib. I. Tit. 58. Num. 5.

Ὡς πάρος ἀελίω, νῦν Καίσαρος ἡ Ῥόδος εἶμι
Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.
Ἤδη σβεννυμέναν με, νέα κατεφώτισεν ἀκτίς
Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων.
Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν ἔδειξεν
Ἐξ ἁλὸς, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομένην.

Quod elegantiſſimè vertit Cl. Grotius in Mſ. Anthologiâ.

Solis eram quondam, nunc Cæſaris inſula magni
Sum Rhodos: ex æquo lux ab utroque juvat.
Namque extincta forem, niſi ſol mihi ſurgeret alter,
Et jubar ex Latiâ tolleret arce Nero.
Plus mihi præſtat uter? dedit ille emergere ponto,
Hic me reſtituit, cùm propè merſa fui.

APAMENSIBUS] Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Agr. & editio princeps. Malè Puteolanus, *Apamienſibus*.

CAP. LIX. INDIGNASQUE SORDES PERPESSUS] Ita emendabat Heinſius, quem Cll. Erneſtus & Lallemand ſunt ſecuti. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *Indignaſque ſortes*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *indigna ſorte*. Unde fortè emendandum, *indignamque ſortem*.

CAP. LX. QUÆ VICERANT] Bene Erneſtus ex Mſſ. & editionibus veteribus. Lipſius, *qui*.

C. OPPIUS ET CORNELIUS BALBUS] De Oppio Sueton. in Jul. Cæſ. LII. Cornelius Balbus, Gadibus ortus, vel ille eſt qui Garamantas vicit, & de iis triumphavit, Plinius, V, 5; vel patruus ejus Cornelius Balbus major, qui tantis opibus valuit, ut moriens populo Romano viritim legaverit vicenos quinos denarios, monetæ Gallicæ libras 19 ſere cum ſemiſſe, Dio XLVIII. pag. 376. Si autem fuerint ducenta millia hominum, quos hæc largitio ſpec-

taverit, ut augurari licet ex marmore Ancyrano, quod edidi in Notis & Emendationibus ad Annal. I, 11. Balbus populo Romano legavit ducenties ſeſtertiûm, monetæ Gallicæ libras 3,891,005.

CAP. LXI. Vel Cœum Latonæ parentem] Non defraudandus meritâ laude Joſias Mercerus, qui hunc locum feliciſſimè emendavit. Antea in ſcriptis & editis libris vulgò *vel cum Latonæ parente*. In Mſ. Flor. *parentum*. Pro *vel* mallem *&*, ni fortè *vel* accipias pro *atque etiam*.

Ipse uteretur] Quænam eſſet Xenophontis, medici, merces annua æſtimare poſſumus ex Plinio XXIX, 1. ſect. 5. Docet enim Stertinium, medicum, a Claudio H S quingena annua accepiſſe, monetæ Gallicæ libras 97,265. Frater ejus Q. Stertinius eamdem mercedem a Principibus accipiebat, & in Urbe H S ſexcenorum quæſtum faciebat, monetæ Gallicæ librarum 116,718. Licèt cenſus ſuos exhauſiſſent, ut operibus Neapolim exornarent, heredi H S CCC, monetæ Gallicæ libras 5,836,507, reliquere. Quæ animadvertiſſe non fuerit inutile, ad hujuſce ætatis mores dignoſcendos. Tam immani pretio vita morſve conſtabat in Urbe, quæ per DC annos non aliam, quàm braſſicas, Gallicè *les choux*, medicinam noverat. Plin. XX, 9.

Et tantum dei ministram] Sic Mſſ. Flor. Reg. Bud. Farneſ. & editio princeps. Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus *tanti*. Ita quoque emendatum in Mſ. Bodl. in quo priùs erat *tantum*. Volebat nempe Claudius ut inſula, tributis vacua, ſacra foret, & uni Æſculapio ſerviret.

CAP. LXII. Nobiscum icerant] Sic Mſſ. Bodl. Jeſ. Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Flor. Guelf. & editionibus veteribus *jecerant*.

Memorabant; quæque Sullæ] Malè in Mſſ. & veteribus editionibus, *memorabantque quæ Sullæ*.

CAP. LXIII. Vis piscium innumera Ponto erumpens] Mſſ. & veteres editiones, *vis piſcium in Metapontum erumpens*. Viri eruditi emendarunt, *vis piſcium innumera Pontum erumpens*. Optimè quidem reſtitutum *innumera*. Sed adhuc corrigendum erat *Ponto*. Sic enim Salluſtius apud veterem Scholiaſten Juvenalis Satyr. IV, 42. *Itaque tempeſtate piſcium vis Ponto erupit*. Hunc Taciti locum egregiè illuſtrat Plinius, IX, 15. *Sed in Pontum nulla intrat beſtia piſcibus malefica, præter vitulos & parvos delphinos. Thynni dextrâ ripâ intrant, exeunt lævâ. Id accidere exiſtimatur, quia dextro oculo plus cernant, utroque naturâ hebete. Eſt in Euripo Thracii Boſphori, quo Propontis Euxino jungitur in ipſis Europam Aſiamque ſeparantis freti anguſtiis, ſaxum miri candoris, a vado ad ſumma perlucens, juxta Chalcedonem in latere Aſiæ. Hujus aſ-*

pectu repentè territi, ſemper adverſum Byzantii promontorium, ex eâ causâ appellatum Aurei cornus, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii eſt, magna Chalcedonis penuria mille paſſuum medii interfluentis Euripi. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, ut ſecundo fluctu exeant e Ponto, nec niſi intrantes portum Byzantium capiuntur. Brumâ non vagantur: ubicumque deprehenſi, uſque ad æquinoctium, ibi hibernant. Iidem ſæpe navigia velis euntia comitantes, mirâ quidam dulcedine per aliquot horarum ſpatia & paſſuum millia a gubernaculis ſpectantur, ne tridente quidem in eos ſæpius jacto territi... Multi in Propontide æſtivant: Pontum non intrant. Eadem ferme tradunt Strabo VII. pag. 320; & Ælianus IX, 42. Cùm thynnorum captura Byzantiis quæſtuoſiſſima eſſet, inde in eorum nummis ſæpe occurrunt thynni, & hami quibus capiuntur,

Obliquis subter undas saxis] Cl. Franciſcus Medicis emendabat, *albis* vel *albidis*, *ſubter undas ſaxis*. Ingenioſiſſimè quidem. Plinius enim, ſuprà laudatus, ait thynnos terreri ſaxo *miri candoris* a vado ad ſumma perlucenti. Straboni quoque memoratur loc. cit. λευκῆτης πέτρα. Nemo tamen hactenus veterem ſcripturam mutavit, ob ſcriptorum & editorum librorum auctoritatem, nec abſurdam vocem, *obliquis*.

CAP. LXIV. Signa ac tentoria] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſigna enim ac tentoria*.

Fetum editum... inessent] Mſſ. & veteres editiones. Poſtea emendatum *fetus editus... erant*. Latinè quidem, ſed ſine ullâ neceſſitate, cùm poſſit intelligi, *ferebatur*, *nuntiabatur*, ut rectè obſervat Erneſtus, nec quidquam vitioſi habeat, *ineſſent*.

Domitia Lepida muliebribus causis] In Mſ. Flor. *Domitiale muliebribus*. Ita & editio princeps; ſed in eâ editum *mulieribus* pro *muliebribus*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Domitia levibus & muliebribus*. Rectè a Freinshemio & Recentioribus emendatum, *Domitia Lepida*. Nec diſplicet repeti, *quia Lepida*, ob orationis claritatem, quæ facilè obſcuratur.

Cneii mariti ejus] Editio princeps per literarum compendia *Cn. mariti ejus*. Unde Puteolanus *Cnæi*. Scribendum *Cneii*, ut patet ex Sueton. in Ner. I. *prænomina... Cneii & Lucii.* & II. *Cneius Domitius*. Ryckius edidit *Cnæi*. *Ejus* abeſt a Mſ. Guelf.

Infamis, vinolenta] Mallet Lipſius *violenta*. Utrumque veteribus libris defenditur. Mſſ. Flor. Guelf. & Puteolanus, *violenta*. Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editio princeps, *vinolenta*. Sic quoque in margine Mſ. Bodl. Placet tamen magis *violenta*. Placuit & Cl. Gordon, cujus tamen interpretatio a Cornelianâ brevitate multùm recedit. *Neither were they much differing in beauty, age or wealth, both proſtitu-*

tes in their perſons, infamous in their manners, and violent in their tempers.

CAP. LXV. Conjugium Principis] Mſſ. Flor. & Reg. *conjugem.* Libri omnes editi, *conjugium.* Sic quoque *conjugio* pro *conjuge* uſus eſt Virgilius, Æneid. III, 296.

Hìc incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi, ſceptriſque potitum,
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.

Mors indicta] Editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *indita.*

Certam sibi perniciem] In hac oratione ſumma ſcriptos inter & editos libros concordia. Tantùm in Mſ. Flor. legitur, *ad novercæ* pro *ac novercæ.* Mendoſè, niſi exciderit *hæc*, ut notat Ryckius. *Regno* abeſt a Mſ. Jeſ. additum margini Mſſ. Harl. & Bodl. Octavius Ferrarius pro *meritum* legebat *metum, ac* mutabat in *at*, & poſt *flagitio* interjiciebat *ſileri.* Exploſâ interjectione, cetera probabat Ryckius, ut ſenſus ſit, *Pares iterum accuſandi cauſas eſſe, ſi Nero imperitaret*, id eſt deſtinaretur ſucceſſor, *Britannico ſucceſſore, nullum Principi metum. At novercæ,* &c. Contrà Ill. Huetius, ſic diſtinctâ oratione, *Pares iterum accuſandi cauſas eſſe; ſi Nero imperitaret, Britannico,* &c. explicat: *Si Neronem patiar imperium adipiſci, rejecto Britannico, legitimo ſucceſſore, malè de Claudio meritus ſim.* Cl. Erneſto diſplicet, *nullum Principi meritum*, & latinitatem deſiderat: hac in re, ut puto, auſterior, cùm frequentiſſimus ſit optimis ſcriptoribus dativorum uſus, & fortè ſcripſit Tacitus, *nullum in Principem meritum*; *in* & *m* facilè excidere potuere, deinde emendatum librariis *Principi.* Pro *viliora habere*, Grotius emendat *haberi.* Elegantiſſimè. Non tamen peccat, *habere.*

CAP. LXVI. Sceleris olim certa] Mſ. Jeſ. *ſcelerum.*

Occasionis propera] Mſ. Agr. *Præpropera.*

CAP. LXVII. Socordiane Claudii, an vinolentia] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *Socordiane, an Claudii vi, an vinolentiâ.* Mſ. Agr. *ſecordia mentis a Claudio bili an vinolentia.* Mendosè in editione principe, *ſocordiam necis ad Claudii hi an vinolentiâ.* Unde fortè vera eſt codicis Florentini ſcriptura.

Soluta alvus] Mſſ. Bodl. Jeſ. & Guelf. *ſolutam alvum.*

CAP. LXVIII. Vocabatur interim] Malè editio princeps, *vexabatur.*

Dum res firmando Neronis imperio] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Flor. *dum res forent firmando.* Mſ. Reg. & editio princeps, *dumque res forent firmando Neronis imperium.* Mſ. Agr. *dum*

quæ res forent firmando. Inde emendabat Jac. Gronovius, *dum res foris firmando:* Heinſius, *dum, quæ e re forent firmando*: Erneſtus, *dum, quæ forent firmando.* Bene omnes. Bene quoque Puteolanus, cui ſuffragantur Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In Mſ. Jeſ. *Neroni* pro *Neronis.*

Ex monitis Chaldæorum adventaret] Mſſ. Flor. & in margine Mſ. Harl. Sic quoque editiones veteres. Rhenanus e Mſ. Bud. *attentaret.* Idem habent Mſſ. Harl. & Jeſ. In Mſ. Bodl. *attentarent.*

CAP. LXIX. Tertium ante idus Octobris] Mſ. Flor. Jeſ. & editio princeps. In Mſ. Bodl. *Octobres.* Rhenanus primus edidit, *tertio.*

Ad cohortem] Bene editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *a cohorte.*

Ubi Britannicus esset] *Eſſet* abeſt a Mſ. Jeſ.

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM DECIMUM TERTIUM

ANNALIUM.

CAP. I. PER DOLUM AGRIPPINÆ PARATUR] Mallent Freinſhemius & Ryckius, *patratur.*

EXITIUM INRITAVERAT] In ſcriptis & editis libris, *exitum.* Bene Erneſtus, *exitium.* In editione principe & pleriſque aliis, *irritaverit.* Meliùs Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. atque Erneſtus, *irritaverat.*

L. SILANO] Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In editione principe & Mſſ. Corb. Reg. *C. Silano.*

QUOD TUNC SPECTARETUR] Mallet Erneſtus, *ſpectabatur.*

P. CELER] Infrà Hiſt. IV, 40. *P. Celerem.* Malè ergo editiones veteres & Mſſ. *P. Celerius.*

HELIUS LIBERTUS] Ita Sueton. in Ner. XXIII. Dioni LXIII. pag. 723, Ἥλιος. Vulgò in ſcriptis & editis libris, *Ælius*, vel *Elius.*

CAP. II. ET, RARUM IN SOCIETATE POTENTIÆ, CONCORDES] Corruptè in Mſ Flor. *Et parum in ſocietate potentia & concordes.* Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Reg. & Agr. *& parum in ſocietate & potentiâ.* Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *& pari in ſocietate potentiâque.* Boxhornius optimè atque ex uſu Taciti pro *parum* vel *pari* emendavit *rarum.* Voluit quoque *potentiæ*, idque omnibus probatum. Fortè tamen ſcripſerat Tacitus *ſocietate & potentiâ:* rara enim in utrâque concordia. Infeliciter Lipſius, *paris in ſocietate potentiæ.*

COMITATE HONESTA] Ut viris in Gallicâ re literariâ ſummis, qui id operæ deſideravere, morem gererem, & Corn. Taciti, quem *maximum antiquitatis pictorem* appellitant, famam illuſtri exemplo conſecrarem, a ſuſcepti operis inſtituto haud alienum duxi pauca hìc diſſerere de clariſſimi *Racine* tragœdiâ, quam *Britannicum* inſcripſit.

DE *BRITANNICO*, Tragœdiâ Cl. RACINE.

Ea fuit ſemper optimorum Scriptorum maxima laus, ut apud poſteros irent in exempla, &, circumactis diu ætatibus, inter gentes, moribus & eloquio diſſimiles, animos ſui ſimillimos efformarent,

dubiamque ingenii lauream ſacerent. Hac gloriâ apud Romanos enituit Homerus, cùm altos Virgilii ſpiritus exſuſcitaſſet. Hac inclaruit apud nos Tacitus, cùm duos poetas, quos in arte ſuâ ſummos ſuſpicimus, Petrum *Corneille* & Joannem *Racine*, Principum Romanorum arcana eorumque dominationis inſtrumenta ita docuiſſet, ut, eo duce & auſpice, in rei politicæ præceptores regumque doctores ſtatim evaſerint.

De *Othone*, cujus nomen illuſtravit Petrus *Corneille*, dicam in Notis & Emendationibus ad Hiſt. I, 22, cùm ſplendidam hanc Hiſtoriarum partem explanabo.

Britannicum verò ſibi ſepoſuit Joannes *Racine*, ut pullulantia, nondum autem adulta, quod odioſum fuiſſet & incredibile, Neronis ſcelera infamaret. Nobile argumentum, poetæ arte nobiliſſimum; plurimorum quidem cenſuræ primò obnoxium, quòd ars exquiſitior foret, omnium deinde laudibus cumulatiſſimum; creſcetque admiratio, dum egregios verſus legere, mores hominum artemque tragicam noſcere gratum ac decorum habebitur.

Juvaret hìc ſingulas hujus tragœdiæ perſonas expendere; &, quod a multis efflagitatum, loca omnia, quæ a Tacito vel interpretatione, vel imitatione, mutuatus eſt Cl. *Racine*, congerere; præſtantiſſimumque hiſtoricum cum præſtantiſſimo poetâ conferre. At, quàm maximam poſſum in omnibus brevitatem profeſſus, exſcribendorum locorum multitudine (cùm vix ſint in totâ tragœdiâ trecenti verſus, qui ex Annalium Taciti fontibus non profluxerint) deterritus, immenſo labore abſtinebo: atque equidem tantò libentiùs, quòd magnam hujus curæ partem ſubiit recens Cl. *Racine* operum editor. Ne tamen noſtra hac in re opella, jam ſuprà in Notis promiſſa, penitus deſideretur, quædam exempla, eaque breviſſima, proponam potiùs, quàm ſeligam, ut genuina decoraque veteres Scriptores exprimendi imitandive ratio illuſtribus experimentis innoteſcat.

TACITUS Annal. XIII, 5, 12 & 2.

Adverſante Agrippinâ .... obtinuere patres; qui in Palatium ob id vocabantur, ut adſtaret abditis a tergo foribus velo diſcreta, quod viſum arceret, auditus non adimeret. Quin & legatis Armeniorum cauſam gentis apud Neronem orantibus, eſcendere ſuggeſtum Imperatoris & præſidere ſimul parabat; niſi, ceteris pavore defixis, Seneca admonuiſſet, Venienti matri occurreret. Ita ſpecie pietatis, obviam itum dedecori .... Infracta paulatim potentia matris.... Certamen utrique, Burro & Senecæ, *unum erat contra ferociam Agrippinæ.*

RACINE, Britannicus, Act. I. Sc. 1.

Agrippina, ſtans cum Albinâ, potentiam ſuam infringi queritur.

Non, non, le tems n'eſt plus que Néron jeune encore
Me renvoyoit les vœux d'une Cour qui l'adore,

Lorſqu'il ſe repoſoit ſur moi de tout l'Etat,
Que mon ordre au Palais aſſembloit le Sénat,
Et que derriere un voile inviſible & préſente,
J'étois de ce grand corps l'ame toute puiſſante.
Des volontés de Rome alors mal aſſuré,
Néron de ſa grandeur n'étoit point enyvré.
Ce jour, ce triſte jour frappe encor ma mémoire,
Où Néron fut lui-même ébloui de ſa gloire,
Quand les Ambaſſadeurs de tant de Rois divers
Vinrent le reconnoître au nom de l'Univers.
Sur ſon trône avec lui j'allois prendre ma place.
J'ignore quel conſeil prépara ma diſgrace;
Quoi qu'il en ſoit, Néron, d'auſſi loin qu'il me vit,
Laiſſa ſur ſon viſage éclater ſon dépit.
Mon cœur même en conçut un malheureux augure.
L'ingrat d'un faux reſpect colorant ſon injure,
Se leva par avance, & courant m'embraſſer,
Il m'écarta du trône où je m'allois placer.
Depuis ce coup fatal, le pouvoir d'Agrippine
Vers ſa chûte, à grands pas, chaque jour s'achemine:
L'ombre ſeule m'en reſte, & l'on n'implore plus
Que le nom de Seneque, & l'appui de Burrhus.

TACITUS, Annal. XII, 41. XIII, 15.

Libertorum ſi quis incorruptâ fide depellitur . . . . Ut proximus quiſque Britannico, neque fas, neque fidem penſi haberet, olim proviſum erat.

RACINE, Britannicus, Act. I. Sc. 4.

Britannicus Narciſſum alloquitur.

Que vois-je autour de moi, que des amis vendus,
Qui ſont de tous mes pas les témoins aſſidus,
Qui choiſis par Néron pour ce commerce infâme,
Trafiquent avec lui des ſecrets de mon ame?
Quoi qu'il en ſoit, Narciſſe, on me vend tous les jours;
Il prévoit mes deſſeins, il entend mes diſcours.
Comme toi dans mon cœur il ſçait ce qui ſe paſſe.

TACITUS, Annal. XIII, 2 & 14.

Agrippina *habebat in partibus Pallantem . . . . Pallas triſti arrogantiâ modum liberti egreſſus tædium ſuî moverat . . . Nero infenſus iis, quibus ſuperbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem curâ rerum, quîs a Claudio impoſitus velut arbitrum regni agebat.*

RACINE, Britannicus, Act. II. Sc. 1.

Nero cum Burro colloquens.

N'en doutez point, Burrhus, malgré ſes injuſtices,
C'eſt ma mere, & je veux ignorer ſes caprices.
Mais je ne prétens plus ignorer ni ſouffrir
Le Miniſtre inſolent qui les oſe nourrir.

Pallas de ſes conſeils empoiſonne ma Mere;
Il ſéduit chaque jour Britannicus mon Frere,
Ils l'écoutent tout ſeul, & qui ſuivroit leurs pas
Les trouveroit peut-être aſſemblés chez Pallas.
C'en eſt trop. De tous deux il faut que je l'écarte.
Pour la derniere fois, qu'il s'éloigne, qu'il parte.
Je le veux, je l'ordonne; & que la fin du jour
Ne le retrouve pas dans Rome, ou dans ma Cour.

TACITUS, Annal. XIII, 14.

Demoto curâ rerum Pallante, *præceps poſt hæc Agrippina ruere ad terrorem & minas, neque Principis auribus abſtinere quominus teſtaretur, adultum jam eſſe Britannicum, veram dignamque ſtirpem ſuſcipiendo patris imperio, quod inſitus & adoptivus, per injurias matris exerceret. Non abnuere ſe, quin cuncta infelicis domûs mala patefierent, ſuæ inprimis nuptiæ, ſuum veneficium. Id ſolum diis & ſibi proviſum, quod viveret privignus. Ituram cum illo in caſtra. Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis Burrus & exſul Seneca, truncâ ſcilicet manu, & profeſſoriâ linguâ, generis humani regimen expoſtulantes. Simul intendere manus, aggerere probra; conſecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare, & tot inrita ſcelera.*

RACINE, Britannicus, Act. III. Sc. 3.

Agrippina muliebriter infremit, Burrum alloquens.

Pallas n'emporte pas tout l'appui d'Agrippine,
Le Ciel m'en laiſſe aſſez pour venger ma ruine.
Le fils de Claudius commence à reſſentir
Des crimes, dont je n'ai que le ſeul repentir.
J'irai, n'en doutez point, le montrer à l'Armée,
Plaindre aux yeux des ſoldats ſon enfance opprimée,
Leur faire à mon exemple expier leur erreur.
On verra d'un côté le fils d'un Empereur,
Redemandant la foi jurée à ſa famille,
Et de Germanicus on entendra la fille.
De l'autre l'on verra le fils d'Enobarbus,
Appuyé de Seneque, & du Tribun Burrhus,
Qui tous deux de l'exil rappellés par moi même,
Partagent à mes yeux l'autorité ſuprême.
De nos crimes communs je veux qu'on ſoit inſtruit.
On ſçaura les chemins par où je l'ai conduit.
Pour rendre ſa puiſſance & la vôtre odieuſes,
J'avoûrai les rumeurs les plus injurieuſes.
Je confeſſerai tout, exils, aſſaſſinats,
Poiſon même. . . . . .

TACITUS, Annal. XIII, 15.

Urgentibus Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur: parari venenum jubet.

RACINE, Britannicus, Act. IV. Sc. 3.

Nero, ſtans cum Burro, ait ſibi certum fixumque eſſe, ob Agrippinæ ferociam, Britannicum interficere.

C'en eſt trop. Il faut que ſa ruine
Me délivre à jamais des fureurs d'Agrippine.
Tant qu'il reſpirera, je ne vis qu'à demi.
Elle m'a fatigué de ce nom ennemi,
Et je ne prétens pas que ſa coupable audace
Une ſeconde fois lui promette ma place.

TACITUS, Annal. XIII, 15 & 16.

Veneficis *promittentibus tam præcipitem necem, quàm ſi ferro urgeretur . . . adfunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervaſit, ut vox pariter & ſpiritus raperentur. Trepidatur a circumſedentibus, diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, reſiſtunt defixi, & Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis, & neſcio ſimilis, ſolitum ita, ait, per comitialem morbum, quo primùm ab infantiâ afflictaretur Britannicus, & redituros paulatim viſus ſenſuſque . . . . Ita poſt breve ſilentium, repetita convivii lætitia.*

RACINE, Britannicus, Act. V. Sc. 5.

Burrus Agrippinæ nuntiat mortem Britannici.

Par les mêmes ſermens Britannicus ſe lie.
La coupe dans ſes mains par Narciſſe eſt remplie.
Mais ſes levres à peine en ont touché les bords,
Le fer ne produit point de ſi puiſſans efforts,
Madame, la lumiere à ſes yeux eſt ravie,
Il tombe ſur ſon lit ſans chaleur & ſans vie.
Jugez combien ce coup frappe tous les eſprits,
La moitié s'épouvante & ſort avec des cris.
Mais ceux qui de la Cour ont un plus long uſage,
Sur les yeux de Céſar compoſent leur viſage.
Cependant ſur ſon lit il demeure panché,
D'aucun étonnement il ne paroît touché.
Ce mal dont vous craignez, dit-il, la violence,
A ſouvent ſans péril attaqué ſon enfance.

Hìc certè vel ipſa poeſis preſſum vividumque Taciti ſtilum haud æquat. Meritò ergo addit Burrus. Act. V. *Sc.* 7.

Son crime ſeul n'eſt pas ce qui me déſeſpere;
Sa jalouſie a pu l'armer contre ſon frere.
Mais s'il vous faut, Madame, expliquer ma douleur,
Néron l'a vu mourir ſans changer de couleur.
Ses yeux indifférens ont déja la conſtance
D'un Tyran dans le crime endurci dès l'enfance.

Iſta quoque ſuggeſſit Tacitus Annal. XIII, 17. *Plerique etiam he-*

minum ignoſcebant, antiquas fratrum diſcordias & inſociabile regnum æſtimantes.

Sed ſufficiant hæc artis ſpecimina, egregia quidem, non tamen præcipua. Scenam ſecundam Actûs IV, quam totam, quanta quanta eſt ex Annalium libris XII & XIII mirâ arte contexuit Cl. *Racine*, hic penitus omiſi, quòd integra fuiſſet exſcribenda. Quin etiam, ut Agrippinæ ferocia noteſceret, quæ de priore Agrippinâ a Tiberio fuerant dicta, huc retraxit:

Mais, ſi vous ne régnez, vous vous plaignez toujours.

Ideo lædi, quia non regnaret. Tacit. Annal. IV, 52.

Verùm antequam dicendi finem faciam, obſervaverim ad ſummam præſtantiſſimæ fabulæ perfectionem id unum deſiderandum mihi videri, ut Juniæ, cujus perſonam, fabulæ neceſſitate ductus, excogitavit Cl. *Racine*, præter nomen, mores quoque adumbraſſet ipſe Tacitus. Omnia enim in ceteris perſonis ſunt naturæ, loco, ætati, ac fortunis conſona. In unâ Juniâ aliquantò plus eſt Gallicæ, quàm Romanæ indolis.

Cunctis malæ dominationis] Bene editio princeps, & ſic emendatum in Mſ. Harl. Perperam Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Guelf. *cunctis malis dominationibus cupidinibus.*

CAP. III. Temporis ejus auribus] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Flor. Reg. editio princeps, Jac. Gronovius & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958. Harl. Bodl. & Puteolanus, *temporis illius.*

Quibus otiosum est] Mſſ. Vatic. 1958. Flor. Harl Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Reg. & editione principe, *quibus otium eſt.* Margini Mſ. Vatic. 1863. additum *otioſum.*

Aut consulto ambiguus.] Ita Rhenanus e Mſ. Bud. quod Recentioribus omnibus probatum. In Mſſ. Vatic. Oxon. Guelf. & editionibus veteribus, *ac.* Nec ita ſpernendum.

Dissereret] Mſ. Flor. & editio princeps, *differerentur.* Puteolanus & alii, *diſſereret.*

Cælare, pingere] Hæc aliaque id genus in Annalibus de Nerone ſæpe memorata expreſſit Cl. *Racine*, Act. IV. Sc. 4.

Pour toute ambition, pour vertu ſinguliere,
Il excelle à conduire un char dans la carriere,
A diſputer des prix indignes de ſes mains,
A ſe donner lui-même en ſpectacle aux Romains,
A venir prodiguer ſa voix ſur un théâtre,
A réciter des chants qu'il veut qu'on idolâtre.

Quæ cùm audiſſet Ludovicus XIV, adhuc juvenis, ſaltatione publicâ, ſed majeſtatis plenâ, quâ delectabatur, in poſterum abſtinuit, ne quid in decus regium peccaret. Tantùm valet apud be-

ne moratas mentes alienorum vitiorum exprobatio! Puteolanus edidit, *Cælare & pingere.* Erneſtus copulam omiſit, Mſ. Flor. & editionem principem ſecutus.

CAP. IV. Capessendi egregie imperii] Bene Rhenanus. In Mſſ. & editionibus veteribus, *egregii.*

CAP. V. Abditis a tergo] Fruſtra tentat Lipſius, *obditis.* Malè Gronovius, *obdito a tergo foribus velo diſcreta.*

Auditus non adimeret] Lipſius & Recentiores. Vulgo in Mſſ. & editionibus veteribus, *aditus.* Mſ. Jeſ. *additus.* In margine Mſ. Bodl. *auditum;* quod & Erneſto placebat.

Escendere suggestum] Ita Lipſius e Mſ. Farneſ. Sic quoque legitur in Mſ. Flor. & in Mſ. Vatic. 1864. qui mihi idem, ac Farneſianus, eſſe videtur. In ceteris Mſſ. Vatic. aliiſque & editionibus veteribus, *aſcendere.*

CAP. VI. Anquirebant] Sic Mſ. Flor. & in margine Vatic. 1958. In Mſ. Vatic. 1863. *anquirebat*, fortè pro *anquirebatur.* Non ita bene in ceteris Mſſ. & veteribus editionibus, *inquirebant.*

Evenisse disserunt] Bene Pichena e Mſ. Flor. In veteribus editionibus, *dixerunt.*

Multarum rerum experientia] Mſ. Corb. *multa.* Ibi quoque abeſt & ante *Imperatori.*

Pleraque in summa] Ita Mſſ. Vatic. Bodl. Corb. editio princeps, Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & in margine Mſ. Bodl. *pluraque.* Sic & Puteolanus; quod nobis quoque placet plurimùm.

CAP. VII. Admovere] Mallet Pichena, *admoveri.* Cùm mox ſequatur *collocari.*

Et Antiochum] Malè Mſſ. Vatic. 1958. & Flor. & *Jocchum.* In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. & editione principe *Jocchium.* Mſſ. Harl. & Guelf. *Locchum.* Meritò recepit Ryckius, *Antiochum*, Lipſio jam ceteriſque probatum.

CAP. VIII. Apud Ægeas] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Egeas.* Malè in multis libris *Ægas.*

Specie inanium validus] Miror Lipſium, quòd id *reſtituerit, ſuo animo, verè*, ſibi gratulantem. Hæc gloria ad Puteolanum pertinet. Ita etiam ediderat Beroaldus. Malè editio princeps *ſpem inanimum validus.*

CAP. IX. Ex commodo pararet] In Mſſ. Flor. & Reg. *ex*

quo modo: unde in veteribus editionibus, *ex æquo modo*, ut & in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Mureto, Mercero ac Recentioribus meritò placuit, *ex commodo*.

Centurio Histeius] Ita Mſ. Flor. Ryckius & Erneſtus. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus *Hiſterius*. Ryckius margini editionis ſuæ addiderat *Inſteius*: probavit ediditque Cl. Lallemand. Minimè tamen probabile centurionem *Hiſteium* eumdem eſſe ac *Inſteium Capitonem*, caſtrorum præfectum, de quo infrà cap. 39.

Forte prior, ea de causa] Ex Mureto Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Harl. Bodl. Jeſ. *fortè priore de causâ*. In Mſ. Vatic. 1953. *prior*.

Reciperare obsides] Mſ. Flor. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & multis aliis libris, *recipere*.

CAP. X. Consularia insignia] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *& conſularia*.

Inter reos] Ita Mſſ. Flor. Guelf. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *inter eos*. Unde Lipſius emendaverat, *in reos*.

CAP. XI. In acta Principum] Lipſius & Recentiores. Sic quoque Mſ. Bodl. primâ manu. Alterâ emendatum, *Principis*; ut in plerisque Mſſ. & editionibus veteribus.

Clementiam suam] Nero, præceptore Senecâ, clementiam ſuam obſtringebat; atque ut a virtute, quæ maximè Principes decet, numquam recederet, duos libros *de Clementiâ* ſcripſit Seneca, ſub finem hujus anni, aut initio ſequentis, ut patet ex libro I. cap. 9. *Cùm hoc ætatis eſſet* divus Auguſtus, *quod tu nunc es, duodeviceſimum egreſſus annum.* Quàm læta fuerint Neronis initia docet cap. 1. *Potes hoc, Cæſar, prædicare audacter, omnium quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam reipublicæ ereptum. Rariſſimam laudem, & nulli adhuc Principum conceſſam concupiſti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas iſta tua ſingularis, ingratos aut malignos æſtimatores nacta eſt. Refertur tibi gratia. Nemo unus homo, uni homini, tam carus umquam fuit, quàm tu populo Romano, magnum longumque ejus bonum. Sed ingens tibi onus impoſuiſti. Nemo jam divum Auguſtum, nec Tiberii Cæſaris prima tempora loquitur: nemo quod te imitari velit exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad anni* (Mallem *omnium*) *guſtum exigitur.* Hæc juvat legentium oculis ſubjicere, ut Principatûs Neronis rationem meliùs intelligant, ab optimis orſam, in immania poſthac delapſam.

Vel jactandi ingenii] In editionibus veteribus & in omnibus ferme Mſſ. *causâ jactandi ingenii.* Abeſt tamen, *causâ* a Mſ. Vatic. quem vidit Lipſius, & Mſ. Flor. *Vel* meritò addidit Rhenanus.

CAP.

CAP. XII. Cui vocabulum Acte] Fortè illa ipſa eſt Neronis pellex, quam a D. Paulo ſalutatam refert D. Chryſoſtomus, Homil. XLVI. in Act. Apoſtolor. Hariolantur qui ex D. Pauli Ep. ad Philipp. IV, 22. *Salutant vos omnes ſancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt;* Acten Chriſtianâ religione fuiſſe imbutam pronuntiant. Reperti ſunt Puteolis, nunc *Pozzuolo*, tubi aquæductuum inſcripti CLAVDIAE. AVG. L. ACTES. Id eſt *Claudiæ* Claudii *Auguſti libertæ Actes.* Vide eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, pag. 121 & ſeqq. Recèns Romæ in vineâ prope Eccleſiam S. Cæſarii, ut accepimus ex diurnis literariis, *Gazette Litteraire de l'Europe*, 26 *Septembre* 1764. num. 36. pag. 63. repertæ pulcherrimæ duæ urnæ ſepulchrales lapide baſalte. In unâ conditum fuerat viri corpus, in alterâ feminæ, ditiſſimâ veſte. Verùm ut aer ſubiit, corpus veſtiſque in cineres abiere. Ex veſte tamen ſuperfuere unciæ octo auri optimi. Apud urnas inventus lapis inſcriptus:

D. M.
VLPIAE
AVG. LIB. ACTE
CONIVGI
OPTIMAE
CALLISTVS AVGV
DISPESATOR

Dextro lapidis latere ſcriptum:

DECESSIT
IIII IDVS
DECEMBRES
ORF.

Fortè Acte, Neronis pellex, matrem habuit hanc Ulpiam Acten, uxorem Calliſti, diſpenſatoris Claudii Auguſti, quæ deceſſit Orfito conſule, anno U. C. DCCCV, ut dictum ſuprà Annal. XII. 41.

Inrepserant per luxum] In multis Mſſ. & editionibus veteribus, *irrepſerat*; quod ortum videtur ex peſſimâ interpungendi ratione. In Mſ. Jeſ. *irrepſere.* Meritò Lipſius emendavit, *irrepſerant*; fruſtraque Cl. Erneſtus revocavit, *irrepſerat.*

Ne severioribus quidem] Ita Mſ. Bodl. & Puteolanus ac Recentiores. Vulgò in Mſſ. & editione principe, *ne ſenioribus.*

CAP. XIII. Nurum ancillam] Hauffius *nurum* Octaviam interpretatur. Sic quoque vertit Dati: *Si lamentava ch' una liberta doveſſe eſſere padrona, e la nuora conſtretta ad eſſer ſerva.* Quantò meliùs breviúſque Davanzati: *Sbuffava Agrippina d'avere una liberta per compagna, una ſervente per nuora.* Necaliter Cl. Gordon: *Now Agrippina ſtormed, that a manumiſed ſlave was become her competitreſſ, a handmaid*

her daughter-in-law. Ita etiam Sucyro: *Bramava Agrippina, de aver de ſufrir el tener por emula a una liberta, y por nuera una eſclava.* Denique Amelot de la Houſſaie: Agrippine *crioit avec la violence ordinaire à ſon ſexe qu'il feſoit beau voir une ſervante devenir ſa bru & ſa rivale.* Neronem voluiſſe Acten uxorem ducere docet Suetonius in Ner. XXVIII. *Acten libertam paulum abfuit quin juſto matrimonio ſibi conjungeret: ſubmiſſis conſularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent.* Si quis tamen adhuc velit nurum eſſe Octaviam, non multùm contendam. Utroque ſenſu pro jure ſuo uſus eſt Cl. Racine. Agrippina queritur, *Britannicus*, Act. 3. Sc. 3.

A ſon épouſe on donne une rivale.
On affranchit Neron de la foi conjugale.

& Sc. 4.

Quoi, tu ne vois donc pas juſqu'où l'on me ravale,
Albine? c'eſt à moi qu'on donne une rivale.

Et paulo pòſt:

Une autre de Céſar a ſurpris la tendreſſe,
Elle aura le pouvoir d'épouſe & de maîtreſſe:
Le fruit de tant de ſoins, la pompe des Céſars,
Tout deviendra le prix d'un ſeul de ſes regards.

Quàm eloquenter hunc locum ſuos in uſus vertit poeta!

Seque Senecæ permitteret] In Mſſ. Reg. Farneſ. & editione principe, *ſeque neci permitteret.* In Mſ. Vatic. *ſeque permitteret*: ſuprà additum *neci.* In Mſ. Flor. *ſeque nece.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Senecæque permitteret.* Meritò emendatum, *ſeque Senecæ*, quòd Lipſio, Ryckio & Recentioribus placuit.

Summa fortuna] Malè Beroaldus, *ſumma forma.*

Orabantque cavere] Ita Mſſ. Flor. Guelf. & editio princeps. Puteolanus *caveri.* Pichena & Rhenanus mallent *caveret.* At infinitivo jam uſus eſt Tacitus Annal. VI, 2. XI, 1 & 32.

CAP. XIV. Superbia muliebris] Mſſ. Harl. Jeſ. & Guelf. *ferocia muliebris*; ac ſic ſæpe Tacitus cùm de Agrippinâ loquitur.

Arbitrum regni] Ita Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. & editio princeps, Lipſius ac Recentiores. In Mſ. Vatic. 1958. Flor. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *arbitrium.* In Mſſ. Harl. & Jeſ. pro *agebat*, ſcriptum *gerebat.* Sed margini Mſ. Harl. additum *agebat.*

Degrediente eo] Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. & Flor. Non ita bene alii, *digrediente.*

Inde debilis rursus Burrus] In Mſſ. Flor. Reg. Bodl. & editione principe, *indebilis rurſus.* In Mſ. Agr. & Puteolanus, *inde vilis. Vilis* quoque margini Mſ. Bodl. additum. In Mſſ. Harl. & Jeſ. *inde Mancinus rurſus.* Erneſtus, quem ſecutus eſt Cl. Lallemand, omiſit *inde*, ratus ejus vice fungi *rurſus.* Probabiliſſimum tamen ex

Mſſ. ſcripturâ, & Taciti uſu, olim ſcriptum fuiſſe *inde debilis Burrus;* vel *inde vilis Burrus. Rurſus* irrepſiſſe videtur, cùm corrupta fuit ſcriptura, aliique legerent *indebilis*, alii *Mancinus*, alii *bilbil*, ut in Mſ. Vatic. Crediderim autem veram lectionem eſſe, *inde debilis Burrus*: idque ſuadent quæ ſequuntur, *truncâ ſcilicet manu. Debilitati* enim dicebantur, qui hoc corporis vitio laborabant. Unde in Digeſt. libr. XLIX. Tit. 16. Leg. 4. ex Arrio Menandro num. 12. *Eum, qui filium debilitavit, dilectu*, id eſt *delectu, per bellum indicto, ut inhabilis militiæ ſit, præceptum divi Trajani deportavit.* Epitheta omiſit Cl. Gordon, ut vividiùs verteret: *with him ſhe would repair to the camp, where, on one ſide, would be heard the daughter of Germanicus, on the other, Burrhus and Seneca, the firſt with his maimed hand, the ſecond with the ſtile of a pedagogue, both engaged in a conteſt with her about the ſovereign rule of human kind.*

CAP. XV. Ut quidem experimento] Mallet Freinshemius *levi quidem.* In Mſ. Harl. alterâ manu emendatum & pro *ut*. Freinshemio ſuffragantur quæ ſequuntur *quo tamen.*

Ruborem allatura] In Mſ. Reg. & editione principe *oblatura;* quod laudat Cl. Erneſtus. At meliùs vulgò Mſſ. Puteolanus & optimæ editiones, *allatura.* Ignoratur unde Lipſius acceperit, *illatura.*

Rebusque summis] A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. abeſt *que.* Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *rebuſque ſuis.*

Neque jubere cædem] Fortè *jubere* redundat, ut Acidalio & Erneſto placuit. Mox enim ſequitur, *jubet.*

Occulta molitur] Mallet Heinſius, *occultam.* Eleganter. Sæpe in Mſſ. concurrentibus literis *m*, una omittitur. Diverſitate tamen delectatur Tacitus.

Pararique venenum] Erneſtus e Mſ. Flor. A veteribus editionibus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. abeſt *que.*

Securitatem morarentur] Malè in Mſſ. Reg. Bodl. Jeſ. & editione principe, *ſecuritate.* Securitatem enim Principis morabantur & impediebant.

CAP. XVI. Delectus ex ministris] Hæc ſuſpecta habet Erneſtus. Minimè tamen indigna ſunt brevitate Cornelianâ.

Adfunditur venenum] Ita Mſ. Flor. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *infunditur.*

Frigida in aqua] Errat ergo Ælianus V, 29. cùm Britannicum, ut & Claudium cibo, non verò potu enectum tradit. Καὶ ἐδίοντες, ὡς Κλαύδιος ὁ Ῥωμαῖος, καὶ Βριταννικὸς ὁ τούτου παῖς.

Et spiritus raperentur] Ita Mſ. Reg. Vulgò in libris ſcriptis & editis, & *ſpiritus ejus raperentur.* At certè numquam Tacitus ſcrip-

ſit, *potuſque ejus... ejus artus.... & ſpiritus ejus.* In Mſ. Jeſ. *raperetur.*

Trepidatur a circumsedentibus] Rhenanus, *trepidatum.* In Mſ. Jeſ. *circumſtantibus.*

Primùm ab infantia] Mallet Freinshemius *plurimùm.* Alii tentant *primâ.* Nihil mutaverim. Sic fermè adhuc Itali, *infin da fanciullo.* Suſpecta Mureto vox *Britannicus.* Nec immeritò.

Ac sororem Britannici Octaviam] Omninò diſplicet *Octaviam.* Certè omiſiſſem, ſi vel unus liber faviſſet. Hæc omnia, *ejus.. Britannicus... Octaviam*, ſunt librariorum additamenta. Octaviam redundare patet ex ſequentibus, *Octavia quoque.* In Mſ. Reg. & editione principe, *Britannici ſororem Octaviam*, omiſsâ particulâ *ac.* Mſſ. Harl. Jeſ. *atque Octaviam ſor. Brit.* Mſ. Bodl. & Puteolanus, *ac Octaviam.* Malè, cùm *ac* veteres Scriptores ante vocalem non poſuerint.

Octavia quoque] Fruſtra emendat Lipſius, *Octaviæ.*

CAP. XVII. Funebri paratu] Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *apparatu.*

In campo tamen Martii] Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. Pichena & Recentiores. In Mſ. Bodl. & editionibus veteribus, *Martio.*

Insociabile regnum æstimantes] Ita Mſ. Vatic. 1958. & Puteolanus, atque Erneſtus. In Mſſ. Vatic. 1863. Agr. Guelf. Jeſ. & editione principe, *extimantes.* In Mſſ. Vatic. 1864. Flor. Reg. & Rhenanus, *exiſtimantes.*

Inlusum isse] In Mſſ. & editionibus veteribus *illuſum eſſe*; vitio librariorum, qui id elegantiæ non caperent. Malè emendaverat Rhenanus, *illuſiſſe.*

Ad complexum sorori dato] In Mſ. Reg. & editione principe, *ſororum.* Britannico duæ erant ſorores Octavia & Antonia. Vide Stemma Cæſarum, num. 36. & 105. Sed hìc de Octaviâ agitur, cujus erat morientem fratrem amplecti.

Acerba funera] Apud Antiquos moris non ſuit pueros, eoſque, qui ante ſumptam virilem togam moriebantur, lugere. Quâ de re inſignis exſtat locus Plutarchi in Conſolat. ad Uxorem, pag. 612. Τοῖς γὰρ νηπίοις ἀποθανοῦσιν οὔτε χοὰς ἐπιφέρουσιν, οὔτ᾽ ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ οἷα εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν τοὺς ἄλλους· οὐ γὰρ μέτεστι γῆς οὐδὲν οὔτε τῶν περὶ γὴν αὐτοῖς· οὐδ᾽ αὐτοῦ (corrige αὐτῶν) περὶ ταφὰς καὶ μνήματα, καὶ προθέσεις νεκρῶν φιλοχωροῦσι καὶ παρακάθηνται τοῖς σώμασιν, οὐ γὰρ ἐῶσιν οἱ νόμοι τοὺς τηλικούτους, ὡς οὐχ ὅσιον εἰς βελτίονα καὶ θειοτέραν μοῖραν ἅμα καὶ χώραν μεθεστηκότας. *Infantibus enim mortuis neque inferias libant, neque aliud quidquam faciunt eorum, quæ fieri mortuis apud alios ſolent. Neque enim terræ, aut terreſtrium infantes ullam partem percipiunt; neque circùm eorum ſepulchra & monimenta ac cadaverum expoſitionem commorantur, aut*

adſident. Talia enim non permittunt leges. Nefas enim lugere eos qui in meliorem ac diviniorem conditionem ſimul ac locum conceſſerint. Britannico, meliora merito, liceat parentare verſibus Senecæ in Octaviâ Act. I, 165.

Exſtinctus jaces,
Deflende nobis ſemper infelix puer,
Modò ſidus orbis, columen Auguſtæ domûs,
Britannice: heu me! nunc levis tantùm cinis,
Et triſtis umbra; ſæva cui lacrimas dedit
Etiam noverca; cùm rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque & vultus deo
Similes volanti flamma fervens abſtulit.

CAP. XVIII. Nec defuere] Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *defuerunt.*

Domos, villas] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Flor. Reg. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *villaſque.*

Quasi prædam] Mſſ. Flor. Reg. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *prædas.*

Solitum, et matri] Bene Ryckius e Mſ. Agr. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſolitum & ut matri.* Cl. Erneſtus, alios Mſſ. codices ſecutus, edidit, *ſolitum, ut matri*: quod profectò duriſſimum eſt.

CAP. XIX. Non sua vi nixæ] Mſſ. Vatic. Oxon. Reg. Guelf. & editiones veteres, *nixa.* Placet quoque Erneſto. Lipſio & Recentioribus omnibus receptum, *nixæ*, quod *ſuâ vi* defenſum videtur.

An odio incertum] Bene Puteolanus. In Mſſ. Reg. Bodl. Bud. & editione principe, *incertas.*

Forma, lascivia] Mſſ. Flor. Guelf. editiones veteres. Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. Rhenanus ut & Mſ. Jeſ. *laſcivâ.*

Opibus et orbitate] Tentat Cl. Erneſtus, *ex orbitate.*

Spe ultionis oblata.] Vulgo in Mſſ. *ſpeculationis cauſa oblata.* Irrepſit *cauſa* ob corruptam vocem *ſpeculationis.* Puteolanus rectè emendavit *ſpe ultionis.* Malè autem retinuit *cauſa.*

Audita deferens] Mſ. Flor. *differens.*

Conjugioque ejus potiri, ac rempublicam] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Perperam in Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *conjugioque ejus etiam imperio rempublicam rurſus invadere.* In Mſ. Flor. *perio* pro *imperio.* Unde fruſtra tentabat Heinſius, *conjugioque ejus ceu imperii pretio rempublicam.* J. F. Gronovius, *conjugioque ejus clam petito.*

CAP. XX. Per vinolentiam] Ita editio princeps & Recentiores. In Mſſ. Reg. Jeſ. & Puteolanus, *violentiam.*

Lusus Principis] Ita Rhenanus, Lipſius, & Erneſtus, quòd, in-

quit, hiſtrionis eſt *luſus intendere.* Minimè tamen diſplicet *luxus*, ut legitur in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus.

Consensum auctorum secuti] Ita Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſecuturi.*

Differri potuit] Bene Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *differre.*

Vocem unius ex inimica domo] Mallet Lipſius, *vocem mimi ex mimicâ domo.* At audacior conjectura: nec puto Tacitum umquam ſcripſiſſe, *mimi ex mimicâ.*

Refutare tenebras] Felicior Lipſius, qui conjicit, *reputaret tenebras.* Haud tamen neceſſaria emendatio.

CAP. XXI. Vel pœna lueret] Ita Mſ. Reg. Editio princeps & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus aliique plurimi *pœnas.* Exquiſitius dictum *pœnâ.*

Deinde a Burro] Mſ. Bodl. & Puteolanus. *Deinde & a Burro.*

Piscinas extollebat] Ita Mſſ. Vatic. 1863. 1864. 1958. Harl. Bodl. Jeſ. Flor. Guelf. & editiones veteres. Malè emendatum *excolebat.*

Aut existat] Rhenanus emendavit, *At. Aut*, fortius eſſe rectè obſervat Erneſtus.

Vel libertos] Mſ. Jeſ. &.

Potiente rerum] Mſſ. Harl. Reg. & editio princeps, *potito.* Puteolanus & Recentiores, *potiente.* In Mſ. Jeſ. *potentie.*

Rempublicam judicaturus] Optimè & ad rem dictum, *judicaturus.* Miror Lipſium tentaſſe, *judicatuſve*, hoc eſt, *judicia:* Rodolphum Agricolam, *rempublicam invaſurus:* Grotium *judicia dictaturus:* Janum Rutgerſium, Venuſinæ Lectiones, cap. 31. *rempublicam vindicaturus.* Si Nero, ſi Britannicus non imperarent, Agrippina a quovis, qui rempublicam obtinuiſſet, judicanda erat, nec abſolvenda.

Nisi a filio absolvi non possim] Mſ. Flor. & editio princeps. Mſ. Vatic. 1864. *non poſſum.* Malè Puteolanus, *a filio mater abſolvi non poſſim;* vel ut in Mſſ. Harl. & Jeſ. *non poſſit.*

Quasi diffideret] Benè. Nec emendandum, ut placuit Rodolpho Agricolæ, *defenderet.*

Nec beneficiis] Erneſtus vellet addi, *de.* At intelligi poteſt *pro.*

CAP. XXII. Fenio Rufo] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus malè, *Senio.* Paſſim infrà appellatur, *Fenius.*

Arruntio Stellæ] In tabellâ æneâ apud Gruter. pag. DCXLII. num. 2.

SVB. L. ARRVNTIO. STELLA

Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. 2. ſplendidum monumentum ſepulchrale, anno 1736 viâ Appiâ repertum, quod L. Arruntius, libertis & familiæ poſuerat, tabulis novem expreſſit. Inter ceteras Inſcriptiones, hæc fronti cellarum ſepulchralium poſita:

LIBERT. ET
FAMILIAE
L. ARRVNTII. L. F
TER

Et variis] Vellet Gronovius, *qui variis*. Meliùs Heinſius & Erneſtus, *ſed* vel *at*. Cùm mox ſequatur, *At Silano*, ferri poteſt, &c.

Relegantur] In Taciti libris ſæpe memorantur exſilium, relegatio, deportatio: quæ cùm ſint diverſa, de ſingulis dicere haud erit inutile.

De exſilio, relegatione & deportatione.

Inter optima inſtituta, quibus viguit reſpublica Romana, illud mihi potiſſimum videtur quo Patriam, ſanctiſſimam parentem, liberis ſeque ipſis cariorem, venerabantur: pro quâ vivere, pro quâ mori, cui ſe totos dedere, in quâ ſua omnia ponere, & quaſi conſecrare debebant. Cùm tanta forent patriæ nomina, meritò ſtatutum erat ut nemo civis Romanus civitatem poſſet amittere, niſi ipſe auctor eſſet. Inde, ſi quem, rei capitalis damnatum, ejectum vellent Romani, tecto, igne, aquâ, interdicebatur. Tunc, cùm in aliam civitatem ſe recepiſſet, nec duas ſimul habere poſſet, civitate Romanâ amiſſâ, redigebatur in peregrinitatem. Hæc pœna *exſilii.* Exſul civitatem, patriam in liberos poteſtatem, teſtamenti factionem, bona, & omnia omnino jura ſua amittebat, ut videre eſt in Digeſt. lib. XLVIII. Tit. 1. de Publicis Judiciis. Tit. 22. de Interdictis, Relegatis & Deportatis. Apud Caium, Inſtitut. libr. I. Tit. 6.

Relegatio ab exſilio erat penitus diverſa. Relegatus civitatem, patriam poteſtatem, teſtamenti factionem, omnia ſua jura & bona retinebat; ni fortè bona, parſve bonorum, ſpeciatim adimerentur: tantùm ab urbe Româ, aliove loco abeſſe tenebatur. Inde Ovidius, V. Triſt. Eleg. II, 59,

Ira quidem moderata tua eſt; vitamque dediſti:
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abeſt.

Et Eleg. XI, 15.

Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil niſi me patriis juſſit abeſſe focis.

. . . .
. . . .

Ipſe relegati, non exſulis, utitur in me
Nomine: tuta ſuo judice cauſa mea eſt.

Deportationem reperit Auguſtus, ſpecie clementiæ, quaſi ſervarentur homines, qui perire debuiſſent; re, ut exſilii pœna intenderetur, neve exſulum libertas, aut conſenſus, Principatui noceret. Deportatione civitas, patria poteſtas, teſtamenti factio, bona, jura omnia ſublata. Quod autem exſilio terribilius, circumſcriptus eſt habitandi locus: ſæpe quoque addita infamia, cùm vincti compedibus, & ſervis publicis traditi, deportarentur.

Verùm licet exſulum & deportatorum bona publicarentur, noli tamen eos omnino inopes exiſtimare. Vel reorum inopiam non ferebat Imperii luxus. Ideo cùm eorum opes adhuc formidaret Auguſtus, *vetuit ne quis eorum quibus aquâ & igni eſſet interdictum, in continenti degeret, aut in inſulâ ullâ, niſi quæ ultra quinquaginta millia paſſuum ab continente diſtaret; ſolis tamen inſulis Co, Rhodo, Sardiniâ, & Leſbo, exceptis.... neve quis eorum aliò trajiceret, aut plures naves, quàm unam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias, neve ſervos aut libertos ſuper viginti, ne plus quingentis millibus nummûm.* Gallicæ monetæ libris 97,265, *poſſideret.* Ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι· πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου, Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου .... Ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε, καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί πῃ ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι· μήτε δούλοις, ἢ καὶ ἀπελευθέροις, ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι· μήτ' οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. Dio LVI. pag. 587. Meritò ergò Seneca, Conſolat. ad Helviam, XII, exclamat: *Eò temporum luxuria prolapſa eſt, ut majus viaticum exſulum ſit, quàm olim patrimonium principum fuit.*

CAP. XXIII. VANITATIS MANIFESTUS] In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *vanitatibus.*

MONIMENTA RETRAHEBAT] Mallet Fr. Gronovius, *nomina*: Jac. Gronovius, *emolumenta.* Cl. Lallemand recepit *nomina. Monimenta* retinui ob Mſſ. & editorum librorum auctoritatem.

CAP. XXV. Q. VOLUSIO, P. SCIPIONE] Perperam Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *P. Cepione.* Exſtat Neapoli horum conſulum memoria, apud Gruterum pag. IX. num. 4.

Q. VOLVSIO. SATVRN
P. CORNELIO. SCIP. COS
AVGVSTALES
QVI neroni CLAVDIO
CAESARI. AVGVST. ET
Agrippinæ AVGVSTAE
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART &c.

His

His conſulibus Romæ hominem peperiſſe obſervat Phlegon, de rebus mirabilib. cap. 27.

Ad venditionem] Puteolanus & Recentiores omnes. *Ad* abeſt a Mſ. Flor. unde Gronovius conjiciebat, *venum*. In editione principe, *venditioni*.

Exciperet ictus] Ita Mſſ. editiones veteres, J. Gronovius & Recentiores. Lipſius, *acciperet*.

Et ore præferret] Vitioſè in Mſſ. Harl. Jeſ. Bodl. *& fore ſe Cæſarem præferret;* quibus conſentit Mſ. Bud. Inde conjiciebat J. Gronovius, *& ore cicatricem præferret*.

Augebantur injuriæ] In Mſſ. & libris editis, *augebanturque*. Redundat copula, ut patet legentibus.

Feminasque insignes] Mſſ. Farneſ. & Agr. *illuſtres*.

Permissa semel licentia] Sic Mſ. Flor. editio princeps, Pichena, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Quidam ſimili licentiâ*.

Inulti, propriis] Pichena e Mſ. Flor. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *multi*.

In modum captivitatis] Mallet Lipſius, & meritò, *in modum captæ civitatis;* ea enim, inquit, facies potiùs, quàm carceris cuſtodiæve.

Julius quidem Montanus] Ita Mſ. Reg. & editiones veteres. Lipſius, *quidam*; quod non convenit cum hominis dignitate. A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. & Guelf. abeſt, *quidem*; & abeſſe poteſt. Fortè hujus Montani pater fuit Julius Montanus, *tolerabilis poeta, & amicitiâ Tiberii notus & frigore ;* de quo Seneca Ep. CXXII.

Nondum honorem capessisset] Juvenis erat Julius Montanus, &, ut videtur, ejuſdem ferme ætatis, ac Nero; curiæ intererat, nondum honores petierat, aut erat conſecutus. De hoc uſu Plinius II. Ep. 9. *Ego Sexto latum clavum a Cæſare noſtro, ego quæſturam impetravi :* & libr. VIII. Ep. 23. Junius Avitus *latum clavum in domo meâ induerat; ſuffragio meo adjutus in petendis honoribus fuerat.* Auguſtus autem, teſte Suetonio in Aug. XXXVIII. *Liberis ſenatorum, quò celeriùs reipublicæ aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit.* Hinc verò Tiberii verba intelligas, Annal. VI, 2. *Honoribus perfunctos, an juvenes ?*

Quia vi attentantem] J. Gronovius & Recentiores e Mſ. Agr. In Mſſ. Flor. Reg. Bud. & editione principe *via temptantem*. Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. *avia tentantem*. Puteolanus, *vim tentantem*.

Deinde agnitum] Mſſ. Bud. & Agr. *adagnitum*. Unde vellet Gronovius, *deinde & agnitum*.

Plerosque gladiatores] Erneſtus e Mſ. Flor. & editione principe. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *gladiatorum*. Latinè utrumque.

Arma inserebant] Ita Mſ. Reg. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *inferebant*. Puteolanus, *inferrent*. Unde tentabat

Muretus, *ſererent*. Elegantiùs probatiúſque, *inſerebant*.

CAP. XXVI. JUS PATRONIS DARETUR] *Patronis* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe.

RELATIONEM INCIPERE] Mſ. Reg. *recipere*.

ILLE JAM AUCTOR] Ita Mſ. Reg. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelſ. Bud. & editionibus veteribus, *ille an auctor*. Lipſius omiſit, *an*. In Mſ. Agr. *illi, an auctor*; quod recepere Ryckius & Erneſtus. At, ut opinor, numquam ſcripſit Tacitus, *perſcripſere tamen conſenſum ſenatûs illi : an auctor*, &c. Id enim omnino durum, aureſque offendit.

ET SENTENTIÆ ADVERSOS] Mallet Freinshemius, *ei ſententiæ*. Placuitque Ryckio & Erneſto: nec improbabile. Poteſt tamen intelligi, *ut inter paucos, & ſententiæ* ac conſenſui ſenatûs *adverſos*. Vel, quod potiùs crediderim, & redundat.

UT ÆQUO CUM PATRONIS JURE] In editionibus veteribus, *vine an æquo cum patronis jure agerent : ſententiam eorum conſultarent : ac verberibus manus ultro intenderent : impulere vel pœnam ſuam diſſuadentes*. Nihil juvant Mſſ. æquè, vel magis, corrupti. Obſervaverim tamen in Mſ. Jeſ. pro *ſententiam* legi *ſententia*. In Mſ. Corb. pro *impulere*, *impudente*, & in Mſ. Agr. *impudentes*. Magna inde conjecturarum vis: præcipuas retuliſſe ſit ſatis. Lipſius, *ut jam nec æquo cum patronis jure agerent. Sententiâ eorum conſultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœnam ſuetam diſſuadentes*. Gronovius, *vine an æquo cum patronis jure agerent? ſententiam coram conſutarent, an verberibus manus ultro intenderent? impellere pœnam ſuam diſſuadentes*. Vir eruditus in edit. Gryph. *Ut nec æquo cum patronis jure agerent, ſed jam coram inſultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœnâ ſuâ gaudentes*. Cl. Chiffletius, *ut jam æquo cum patronis jure agerent, ſalutem eorum*, vel *ſententiam Chaldæorum, conſultarent, ac verberibus manus ultro intenderent impune, vel pœnam ſuam deſpicientes*. Ryckius pro *conſultarent* vellet *conculcarent*. *Impune* approbat Erneſtus. Ego verò, Ill. Huetium ſecutus, emendavi *ut æquo*. Id enim poſtulat *eò prorupiſſe :* nec excogitatum *ne an*, quàm cùm *ut* in *vi* mutatum: edidi *impudenter*, quod proximum eſt Mſſ. in quibus *impudentes*, *impudente* legitur. Certè *impulere* vitioſum eſt; & infeliciter a multis emendatum *impellerentve*.

VICESIMUM ULTRA LAPIDEM] Multi putant hìc erratum eſſe in numero, & emendandum *centeſimum*, quod intra centeſimum milliarium cognoſceret præfectus Urbis, & Campania ferme centum millibus ab Urbe diſtaret. At hìc non agitur de præfecti Urbis, ſed patronorum, jure. Atque minùs ad determinandum locum, quàm ad augendam invidiam memoratur ora Campaniæ, de quâ Plinius III, 5. *Qualiter Campaniæ ora, per ſe, felixque illa ac beata amœnitas*.

AT CRIMINUM] Erneſtus ex Mſſ. Flor. Guelſ. & editione principe. Mſ. Reg. & Puteolanus, *ac*.

AD SERVITUTEM] Mſſ. Harl. Jeſ. *ad ſerviendum*.

NON MUTAVISSENT] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelſ. *non commutaviſſent*.

CAP. XXVII. Si separarentur] Mſſ. Flor. Bodl. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſeparantur.* Rhenanus, *ſeparentur.*

Non liberaverit] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *non liberavit.*

Quod datum non adimeretur] Poſterioribus temporibus data libertas adempta eſt, & ex Principum reſcripto patroni extra ordinem libertos *in ſervitutem* revocabant. Vide Gravinam, *Origines Juris Civilis*, pag. 529.

Scripsitque Cæsar senatui] Ita libri omnes ſcripti & editi. Unus Cl. Erneſtus omiſit, *ſenatui*, ſortè operarum errore.

Expenderent causam] Mſſ. Bodl. Corb. *expedirent.*

Nihil derogarent] Bene Muretus & Erneſtus. Mſſ. & editiones veteres, *derogent.*

CAP. XXVIII. Vibullium] Mſſ. Reg. Bodl. & editiones veteres *Bibulium.* Mſſ. Harl. & Jeſ. *Bibulum.* Lipſius & Recentiores *Vibullium.* Nomen nonnumquam occurrit in veteribus Inſcriptionibus.

Et a prætore] *Et* abeſt a Mſ. Jeſ. poteſtque omitti.

Comprobavere patres] Muretus mallet, *non probavere.* Sanè durum eſt, *comprobavere*, licèt intelligas Vibullium ejuſque ſeveritatem.

Obultronium Sabinum] Mſſ. Flor. & Bud. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Obultronum.* Mſ. Reg. & editiones veteres, *Obutronium.* In Inſcriptionibus veteribus memoratur *Obultronius Eucarpus.*

CAP. XXIX. Ejus rei forma] Variam ærarii diſpenſationem opeſque paucis exponam.

De ærario populi Romani.

Ærarium populi Romani fuit in æde Saturni, in imo Capitolini montis clivo: ejus cura demandata erat quæſtoribus. At, vigente republicâ, penes ſenatum erat ærarii & pecuniæ publicæ diſpenſatio. Nec quæſtores, ni conſul imperaſſet, inde quicquam, vel ad minimos ſumptus, injuſſu ſenatûs, proferre poterant.

Julius Cæſar, reipublicæ potitus, certuſque invalidam eſſe potentiam, quæ militum ac pecuniæ vi non niteretur, providit anno Urbis conditæ DCCVIII, ut ſibi ſoli milites & pecuniæ publicæ demandarentur, ac ne cui horum alterutro, injuſſu ſuo, uti liceret. Στρατιώτας τε μόνον ἔχειν, καὶ τὰ δημόσια χρήματα μόνον διοικεῖν ἐκέλευσαν· ὥστε μηδενὶ ἄλλῳ μηδετέρῳ αὐτῶν, ὅτῳ μηδὲ ἐκεῖνος ἐπιτρέψειεν, ἐξεῖναι χρῆσθαι. Dio, XLIII. pag. 236. Tum non quæſtoribus, ſed duobus præfectis Urbis, δύο τῶν πολιανομούντων, data ærarii cura. Dio, ibid. pag. 237.

Auguſtus, dominationis certus, & libertatem affectans, permiſit ſenatui deligere præfectos ærario. Deinde, ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducti ex numero prætorum, qui præeſſent. Poſtea ſors

ipſa diſplicuit, quòd ſæpe deerraret ad parum idoneos, prætoreſque ærarii ab imperatoribus creati.

Claudius, antiqua nomina revocandi avidus, quæſtores rurſum impoſuit, iiſque *curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut utique præturâ functi ſuſtinuerant*, Sueton. in Claud. XXIV. Nec quæſtores illos, ut antè, annuos fecit; ſed per triennium præeſſe voluit; ac ne ſegnes munere fungerentur, re geſtâ, eos præturâ aliâve mercede munerabatur, Dio, LX. pag. 680. His quæſtoribus, primum magiſtratum vigeſimo quinto ætatis anno capeſſentibus, robur deerat: Nero præturâ perfunctos & experientiâ probatos delegit, curamque ærarii ac tabularum publicarum a quæſtoribus ad præfectos tranſtulit. Conjicere licet ex Plinio eos *per biennium* fungi ſolitos *officio laborioſiſſimo & maximo*, ut loquitur Plinius, ipſe præfectus ærarii, imperante Trajano. Plin. in Panegyric. XCI.

Hæc enarranda fuere, ut explanaretur Tacitus. Nunc verò juvat opes ærarii, tum ſtante republicâ, tum imperantibus Principibus, expendere.

Ærarii opes, ſtante republicâ.

Anno Urbis conditæ CDLIX, Conſul Papirius, devictis Samnitibus, triumphum egit. In triumphi pompâ *æris gravis tranſvecta* $\overline{XX}$ (id eſt *vicies*, ſeu quod idem eſt, *vicies centena millia*) *& quinquaginta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti, quod captum ex urbibus erat P. M. CCCXXX. Omne æs argentumque in ærarium conditum*, Livius X, 46. Sic enim hic Titi Livii locus legendus eſt, nec audiendi, qui cum Sigonio *vicies centies millies*, quod omnino abſurdum, legêre aut edidere.

Porro æris gravis 2,053,000. ſunt monetæ Gallicæ libræ.. 1,324,825.

Argenti pondo 1330, ſunt monetæ Gallicæ libræ ...... 86,932.

Summa .... 1,411,757.

Anno Urbis conditæ DLXXXVI, ſuperato Perſeo, Macedonum rege, ærario *intulit Æmilius Paulus e Macedonicâ prædâ* HS. $\overline{\text{MM. CCC}}$. Plin. XXXIII, 3.

Seſtertiûm 230,000,000, ſunt monetæ Gallicæ libræ.. 44,746,557.

Anno Urbis conditæ DXCVII, cùm Carthagini excidium pararetur, *auri in ærario populi Romani fuere, Sexto Julio, L. Aurelio conſulibus, ſeptem annis ante bellum Punicum tertium, pondo XVI. DCCCX. argenti XXII. LXX. & in numerato LXII. LXXXV. CCCC.* Plin. XXXIII, 3.

Auri pondo 16,810, ſunt monetæ Gallicæ libræ... 15,885,450.

Argenti pondo 22,070, ſunt monetæ Gallicæ libræ... 1,442,550.

In numerato, ſeu ſeſtertiûm, 6,285,400, ſunt monetæ Gallicæ libræ .... 1,222,896.

Summa................................ 18,550,896.

Anno Urbis conditæ DCLXIII, *Sexto Julio, L. Marcio conſulibus, hoc eſt belli ſocialis initio*, fuere in ærario pondo *auri XVI. XX. DCCCXXIX.* Plin. XXXIII, 3.

Auri pondo 1,620,829, ſunt monetæ Gallicæ libræ. 1,512,783,405.

Anno Urbis conditæ DCCV, *Caius Cæſar, primo introitu Urbis in civili bello ſuo, ex ærario protulit laterum aureorum XV. M. argenteorum, XXXV. & in numerato HS. CCCC. Nec fuit aliis temporibus reſpublica locupletior*, Plin. XXXIII, 3. Sic enim legendum. Nam hoc in loco bis erravit eruditus Harduinus: primò quòd edidit *laterum aureorum XXV.* Inſpexi in Bibliothecâ Regiâ illum ipſum Plinii codicem, quem laudat, & in eo non *XXV*, ſed *XV* ſcriptum. Erravit ſecundò, quod ita diſtinxit *in civili bello, ſuo ex ærario*, ut ad Julii Cæſaris ærarium referret, quod de populi Romani ærario dixit Plinius; teſte ipſo Floro IV, 2, *Caius Cæſar ærarium quoque ſanctum, quia tardiùs aperiebant tribuni, juſſit effringi: cenſumque & patrimonium populi Romani antè rapuit, quàm imperium.*

Nunc verò in numerato ſeſtertiûm 40,000,000, ſunt monetæ Gallicæ libræ.................................... 7,782,010.

Aureorum autem & argenteorum laterum pondus cùm Plinius non prodiderit, incomperta eſt ſumma. At quoniam numquam reſpublica fuit locupletior, reputari poteſt, ſine erroris formidine, opes reipublicæ tunc temporis æquaſſe monetæ Gallicæ libras circiter 2,000,000,000.

Tantas opes a Julio Cæſare raptas animosè queritur, earumque originem facundè docet Lucanus III, 154.

Tunc rupes Tarpeia ſonat, magnoque recluſas
Teſtatur ſtridore fores: tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani cenſus populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fugâ Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro.
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſêre tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinquâ vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata eſt gaza triumphis,
Egeritur: triſti ſpoliantur templa rapinâ;
Pauperiorque fuit tunc primùm Cæſare Roma.

Ærarii opes, imperantibus Principibus.

MANSIT ærarii nomen; ac, quaſi auctâ fortunâ, etiam geminatum: nam Ærarium Militare ex viceſimâ hereditatum inſtituit Auguſtus. At perierant opes publicæ, & in privatam Cæſarum fortunam ceſſerant. Nec immeritò a Græcis hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus ærarium,

non Ταμεῖον, aut Δημόσιον, ſed Βασίλειον, aut Βασιλικὸν, plerumque poſtea nuncupatum eſt.

Anno Urbis conditæ DCCXXVI, *adeò egens erat ærarium, ut mutuò ſumptas pecunias in id intulerit* Auguſtus. Ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατό τινα, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. Dio, LIII. pag. 497.

Nec puduit Auguſtum, cùm, ſub finem imperii, breviarium rerum ſuarum ære inſcriptum ubique terrarum legendum proponeret, gloriari: QVATER. PECVNIA. MEA. IVVI. AERARIVM. ITA. VT. SESTERTIVM. MILLIENS. ET. QVINQVIENS. AD. EOS. QVI. PRAEERANT. AERARIO. DETVLERIM. ET. M. Æmilio ET. L. ARVNTIO. COS. IN AERARIVM. MILITARE. QVOD. EX. CONSILIO. conſtitutVM. EST. EX. quo PRAEMIA. DARENTVR. MILITIBVS. QVI. viginti ſtipendia EMERVISSENT. HS. MILLIENS. ET. SEPTINGENTiens nomine Tiberii Cæſaris & meo DETVLI. Marmor Ancyranum, apud eruditum Chishull, *Antiquitates Aſiaticæ*, pag. 174.

Seſtertiûm 100,500,000, ſunt monetæ Gallicæ libræ. 19,552,290.

Seſtertiûm 170,000,000, ſunt monetæ Gallicæ libræ. 33,073,542.

Anno U. C. DCCLXXXVI, Tiberio imperante, maxima fuit Romæ inopia rei nummariæ, quòd ſignatum argentum, divenditis reorum damnatorumve bonis, fiſco, vel ærario, attinebatur. Neceſſitati, quam fecerat, opem tulit Tiberius, ut vidimus Annal. VI, 17, *diſpoſito per menſas millies ſeſtertio*, Gallicæ monetæ libris 19,455,025, *factâque mutuandi copiâ ſine uſuris per triennium.* Ipſe moriens, anno U. C. DCCXC, reliquit, teſte Suetonio in Caio XXXVII, *vicies ac ſepties millies ſeſtertiûm*, Gallicæ monetæ libras .... 525,285,675.

Anno U. C. DCCCX ita exhauſtæ opes publicæ, ut, teſte Tacito Annal. XIII, 31, Nero ærario intulerit *ſeſtertiûm quadringenties*, Gallicæ monetæ libras.. .... 7,782,010.

Poſtea Neronis libidinibus, Galbæ, Othonis & Vitellii diſcordiis, malum ita adcrevit, ut ſub finem anni U. C. DCCCXXII, prætores ærarii publicam paupertatem quererentur, & modum publicis impenſis poſtularent. Tacit. Hiſt. IV, 9 & 40.

Eodem anno U. C. DCCCXXII, cùm Veſpaſianus imperium capeſſiſſet, profeſſus eſt, teſte Suetonio, in Veſpaſ. XVI, opus eſſe, ut reſpublica ſtare poſſet, *quadringenties millies*, Gallicæ autem monetæ libris .... 7,782,010,000.

Tanta ſumma fuit funditus exhauſti imperii Romani argumentum, non verò ingens illud politicæ artis arcanum & inſtrumentum, quo viget exſultatque Britannica res, ære alieno adeò valida ac formidanda, ut debitum ſuum, ſingulis annis ultro profiteatur, &, exeunte anno 1767, debuerit libras ſterlingias........... . 147,974,564.

Id eſt Gallicæ monetæ libras .... 3,375,578,573.

Grande anteactis ætatibus miraculum, præſentibus meditamentum, futuris exemplum.

Imperium verò Romanum, non his ſuperbis fortunæ pignoribus elatum, ſed pudendis neceſſitatibus fractum, quadringenties illud millies numquam potuit ærario inferre, ruinaſque ſuas reparare. Id tantùm valuere optimi Principes Veſpaſianus, Titus, Nerva, Trajanus & Hadrianus, ut propè afflictam ac nutantem rempublicam fulcirent & ſuffultam adornarent.

Anno U. C. DCCCCXIV, Antonino Pio laudi datum eſt, auctore Dione, LXXIII. pag. 833, quòd, ut & Tiberius, moriens reliquerit vicies ac ſepties millies ſeſtertiùm, monetæ Gallicæ libras 525,285,675.

Anno U. C. DCCCCXLVI, auctore eodem Dione, ibid. Pertinax, cùm ſuccederet Commodo, ad ſummum reperit decies ſeſtertiùm, πέντε πυ & εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν εὑρών. Id eſt monetæ Gallicæ libras..194,531.

Sic Roma, vigente republicâ, aſſiduis bellis, e maxima paupertate ad ſummas opes evecta, imperantibus Principibus, diuturnâque triumphati orbis pace, e ſummis opibus ad maximam paupertatem recidit. Proh imperiorum fata!

HONORES PROMISIT] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. editionibus veteribus, ac Erneſtus, *permiſit*. Pichena aliique e Mſ. Flor. *promiſit*. Quod veriùs meliùſque hìc videtur.

PRÆTURA PERFUNCTOS] Libri ſcripti & editi, *præfectura*. Pichena & Recentiores rectè emendarunt, *præturâ*. Suetonio enim *præturâ functi* dicuntur, ut modò vidimus, cùm de ærario diceremus.

CAP. XXX. VELUT INFIMAM NATIONUM] Non infima nationum erat Italia. Contrà verò *terra, omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret: colloquia & humanitatem homini daret: breviter una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret*, Plin. III, 5. De Ravennatium claſſe dictum eſt in Notis & Emendationibus ad Annal. IV, 5.

C. AMINIUS REBIUS] In Mſ. Reg. & editione principe *Caminius Robius*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Aminius Rebius*. Mſſ. Flor. Corb. Pichena aliique multi *C. Aminius Rebius*. In Mſ. Agr. *C. Annæus Rebius*. Cl. Lallemand edidit, *Caninius Rebilus*, ut & volebat Lipſius. Certè Seneca, de beneficiis, II, 21. memorat quemdam Rebilum divitem & infamem. Sed nondum ſatis auctoritatis, ut mutetur nomen.

INOFFENSA TOT IMPERATORUM MALITIA] Malè Rodolphus Agricola, *militia*. Suſpicabatur Lipſius, *amicitia*, quod placet Erneſto. At hìc dicitur *imperatorum malitia*, ut infrà, XV, 21. *Magiſtratuum malitia*. Latinè quoque ac eleganter dicitur *inoffenſa malitia*.

CAP. XXXI. Cæsar exstruxerat] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Harl. Bodl. Guelf. editio princeps, aliæque optimæ. In Mſ. Jeſ. & Puteolanus, *extruſerat.* Perperam quoque alii, *adſtruxerat.* Mallet Erneſtus, *exſtruxerit*; ut dictum ſuprà cap. 20. *prodiderint.*

Res inlustres annalibus] Mſ. Reg. & editio princeps addunt, *ſcribendas.* Puteolanus aliique meritò omiſere.

Quadringeni nummi] Bene Mſſ. Bodl. & Jeſ. *cccc. nummi.* Malè editio princeps & Mſſ. Flor. Reg. Guelf. *quadrigeni.* Pejùs emendatum *quadrageni; diviſis populo viritim quadringenis nummis*, teſte Suetonio in Ner. X.

Quintæ et vicesimæ] Jam ab anno Urbis conditæ cccxcvii. C. Marcio, Cn. Manlio conſulibus, in caſtris tributim lata lex *de viceſimâ eorum, qui manumitterentur. Patres, quia eâ lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt*, Livius, VII, 16. Hanc viceſimam memorat Cicero ad Atticum, II, Ep. 16. *Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam.*

Auguſtus, anno U. C. dcclix, ut ærarium militare, jam tentatum rurſum inſtitueret ac dotaret, viceſimam hereditatum & legatorum reperit, teſte Dione, LV. pag. 565. De eâ multa habet Plinius in Panegyric. XXXVII.

Anno ſequenti, Metello & Nervâ conſulibus, idem Auguſtus, tum ad belli uſus, tum ad nocturnorum Urbis vigilum ſtipendia novum vectigal inſtituit, *mancipiorum nempe venditorum quinquageſimam:* τέλος τὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐπήγαγε. Dio, LV. pag. 569.

Alterum ærarii militaris ſubſidium fuit *centeſima rerum venalium poſt bella civilia inſtituta*, Tacit. Annal. I, 78. Cappadociâ in provinciam redactâ, Tiberius *centeſimæ vectigal* levavit, *ducenteſimam ſtatuit*, Tacit. Annal. II, 42. Ducenteſimam ipſam ſuſtulit Caius Caligula, teſte Suetonio, in Caio XVI. Vide quoque quæ diximus, in ſupplemento Annal. VII, 26.

Ærarium ſanè hac indulgentiâ, & magis prodigalitate atque ſtultitiâ principum, inops factum eſt. Tum fortè crevit mancipiorum venalium vectigal, & pro quinquageſimâ quinta & viceſima inſtituta.

Neque, ut Cujacio & Lipſio placuit, in Tacito pro *quinta & viceſima* emendandum *quinquageſima*, ut Dioni conſentiat. Si quid foret mutandum, potiùs in Dione corrigendum πέντε εἰκοστῆς, *quintæ & viceſimæ*, pro πεντηκοστῆς, *quinquageſimæ:* nam hac in re facilis fuit librariorum error. At cùm de diverſis temporibus locuti ſint Dio ac Tacitus, non mirum eos diverſa retuliſſe vectigalia, ut rectè obſervat Petr. Burmannus, de Vectigalibus populi Romani, cap. 5. pag. 95. In Inſcriptionibus veteribus & nummis memorantur xx

HEREDITATIVM

HEREDITATIVM. XX. XXV. XXXX. CC. Id eſt *Viceſima hereditatum. Viceſima. Quinta & viceſima. Quadrageſima. Ducenteſima.*

PROVINCIAM OBTINERET] Malè Mſſ. & editiones veteres, *in provincia.*

AMBITU PROPUGNANT] Ita Mſ. Vatic. 1864 & editio princeps. In Mſſ. Vatic. 1958. Bodl. & Puteolanus *propugnabant.* In utriuſque codicis margine *propurgabant*, *propugnant.*

CAP. XXXII. LURIUS VARIUS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Guelf. & editiones veteres. In Mſ. Jeſ. *Lurus.* In Mſ. Agr. *L. Varius*, quod Urſino & Mureto placebat. Rhenanus edidit, *Luſius.*

DE BRITANNIIS] Ita libri omnes editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *Britannis.*

INSONTEM NUNTIAVIT] Sic libri omnes. Urſinus tamen unum codicem laudat in quo *pronuntiavit.* Fortè *nuntiavit* Neroni, inquit Cl. Erneſtus; aut legendum, *judicavit.*

PER QUADRAGINTA ANNOS] Perperam emendabat Lipſius *per quatuordecim annos*; quod edidit Pichena. Non hìc agitur de tempore, quo Julia interfecta eſt, ſed quo mortua eſt Græcina.

CAP. XXXIII. PRO EPRIO MARCELLO] Eruditus Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 90. nummum Cypriorum laudat, qui ex unâ parte exhibet ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, *Deum Senatum.* In alterâ, ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ. Γ. ΑΝΘΥ. Stat ipſe Eprius militari habitu ac veſtitu; lævâ haſtam; pateram, ut videtur, dextrâ gerit. In medio nummo ΚΥ. id eſt, *Cyprii* poſuere ſtatuam pedeſtrem *Eprio Marcello tertiùm proconſuli.* Opinatur Harduinus hunc nummum viſum Tacito, qui ΛΥ. id eſt *Lycios*, pro ΚΥ. id eſt *Cyprios*, legerit. Hæ ſunt eruditiſſimi viri fabulæ. Poſtea, & ut ex alio nummo patet ſub Titi imperio, Cypriorum proconſul fuit Eprius Marcellus, nobis ſæpe in Hiſtoriarum libris memorandus.

CAP. XXXIV. AVITAS OPES] Ita Lipſius & Recentiores omnes. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *habitas*; facili librariorum errore.

PROLATATUM INTER] Bene. In Mſſ. Jeſ. Agr. & Guelf. *prolatum.*

AD HÆC] Mſ. Bodl. *ad hoc.*

ILLUC MAGIS] Sic libri omnes. Fruſtra tentavere Rhenanus, *illic*; Lipſius, *illud. Illuc* ad Parthos, ſeu ad ſervitium, referri rectè obſervat Erneſtus.

CAP. XXXV. MUNIA ROMANORUM] Emendabat Freinshemius, *armorum.* Jac. Gronovius, *Ro. armorum.* Id eſt *Romanorum armorum.* Probabiliter uterque. Non tamen ita peccat, *Romanorum.*

Brachiis deciderent] Mſ. Jeſ. *decidiſſent.* Malè Mſ. Bodl. & Puteolanus, *reciderent.*

CAP. XXXVI. Ne pugnam priores auderent prædicit] Bene Lipſius, & Pichena e Mſ. Vatic. Sic ferme Mſ. Flor. in quo *audirent.* In Mſſ. Bodl. Jeſ. Harl. Agr. Guelf. & editionibus veteribus, *adirent*; quod retinuit Cl. Erneſtus. Pro *prædicit*, mallet Lipſius, *edicit*; & ita habet Mſ. Agr. At veterem ſcripturam Gronovius defendit auctoritate Livii XXIII, 19. *Gracchus adſidens tantùm Caſilino, quia prædictum erat dictatoris, ne quid, abſente eo, rei gereret, nihil movebat.*

Pactio Orphito] Mallet Muretus, *P. Attio.*

CAP. XXXVII. Huc quoque et illuc volitans] Lipſius & Gronovius mallent, *hucque & illuc.* At cùm jam dicta eſſent, *que*, *&*, hìc Tacitus potuit ſcribere *quoque.*

Pugna exterrere] Ita Pichena. Sic quoque Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres. Malè Rhenanus e Mſ. Bud. *extrahere.* In Mſ. Corb. *exercere*; quod minimè diſplicet.

Proditore sui] Ita Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *ſuo.* Fortè meliùs omitteretur *ſui.* Vox enim abeſt a Mſ. Flor.

Tuncque primum] Ita Mſſ. Flor. Guelf. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *Tunc quoque.*

Isichi] Pichena e Mſ. Flor. & Vatic. *Inſechi.* In Mſſ. Vatic. 1864. Reg. & editione principe, *Inſichi.* In Mſſ. Vatic. 1958. Bodl. & Puteolanus *Iſichi.* In margine utriuſque codicis Γσιχοὶ. Unde hoc nomen probabilius videtur. In Mſſ. Harl. & Jeſ. *Iſchi.*

Haud alias socia] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. & editionibus veteribus, *ante alias.*

In contrarium vertebant] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Agr. editio princeps & recentiores. Sic quoque volebat Muretus. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus *vertebantur.*

Agere mallent] Pichena & Recentiores e Mſ. Flor. De Tiridate & Vologeſe agitur. In Mſſ. Harl. Jeſ. & editionibus veteribus, *mallet.*

Sæpius jam] Ita editio princeps, Mſ. Corb. & in margine Mſ. Bodl. Puteolanus omiſit, *jam*: reſtituit Erneſtus.

CAP. XXXVIII. In summam pacis proficiebatur] Mſſ. & editiones veteres, *in ſummâ.* Tentabat Muretus *in ſummam.* Meliùs Faernus *in ſummam pacis*, quod recepit Erneſtus. Sic Livius, III, 61. *Parvaque certamina in ſummam totius profecerant ſpei.* Et Plinius, XVI, 36, *proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem.* Pariter emendatum in-

frà Hiſt. II, 16. *in ſummam profutura*, licet libri omnes haberent *in ſummâ*.

Hinc majorem offerri] Ita Ryckius e Mſ. Agr. quod Daneſio & Acidalio jam placuerat. In Mſſ. & editionibus veteribus, *afferri*. Unde conjiciebat Gronovius, *hinc majorem ferri*, quod probat Erneſtus. Vitiosè in editione principe, *ideo artum non numerum finiri*, & *huic majorem afferri*. Rectè Puteolanus, *arctum inde numerum . . . .* & *hinc*. Sic ſuprà bene adhuc emendaverat, *affore*, ubi editio princeps habebat *afferre*.

Ut dolus pararetur] Mſſ. Flor. Reg. Bud. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editio princeps. Puteolanus, *patraretur*.

Nam equiti] *Nam* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Dissimulato tamen intellectu] Ita libri omnes. Fruſtra tentant Lipſius, *intellecta* : Acidalius, *intellectum*.

Quasi eadem legio] *Eadem* abeſt a Mſ. Guelf. & ſuſpecta Erneſto vox. In Mſ. Harl. *legio eadem*.

CAP. XXXIX. Quod validissimum] *Quod* abeſt a Mſ. Guelf.

Cognomento Volandum] Ita Mſſ. Reg. Bud. editio princeps & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vallandum*.

Insteio Capitoni] Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *Iſteo Capitoni*. Mſſ. Harl. Bodl. *Inſtello*. Mſ. Jeſ. *Viſtello*.

Confitentem] Mſ. Agr. *perfidiâ & ignavâ fugâ confidentem*.

In testudinem conglobatos] Cùm hìc & ſæpe in Hiſtoriarum libris teſtudo memoretur, haud inutile erit luculentum Dionis locum, longiorem licèt, afferre, qui rem, quæ quibuſdam recentioribus ſcriptoribus incredibilis videtur, oculis ſubjiciat.

De Teſtudine Romanâ.

Ἡ δὲ δὴ χελώνη τοιάδε τίς ἐστι, καὶ τόνδε τὸν τρόπον γίγνεται· τὰ μὲν σκευοφόρα καὶ οἱ ψιλοὶ οἵ τε ἱππεῖς ἐν μέσῳ τοῦ στρατεύματος τετάχαται· τῶν δ᾽ ὁπλιτῶν οἱ μὲν ταῖς προμηκέσιν ἀσπίσι ταῖς κοίλαις ταῖς σωληνοειδέσι χρώμενοι, περί τε τὰ ἔσχατα, ὥσπερ ἐν πλινθίῳ τινὶ, τάσσονται, καὶ τοὺς ἄλλους, ἔξω τε βλέποντες, καὶ τὰ ὅπλα περιβεβλημένοι, περιέχουσιν· οἱ δ᾽ ἕτεροι οἱ τὰς πλατείας ἀσπίδας ἔχοντες, ἔν τε τῷ μέσῳ συσπείρονται, καὶ ἐκείνας καὶ ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπερ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑπεραίρουσιν· ὥστε μήτ᾽ ἄλλο τι πλὴν ἀσπίδων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς φάλαγγος ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν σκέπῃ τῶν βελῶν πάντας αὐτοὺς ὑπὸ τῆς πυκνότητος τῆς συντάξεως γίγνεσθαι. Οὕτω γάρ τοι δεινῶς ἰσχυρίζεται, ὥστε καὶ βαδίζειν τινὰς ἐπάνω αὐτῆς, καὶ προσέτι καὶ ἵππους, καὶ ὀχήματα, ὁσάκις ἂν ἐν κοίλῳ τινὶ καὶ στενῷ χωρίῳ γένωνται, ἐνελαύνεσθαι. Τοιοῦτο μὲν δὴ τὸ σχῆμα τῆς τάξεως ταύτης ἐστὶ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῆς χελώνης ἐπίκλησιν, πρός τε τὸ ἰσχυρὸν καὶ πρὸς τὸ εὐσκέπαστον αὐτῆς, εἴληφε. Χρῶνται δὲ αὐτῇ διχῇ. Ἢ γὰρ φρουριόν τι προσμίσγοντες προσπορεύονται,

καὶ πολλάκις καὶ ἐπ' αὐτὸ τὸ τεῖχος ἀναβιβάζουσί τινας, ἢ ὑπὸ τοξοτῶν ποτὲ περιστοιχισθέντες, κυπτάζουσι πάντες ἅμα (καὶ γὰρ καὶ οἱ ἵπποι ὀκλάζειν καὶ κατακλίνεσθαι διδάσκονται) κἀν τούτῳ δόκησιν σφίσιν ὡς καὶ κεκμηκότες παρασχόντες, ἐξεγείρονταί τε, πελασάντων αὐτῶν, ἐξαίφνης, καὶ ἐς ἔκπληξιν σφᾶς καθιστᾶσιν. *Teſtudo autem talis eſt, & hoc modo fit. Impedimentis & levis armaturæ militibus, equitibuſque in medio exercitûs collocatis, gravis armaturæ pedites, hi qui oblongis clipeis cavis, ac in morem tubi incurvatis, utuntur, in extremis partibus velut in latericio quodam opere quadrato, ita collocantur; ut foras ſpectantes, & armis tecti, ceteros undique contineant: alii, qui lata geſtant ſcuta, in medio conſerti, ea ſupra ſe & reliquos omnes tollunt, ita ut nihil aliud quàm clipei per totam phalangem conſpiciantur, omneſque propter denſitatem aciei a telis protecti ſint. Eſt enim hæc clipeorum denſatio adeò firma, ut & ſuper ea ingredi aliquot homines poſſint, imo equi & currus agi, ſi in cavo ac anguſto loco conſtipetur. Hæc figura eſt illius aciei, nomenque illa teſtudinis propter firmitatem, ac quòd tam egregiè exercitum contegit, invenit. Uſus porro ejus duplex eſt. Nam aut in oppugnando aliquo caſtello, factâ teſtudine, ſuccedunt ad murum, ac ſæpe numero in ipſum murum quoſdam eâ attollunt: aut a ſagittariis circumdati, omnes genu nituntur ſimul, (nam & equi in genua inclinare adſuefacti ſunt) opinione de ſe, tanquam confectis, præbitâ hoſtibus, accedentibus eis, repentè, nec ſine terrore eorum, inſurgunt,* Dio, XLIX. pag. 409. Imaginem teſtudinis adhuc videre eſt Romæ in Trajani columnâ.

Mirum verò quàm hæc cum Tacito conſentiant. Ex iis enim intelligas quomodo, Annal. XIII, 39, Hi *in teſtudinem conglobati ſubruendo vallo* inducuntur. Hiſt. III, 27. Ad Brixianam portam, *alii falces, ſcalaſque convectant: tum elatis ſuper capita ſcutis denſâ teſtudine ſuccedunt. Romanæ utrimque artes: pondera ſaxorum Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque teſtudinem lanceis contiſque ſcrutantur, donec ſolutâ compage ſcutorum, exangues aut laceros proſternerent multâ cum ſtrage.* Hiſt. III, 28. *Non jam ſanguis, neque vulnera morabantur, quin ſubruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, & ſuper iteratam teſtudinem ſcandentes, prehenſarent hoſtium tela brachiaque, integri cum ſauciis, ſemineces cum expirantibus volverentur.* Hiſt. IV, 23. *Invaſere vallum, appoſitis plerique ſcalis, alii per teſtudinem ſuorum.* Alia plurima ex aliis ſcriptoribus, congerere facile foret, quæ Dionis deſcriptionem confirmarent. At ſatis ſit hiſtorici prudentiſſimi, in ipſa militari arte exercitati, res ætate ſuâ geſtas narrantis, auctoritatem adduxiſſe, ut quæ adversùs teſtudinem Romanam nuper commentus eſt recens & ingenioſus ſcriptor, ſed παραδόξων paulo amantior, literatus quiſque dijudicet. In teſtudine Romanâ, qualem Dio, Tacitus, aliique ſcriptores Græci ac Latini, & columna Trajani, exhibent, omnia arti militari & mechanicæ legibus ſunt conſona. Contrà verò octo pluresve ſcanſiles militum armatorum ordines, aliaque id genus, fabulæ ſunt, quas cum ingenioſo ſcriptore nos quoque ultro ac libenter explodimus.

Libratoribus funditoribusque] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres aliæque optimæ. Jac. Gronovius ex Mſ. Flor. edidit *libritoribus*, ut Annal. II, 20, *libritores*. *Libratores*, non *libritores*, paſſim in omnibus ſcriptoribus memorantur.

Pari undique motu] Ita libri omnes ſcripti & editi ante Lipſium, qui edidit, *metu*; eleganter quidem. At J. Gronovius & Erneſtus meritò repoſuere, *motu*. Sine librorum auctoritate non amandanda vox, quæ nihil peccat.

Escensu munimenta] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *aſcenſu*. Lipſius & Recentiores omnes, *eſcenſu*. Antiqua enim vox, nec Tacito inſueta. Vide ſuprà cap. 5.

CAP. XL. *Si* concessisset obsidioni] Ita Puteolanus & Recentiores omnes. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſi conſenſiſſet*.

Dato die] Fruſtra tentat Pichena, *claro die*; amicus Ryckii, *nato die*. Jam ſuprà Annal. IV, 40, *datoque tempore*.

Mediis decumanorum delectis] Emendabat Grotius, *delecti*. Latinè quidem. Sed latinè quoque, *medii . . delecti*; *mediis . . delectis*. Potior ergo veteris ſcripturæ auctoritas.

Pedites sagittariique] Ita Mſ. Reg. & editio princeps. In Mſ. Corb. *pedes ſagittariique*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores, *pedes*, *ſagittarius*. Copulam addebat Muretus.

Productior cornu in sinistro] Mſſ. Reg. Flor. & editiones veteres, *productiore*. Mſ. Agr. *productiore eorum ſiniſtro*. Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. Rhenanus & Recentiores, *productior*. Mſ. Jeſ. *productor*. Emendabat Lipſius *productiore cornuum ſiniſtro*. At elegantiùs dicitur, productior *cornu in ſiniſtro*: nempe *cætera manus equitum*, *productior erat in cornu ſiniſtro per ima collium;* quod equitibus expedit.

Tum minitans] Ita editiones veteres. Lipſius, *cum*. *Tum* abeſt a Mſ. Jeſ.

CAP. XLI. Obsidioque circumdaret] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *obſidioneque circumdaret*. Mſ. Reg. *obſidioque cluderet*.

Concessisse illuc] Mſ. Corb. *ibi*.

Solo adæquata sunt] Ita Mſ. Reg. editio princeps & recentiores. Sic ſæpe Tacitus: & ipſe Livius, I, 29, *publica privataque omnia tecta adæquat ſolo*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *æquata*.

Quia nec teneri] Puteolanus & ceteri omnes. In Mſ. Reg. & editione principe, *non teneri*. Mallet Grotius, *nec tenere*, ut intelligatur, *erat*. At æquè intelligitur, *poterant*.

Velut numine oblatum] Mſ. Farneſ. *velut deum numine*. Par vis in *numine*.

Tectis tenus] Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *tecta hactenus*. In Mſ. Flor. *tectis*. Unde optimè emendatum, *tectis tenus*, ut habent Recentiores omnes. In Mſ. Harl. *ſole illuſtri*.

Ex senatusconsulto] Mſ. Guelf. editio princeps, & recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *& ſenatuſconſulto*.

Eoque oportere] In Mſ. Reg. *ut æque*; editio princeps, *& æque*. Puteolanus ac ceteri omnes, *eoque*.

Divina colerent] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. Rhenanus, *colerentur*.

CAP. XLII. Et mutatione] Mſ. Reg. *ex*.

Juvenum imperitiæ suetum] Puteolanus primus edidit, *imperitiæ ſuetum*: Rhenanus, *juvenum*. Vitiosè in editione principe, *juvenem imperitiæ ſuæ: cum*. Mſ. Bodl. *a juvene*; in margine, *a juventute imperitâ*, ut in Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf.

Livere his] Ita Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. *livide*. In editione principe, *lividæ his*. Mſ. Corb. *libere his*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *invidere iis*.

Sponte litigatoris] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *ſponte a litigatoribus*.

Cubicula principum] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *cubiculum*.

Fenore hauriri] Mſſ. Harl. Jeſ. *exhauriri*.

Ac olim partam] Ita Puteolanus aliique plurimi. In Mſ. Corb. & editione principe, *ac deo partam*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *a deo*. Mſ. Flor. *ac do*. Certè diſplicet *ac olim*, quòd *ac* Veteres ante vocalem non uſurpavere. Itaque placet vel *ac diu*, vel *ac domi portam*; quòd jam quidam edidere.

Submitteret] Bene Lipſius & Recentiores. Mſſ. & veteres editiones, *ſubmittere*.

CAP. XLIII. Aut versa in deterius] Sic libri omnes editi. *Aut verſa* abſunt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. & Guelf.

Inquisitionem annuam impetraverant] Ita e Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editionibus veteribus *impetraverat*. Sed accuſatorum erat poſcere & impetrare inquiſitionem. Sic infrà cap. 52. *Silvanum magna vis accuſatorum circumſteterat, poſcebatque tempus evocandorum teſtium*. Plin. III, Ep. 9. *Addiderunt Bætici, quòd ſimul ſocios miniſtroſque Claſſici detulerunt: nominatimque in eos inquiſitionem poſtulaverunt*. Idem paſſim occurrit in juridicis actionibus.

Suburbana crimina] *Sub* Erneſto ſuſpectum eſt, mallet *urbana crimina*, id eſt in Urbe perpetrata, ut provincialibus opponantur. At *ſuburbana* dici puto, non de criminibus tantùm in Urbe, ſed intra centeſimum ab Urbe lapide, quo præfecti Urbis juriſdictio definiebatur, patratis.

Ii, acerbitate] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & editio princeps, *hi.*

Nihil ex his] Mſ. Bodl. *iis.*

Alium delectum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps, J. Gronovius & Recentiores. In Mſ. Bodl. & Puteolanus, *electum.*

Aut aviæ acceperant] Emendabat Mercerus, *acceperat.* Freinshemius conjiciebat, *aviæ ceperant*, quod edidit Cl. Lallemand. *Aviæ* recepi e Mſ. Medic. Vulgò in Mſſ. & editionibus veteribus, *avi.* Separata materna bona, & filio reddita, jam vidimus ſuprà Annal. III, 68.

Nerulinum] Sic Mſ. Vatic. 1958. & libri omnes editi. In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Jeſ. Corb. *Verulinum.*

CAP. XLIV. Mulieris nuptæ] *Nuptæ* abeſt a Mſ. Jeſ. Aliâ manu additum in Mſ. Harl.

Contra modo conqueri] *Modò* abeſt a Mſ. Bud. *contrà modò* a Mſ. Guelf.

Quæ sola reliqua esset] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *relicta eſſet.* In margine Mſ. Bodl. *reliqua*, ut in editione principe & aliis.

Libidine seposita] Emendandum *libidini* cenſent viri eruditi: ſic enim infrà cap. 54. *Militum uſui ſepoſitos.* Nemo tamen veterem ſcripturam mutavit; nec mutaverim, omnibus libris adverſantibus.

Et questu incensus] Ita Puteolanus & ceteri omnes libri editi. In Mſ. Flor. *& quaſtim cenſus.* In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *& queſiti cenſus.* Inde conjiciebat Gronovius, *& quaſi incenſus*; Erneſtus, *atque ita infenſus.* Ego verò exiſtimo fuiſſe olim ſcriptum, *& pars tenebrarum libidini ſepoſita: quâ ſtatim incenſus nihil metuentem ferro tranſverberat.* Hæc enim Corneliana dictio; atque horridè repetita copula *&* vaneſcit.

Cubiculoque prorumpit] Mſ. Jeſ. *prorupit.*

Ultum esse] Mallet Lipſius, *ultum iſſe.*

Lege de Sicariis] Ita Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. J. Gronovius & Recentiores. In veteribus editionibus, *lege Cornelia de Sicariis.*

CAP. XLV. Magnorum reipublicæ malorum] Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *majorum.*

Rufii Crispini] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *Rufi Criſpi.* Lipſius, *Criſpini*; Ryckius, *Rufii*, ut ſupra Annal. XII, 42. Criſpinum ejuſque filium memorat Poppæa apud Senecam, Octavia, Act. IV. Sc. I, 728.

Venientem intuor
Comitante turbâ conjugem quondam meum,
Gnatumque: properat petere complexus meos
Criſpinus, intermiſſa libare oſcula.

CAP. XLVI. Sibi concessam dictitans] Aperta ſententia; incerta tamen verba ob variam codicum ſcripturam, & diverſas eruditorum conjecturas. In Mſ. Reg. & editione principe, *ubi conceſſam dictitans*, unde conjiciebat Acidalius *uni conceſſam*. Perizonius, Animadverſ. Hiſtor. pag. 273, verbum *dictitans* redundare exiſtimabat; atque hìc intelligendum, ut ſæpe aliàs in Tacito, ac maximè Annal. III, 34. In Mſſ. Bud. Corb. *ubi conceſſam dictitaret;* inde Erneſtus emendatum volebat, *Sæpe auditus eſt, cùm ſurgens e convivio Cæſaris, ſe ire ad illam, ſibi conceſſam dictitaret.* Pariter N. Heinſius, *cùm conſurgens ... uni conceſſam dictitaret.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ibi conceſſam dictitans;* hinc Urſinus emendavit, *ſibi conceſſam dictitans*, quod hactenus omnes edidere.

Accepto aditu] Muretus, ut hæc cum præcedentibus conjungeret, malebat, *hoc cæpto aditu.* Heinſius, *arrepto.* At æquè convenit, *accepto*, ut rectè obſervat Erneſtus.

Cupidini se] *Se* omiſſum vellent Heinſius & Grævius. Abeſt a Mſ. Corb. Deeſt quoque in Mſ. Reg. & editione principe. Sed in iis vitiosè *in partem cupidinis.*

Et forma] *Et* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Matrimonium amittere] Mſ. Agr. *omittere*; quod probat Grævius. Haud abſurdum tamen, *amittere.*

Cultu magnificum] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *magnifico.*

Fortuna digna] Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *dignam.* Editio Princeps, Rhenanus & Recentiores, *digna.* Pro *viſere* mallet Grævius *videre.* Bene utrumque. In Mſ. Corb. *videri.*

Et ad postremum] Ita Mſſ. Medic. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. editiones veteres, & J. Gronovius; ſicque infrà Hiſt. I, 39. Rhenanus aliique *poſtremò.*

Æmulatus ageret] Ita libri omnes ſcripti & editi. Meliùs foret, *æmulus ageret*, ut volebat Grotius. Aliis placet, *æmulator.*

Et potestatis temperantior] Mſ. Corb. *egeſtatis.* Idem e libro Pontificali laudat probatque Vertranius. In Mſ. Harl. *temperatior.*

CAP. XLVII. Quem metum Graptus] Muliebre nomen Grapte ſæpe occurrit in veteribus inſcriptionibus apud Gruterum.

A Tiberio usque domum] Sic Puteolanus & libri omnes poſtea editi. In Mſſ. Vatic. Flor. Guelf. Agr. Corb. editio princeps, *Tiberio avo uſque ad domum.* Verè conjecit Lipſius legendum *Tiberio abuſque domum* &c.

Pons

Pons Milvius] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & libri omnes editi ante Erneſtum, qui edidit *Mulvius*, ut & Cl. Lallemand; falsò laudatâ Mſ. Oxon. auctoritate.

Quo solutius] Editio princeps *ſolutus*. Et paulo antè *ventabat* pro *ventitabat*.

Maximeque despecta] Ita Mſſ. Flor. Guelf. editio princeps, Pichena & Recentiores. Puteolanus omiſit, *que*. Abeſt quoque a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

CAP. XLVIII. Quas diversas] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *quas diviſas*.

Ordo plebesque] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ſenatorius ordo plebeſque*. *Senatorius* abeſt a Mſſ. Flor. Bud. Agr. Corb. & editione principe, in quâ etiam legitur, *plebs & ordo*. *Plebs* quoque in Mſſ. Flor. Jeſ. & Corb.

Ad saxa et minas] Mſ. Bud. *ad ſaxa, ad minas*.

Arma perliceret] Mſ. Reg. & Editio princeps, *pelliceret*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores, *perliceret*.

CAP. XLIX. Civitati Syracusanorum] Mſ. Reg. & editio princeps, *civitatem*.

Permittebatur] Mſ. Corb. *prohibebatur*.

Et legibus, quibusque] Mſſ. Harl. Jeſ. *aut legibus*. Mſ. Harl. *quibuſcumque*.

Res Romana continetur] In Mſ. Reg. & editione principe, *Romana continetur*. Mſ. Guelf. & Puteolanus, *Romana continentur*. Mſ. Corb. *continerentur*. Bene emendavit Lipſius, *res Romana*.

Quam si non Nero] Mſ. Reg. & editio princeps, *quaſi non Nero*; ut volebat Acidalius.

Quod si summa] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus aliique emendaverant *quæ*, quòd legerent, *quæ ſi ſummâ diſſimulatione*. At *ſumma* opponuntur *inanibus*, ut rectè obſervavit Erneſtus.

CAP. L. Pulcherrimum donum] Pulcherrimum ſanè foret Principis donum, cuncta omitti vectigalia. At tum pulcherrimum quoque ac neceſſarium populi munus, ea ſolvere tributa, quibus reſpublica ſuſtineatur. Nunc verò ut conſtet utrùm cuncta vectigalia a Nerone omitti potuerint, de tributis ac vectigalibus imperii Romani agemus.

De tributis ac vectigalibus imperii Romani.

Apud Romanos fuere tributa & vectigalia, ut ferme apud nos ſunt tributa, *l'Impôt réel*, & vectigalia, *les Fermes*. Plures tamen

apud Romanos, quàm apud nos vectigalium formæ; ut videre eſt apud Petrum Burmannum, *de Vectigalibus populi Romani*, & in libro Gallico, *Traité des Finances des Romains:* at in quo tamen ſæpe diligentiam, & in intelligendis veteribus Scriptoribus perſpicacitatem deſideres.

Populus Romanus tributum ſolvit, donec anno Urbis conditæ DLXXXVI, *ærario intulit Æmilius Paulus, Perſeo victo, e Macedonicâ prædâ HS* $\overline{MM}$. $\overline{CCC}$. Gallicæ monetæ libras 14,746,557, *a quo tempore populus Romanus tributum pendere deſiit.* Plin. XXXIII, 3. Cicero, de Officiis, II, 22.

Tum ſanè viſum maximum pulcherrimumque victoriæ monumentum. Duravit uſque ad annum Urbis conditæ DCCXI, quo, Hirtio & Panſâ conſulibus, tributum renovatum eſt. Plutarch. in Paul. Æmil. pag. 275.

Vectigalia, vigente republicâ, pauca fuere, nec gravia. Nam anno Urbis conditæ DCXCIII, cùm Pompeius Magnus, M. Piſone & M. Meſſalâ conſulibus, imperium maris populo Romano reſtituiſſet, Aſiamque, quam ultimam provinciarum acceperat, eamdem mediam patriæ reddidiſſet; ex Aſiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberiâ, inſulâ Cretâ, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Inter ceteros triumphi titulos is enitebat: *Ante hæc bella, vectigalia populi Romani fuiſſe bis millies*, Gallicæ monetæ libras 38,910,050. *Ex iis verò, quæ ipſe Urbi addiderat, eſſe ter millies quadringenties*, Gallicæ monetæ libras 66,147,085. Πρὸς δὲ τούτοις ἔφραζε διὰ τῶν γραμμάτων ὅτι πεντακισχίλιαι μὲν μυριάδες ἐκ τῶν τελῶν ὑπῆρχον, ἐκ δὲ ὧν αὐτὸς προσεκτήσατο τῇ πόλει μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας λαμβάνουσιν. Plutarch. in Pompeio, pag. 642.

Novum grandeque incrementum acceſſit, devictis Galliis. Iis enim Julius Cæſar, victor, circa annum Urbis conditæ DCCIII, *quadringenties*, Gallicæ monetæ libras 7,782,010, *in ſingulos annos ſtipendii nomine impoſuit*, Sueton. in Jul. XXV. Quod, actis cenſibus, ita poſtea accrevit, ut plus quàm Gallicæ monetæ libras 65,000,000, ſolverint. Id enim innuit Velleius Paterculus, II, 39. Galliæ Caii Cæſaris *ductu auſpiciiſque infractæ, pæne idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt ſtipendium....* Divus Auguſtus *pæne idem, factâ Ægypto ſtipendiariâ, quantùm pater ejus Galliâ, in ærarium reditûs contulit.*

Annus erat Urbis conditæ DCCXXIV, cùm Auguſtus Ægypto potitus eſt, quam ſtatim ipſe, pòſt Tiberius aliique Principes inter præcipua regni inſtrumenta & arcana habuere. Quantum autem reditûs Romanis contulerit Ægyptus, conjicere poſſumus ex Strabone, XVII, pag. 798. Ait enim Ptolemæo *Auletæ*, Cleopatræ patri, quotannis pendi ſolitum tributum XII M. D. talentorum, Gallicæ monetæ li-

bras 65,362,500. Κάτ' ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων. Addit idem Strabo, *ſi tanta ſolverentur regi, qui peſſimè & ſegniſſimè regnum adminiſtrabat, quid cenſendum putes de præſentibus reditibus, qui tantâ diligentiâ a Romanis adminiſtrantur, additis etiam Indicis & Troglodyticis commerciis? Superiore enim tempore, ne viginti quidem navigia in Arabicum ſinum tranſire audebant. Nunc maximæ claſſes uſque in Indiam & extrema Æthiopiæ tranſmittuntur. Inde pretioſiſſimæ merces in Ægyptum advehuntur, ac rurſum ex Ægypto in alia loca circumferuntur; poſtquam duplicia ſoluta fuerint vectigalia: unum cùm merces importantur, alterum cùm exportantur.* Ὡς τὰ τέλη διπλάσια συνάγεσθαι, τὰ μὲν εἰσαγωγικὰ, τὰ δὲ ἐξαγωγικά.

Hactenus Strabo, cui ſi Plinium addideris, mutuâ luce illuſtrabuntur: quantumque reditûs hæc duplicia commerciorum vectigalia conferrent intelliges. Plinius enim VI, 23, cùm totum navigationis curſum ab Ægypto in Indiam diligentiùs expoſuiſſet, addit: *Digna res nullo anno imperii noſtri minus HS quingenties*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *exhauriente Indiâ, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato*, Gallicæ monetæ libris 972,751,250, *veneunt.*

Si ex commerciis Troglodyticis & Æthiopicis idem erat reditus, ut conjicere licet, cùm hac navigatione percelebratum Ophir, hodie *Sofala*, peteretur, indeque aurum, ſmaragdi, odores, aliaque id pretii afferrentur, geminabuntur duplicia hæc vectigalia. Ac nemo, ut opinor, diffitebitur Romanos ex unâ Ægypto, ſeu tributis, ſeu vectigalibus, percepiſſe Gallicæ monetæ libras circiter 100,000,000.

Qui ex ceteris provinciis reditus obvenirent, non prodidere veteres ſcriptores; aut potiùs ignoramus, quòd ea hiſtoriarum Appiani pars perierit, quâ id erat proſequutus. Utendum ergo univerſalibus regulis, quibus tum veterum, tum recentiorum imperiorum opes certiſſimè & expeditiſſimè cognoſcuntur. Iis enim cognitis, facile erit tributa ac vectigalia æſtimare.

Porro in magnis imperiis, ſi annuas eorum incolarum expenſas universè ſupputaveris, eas pro ſingulis æquare Gallicæ monetæ libras 120 comperies. Per hos ergo numeros, multiplica incolarum numerum. Inde exſurgens numerus demonſtrabit annuas incolarum expenſas, ac proinde annuos imperii reditus. Alia eſt regula, quæ eodem ferme recidit. Imperii incolas numera. Cùm pars una alterius impendiis vivat, dimidium incolarum numerum accipe. Dimidium hunc numerum in tres partes divide, quarum duæ erunt hominum, qui vulgari operarum ſtipe, ſeu Gallicæ monetæ aſſibus 10, victitent, tertia eorum qui duplo carius vivant. Hanc expenſam per anni dies multiplica. Summa erit annua incolarum expenſa, annuus quoque imperii reditus.

Nunc verò imperium Romanum, quod ab extremâ Luſitaniâ

Oruron uſque, hodie *Horur*, Euphrati vicinum, patebat, erat decuplo majus regno Galliæ. Minimè dixerim eamdem fuiſſe in imperio Romano, ac nunc eſt in Galliâ, populi frequentiam. Plurima enim adverſarentur, ac maximè Livii, VI, 12. Plutarchi, de Oracul. num. 6. atque ipſius Taciti in eloquentiſſimâ Galgaci oratione, Vit. Agric. XXX, auctoritas. Iis enim teſtibus, ſæpiſſimè victores Romani vaſtitatem ac ſolitudinem fecere, idque pacem appellabant. Adde immanem imperii Romani luxum, quo nihil eſt populorum frequentiæ hominumque multitudini adverſum magis.

Itaque ne incolarum imperii Romani numerum ultra modum amplificem, abſtinebo majoribus numeris eorum, qui in Galliâ 20,000,000 hominum computant. Ne quoque Romani imperii vim extenuaſſe videar, ut in Gallia plurimi, 16,000,000 hominum computant, pari ratione fuiſſe in imperio Romano 160,000,000 hominum libenter profitebor; annua ergo imperii Romani expenſa, ſeu annuus imperii reditus fuit, Gallicæ monetæ librarum 19,200,000,000; aut juxta ſecundam regulam, librarum 19,400,000,000.

Si quis autem nunc attenderit conditionem naturamque Romani imperii: non modò urbes plurimas, ſed & multos populos, vel a tributo ſoli, vel a tributo capitis, vel ab utroque, fuiſſe immunes: alios, fœderatos tantùm, nullis neceſſitatibus ſubjacuiſſe: in publicis calamitatibus magnas diuturnaſque remiſſiones fieri ſolitas; quaſdam etiam veterum aut recentium benefactorum gratiâ fuiſſe conceſſas, videbitur ſanè annuas imperii Romani exactiones non ſuperaſſe Gallicæ monetæ libras 1,500,000,000, aut 2,000,000,000: in ſummis imperii neceſſitatibus difficillimè æquaſſe 3,000,000,000: illud verò *quadringenties millies*, ſeu Gallicæ monetæ libras 7,782,010,000, quibus, teſte Veſpaſiano, utì diximus ſuprà pag. 422, opus erat, *ut reſpublica ſtare poſſet*, exigi minimè potuiſſe. Summa autem illa Gallicæ monetæ librarum 1,500,000,000 aut 2,000,000,000, quæ ſolita imperii Romani exactio haberi poteſt, numquam potuit ex ſolis tributis confici. Immo pars multò major debuit vectigalibus inniti.

Magnificum ergo, ſed minimè poſſibile fuit Neronis conſilium, quo cuncta vectigalia omittere agitabat. Plus in eo conſilio erat oſtentationis, quàm prudentiæ. Meritò ergo Neronis impetum attinuere ſenatores, fore diſſolutionem imperii docendo. Simul uſurpatam in his Neroniani imperii initiis exactionem egregiè commendant, cùm profitentur in vectigalibus ita proviſum eſſe, *ut ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum inter ſe congruerent.*

Nerone modeſtior, ſed prudentior meliorque Tiberius, qui, *præſidibus onerandas tributo provincias ſuadentibus*, reſcripſit: *Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.* Sueton. in Tiber. XXXII. Immortalitate verò digna fuit Imperatoris Hadriani vox, tantò laudabilior,

quantò in hac, quam ſuprà diximus, imperii primùm ſeveritate, deinde luxu, rarior, aut potiùs numquam antè audita, AMPLIARI IMPERIVM HOMINVM ADIECTIONE POTIVS, QVAM PECVNIARVM COPIA, MALIM. Paulus in Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 20. de Bonis damnatorum. leg. 7. Hæc enim vera imperiorum magnificentia. Hæc opulentia.

His breviter curſimque obſervatis, locus nunc foret animadvertere, quàm diligentes, quàm expediti fuerint Romani in peragendo cenſu, quem vulgò dicimus *le Cadaſtre*, novis provinciis regniſve imperio ſuo additis: quantâ ſolertiâ aliis tributa, aliis ſtipendia imponerent: quos & quibus legibus, agros vectigales fecerint: quot vectigalium ſpecies ac nomina repererint: quæ eſſent publicanorum, Gallicè *les Traitants*, quibus vectigalia per quinquennium conducebantur, ſocietates: quænam eſſent portoria, *les douanes & les droits d'entrée*: quæ monopolia: quos reditus ex metallis, lapicidinis, ſalinis perciperent: quàm varii in his omnibus reipublicæ & imperii uſus. At hæc ſingillatim perſequi longius foret; nec pro rei gravitate, niſi ſingulari libro, poſſunt explicari.

Id unum obſervaverim nihil in œconomicâ re imperii Romani fuiſſe umquam mirabilius, quàm in peragendis cenſibus dexteritatem ac facilitatem. Vulgò apud nos receptum eſt cenſum in totâ Galliâ peragi non poſſe niſi intra duodecim quindecimve annos, nec ſine expensâ Gallicæ monetæ librarum 15 aut 20,000,000. Minus certè temporis ac pecuniarum impendebant Romani, alioquin non ita frequens apud eos fuiſſet cenſuum confectio aut repetitio. Quanta autem in rectè inſtitutis cenſibus ſit imperiis utilitas, quantum populis levamentum, norunt omnes.

TUM LIBERTATE] *Tum* omiſit Puteolanus. In Mſſ. Harl. Jeſ. *cum*.

NECESSITAS EROGATIONUM] Puteolanus, *irrogationum*. In editione principe, *errogationum*.

CAP. LI. QUADRAGESIMÆ QUINQUAGESIMÆQUE] Bene Puteolanus. Perperam in editione principe & in Mſſ. Vatic. 1863, 1864 & 1958. pro *quadrageſimæ*, ſcriptum *quadringenteſimæ*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *quadraginteſimæ*. Quinquageſima autem illa fortè fuit venalium eduliorum. Id enim portorium induxerat Caligula. In gratiam plebis remiſſum fuiſſe macelli portorium teſtatur Plinius, XIX, 4. *Ex horto plebei macellum . . . Itaque hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ, clamore plebis incuſantis apud omnes Principes, donec remiſſum eſt portorium mercis hujus.*

EXACTIONIBUS ILLICITIS] Ita Rhenanus & Recentiores omnes. In editionibus veteribus *ex auctionibus*. In Mſ. Jeſ. *ex auctione*. In Mſ. Bodl. *ex auctoribus*.

CAP. LII. Imperium illic habuerant] Lipſius & Recentiores. In veteribus editionibus, *habuerunt*. Sic & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Pomponium Silvanum] Ita libri omnes. Unde hic Silvanus diverſus videtur a Silvano, ſene divite, de quo infrà Hiſt. II, 86.

Valuitque] *Que* abeſt a Mſ. Vatic. 1864.

Ultra vitam eorum] Ita editio princeps. Mſſ. Flor. Corb. & Erneſtus. Puteolanus & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ultra eorum vitam.*

CAP. LIII. Et L. Vetus] Erneſtus ex editione principe & Mſſ. Flor. Guelf. *Et* omiſere Puteolanus ac Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Tres et sexaginta annos] Videtur Ryckio emendandum *ſex & ſexaginta annos.* Tot enim numerantur anni a morte Druſi. At hæc hoc anno geſta non ſcribit Tacitus. Aliquot antè annis fieri potuere: immo facta ſunt, ut patet ex Avito & Manciâ, utriuſque Germaniæ legatis, de quibus infrà cap. 56. In Mſ. Corb. *tres & quadraginta annos*; quod cur Mureto placuerit, neſcio.

Exin Oceanum] Bene Puteolanus & Recentiores. In editione principe *dein.* Tentabat Pichena, *& in.*

Ælius Gracilis] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *Helius Gracilis.* Mſ. Corb. *Graccus.* Perperam in editione principe, *invidit operi ejus Gracilis.* Lipſius & Recentiores, *Ælius.*

Deterrendo Veterem] Ita Mſſ. Flor. Agr. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus antiquis, *deterrendo Vetere.*

Prohibentur conatus] Mſ. Agr. *cohibentur.*

CAP. LIV. In quantum Germani regnantur] Ita Mſſ. Vatic. 1863. & Flor. Pichena & Recentiores. Malè in Mſſ. Vatic. 1864 & 1958. Bodl. & veteribus editionibus *in qua tunc Germani regnabant.* Editio princeps, *in quam.*

Fixerant domos] Ita libri omnes. Fruſtra emendat Rhenanus, *finxerant.*

Vibius Avitus] Vulgò in libris ſcriptis & editis, *Dubius Avitus.* Emendandum *Vibius Avitus* monuit Lipſius; & probavere Bucherius Belg. Rom. V, 5. pag. 163. Eccardus, de Origine Germanorum, num. 35. pag. 337. Vibius Avitus Galliæ præerat, cùm Zenodorus fecit apud Arvernos, *en Auvergne*, coloſſum, de quo Plinius, XXXIV, 7. noſque plura infrà inter Anecdota de Nerone. Interim Zenodorus, *ſtatuam Arvernorum cùm faceret, provinciæ Vibio Avito præſidente, duo pocula Calamidis manu cælata, quæ Caſſio Silano, avunculo ejus, præceptori ſuo Germanicus Cæſar adamata donaverat, æmulatus eſt, ut vix ulla differentia eſſet artis.* Plin loc. cit.

Degrediunturque] Pichena e Mſ. Flor. In veteribus editionibus, *digrediuntur.*

Et bona æmulatione] Ita libri ſcripti, & editiones veteres ac

recentiores. Fruſtra emendavit Rhenanus, *bona æmulàtio.* Lipſius tentabat, *boni æmulatione.*

Auxiliaris eques repente immissus] Ita libri omnes. Neſcio cur hæc omiſerit Ryckius. In editione Dublinenſi addita ſunt margini.

Pervicacius restiterant] Mſ. Jeſ. *reſiſterent.*

CAP. LV. Ansibarii] In Mſſ. Vatic. ut in editione principe, modò *Anſivarii*, modò *Ampſivarii* legitur. Puteolanus, & Mſ. Jeſ. *Anſybarii.* Emendatum in Mſ. Harl. *Anſibarii.*

Aderatque iis] Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. Agr. & editione principe, *his.*

Nomine Boiocalus] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *Boiaculus.* In Mſſ. Jeſ. & Guelf. *Biocalus.*

Quinquaginta annorum] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & libri omnes editi. Lipſius e libris veteribus laudat, *quadraginta.* In Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & *quinquaginta.*

Obsequio] Sic editiones veteres & recentiores. Malè aliis emendatum, *obſequia.*

Quotam partem campi] Tentabat Lipſius, *quò tantam*, aut *quò eam.* Vulgatam tamen tolerabat.

Aliquando transmitterentur] Ryckii amicus emendabat, *alenda tranſmitterentur.*

Receptos gregibus, inter hominum famam] Emendabat Lipſius, *exceptos* & *famem. Famem* probavit Freinshemius, ſed correxit, *receptus.* Utramque Freinshemii emendationem admiſit & edidit Ryckius; quem Erneſtus & alii non ſunt ſecuti. Et meritò quidem. Vulgata enim latina ſunt, & auctoritate librorum veterum defenduntur. In Mſ. Harl. legitur quidem *receptus*, ſed recenti manu: antea ſcriptum, *receptos.* Sic in Mſ. Agr. *famam* in *famem* mutatum.

Sicuti cælum] Ita Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. editio princeps & recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *ſicut.*

Quæque vacuæ] In Mſſ. Harl. Bodl Jeſ. & Puteolanus, *quæ ſint vacuæ. Sint* abeſt a Mſſ. Flor. Corb. & editione principe. Ideo illud omiſere Pichena & Recentiores. *Que* addidit Rhenanus; eſt quoque in Mſ. Corb. Mallet J. F. Gronovius, *quaſque vacuas.*

Solem deinde respiciens] Male editio princeps, *deſpiciens*, quod probavit Jac. Gronovius. Rectè Puteolanus & ceteri, *reſpiciens.*

Sidera vocans] Mallet Nic. Heinſius, *advocans.*

CAP. LVI. Et commotus his] Mallet Lipſius, *Nec commotus his Avitus, patienda meliorum imperia, ait. Dis quos, &c.*

Quid darent, quid adimerent] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *qui darent, qui adimerent.*

Quam seipsos paterentur] J. F. Gronovius delebat, *ſe*; pro-

babatque Ryckius, ut ſenſus ſit, non paterentur Anſibarii alios judices, quàm ipſos deos: quod minimè veriſimile.

Terra, in qua vivamus] Bene Mſ. Agr. Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. Guelf. & editione principe, *terram vivam.* In Mſ. Bodl. & Puteolanus, *terra viva.* Unde J. F. Gronovius conjiciebat, *terra in vitam*: Pichena, *terra viris.*

Curtilium Manciam] Cujus meminit Phlegon, de Rebus mirabilib. cap. 27. Ἐν Γερμανίᾳ, ἐν τῷ στρατῷ τῶν Ῥωμαίων, ὃς ἦν ὑπὸ Τίτῳ Κουρτιλίῳ Μαγκίᾳ, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐγένετο. Δοῦλος γὰρ στρατιώτου ἔτεκεν, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Κόνωνος· ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Κοΐντου Οὐλουσίου Σατορνίνου, καὶ Ποπλίου Κορνηλίου Σκιπίωνος. *In Germaniâ in exercitu Romano, cui præerat T. Curtilius Mancias, ſervus militis peperit; Athenis Conone præſide: Romæ Q. Voluſio Saturnino & P. Cornelio Scipione conſulibus.* Patet ex conſulibus Curtilium Manciam legatum fuiſſe Germaniæ, anno U. C. DCCCIX. Non emendandum ergò cap. 53. *ſex & ſexaginta annos*, pro *tres & ſexaginta annos*, ut placuit Ryckio.

Exterriti Bructeri] Ita Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *exterritis Bructeris.*

Ceteris quoque] *Quoque* abeſt a Mſ. Bud.

Aliena pericula deserentibus] In Mſſ. Flor. Harl. Jeſ. Bodl. Bud. Guelf. Corb. & editione principe, *defendentibus*, quod explicat J. Gronovius, *a ſe arcentibus.* Puteolanus, *deferentibus*, forte operarum errore. Rhenanus emendavit, *deſerentibus*; quod probavere Recentiores. Tentat tamen Erneſtus, *deſugientibus.*

Cæduntur] Goropius Becanus opinatur Angrivarios & Anſibarios eoſdem eſſe populos; dictos eſſe Anſibarios poſt cladem: ſed non fuiſſe deletos, ut Tacitus ex falsâ aliquâ relatione prodidit. Hæc ſunt eruditi viri deliramenta, quæ vide, ſi lubet, *Origin. Antuerpian.* pag. 619, in Saxonicis.

CAP. LVII. Super libidinem] Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *libidine.*

Armis agendi] Mſſ. Jeſ. Guelf. *vi, armis agendi.*

Salem provenire] Bene Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Guelf. & editione principe, *item provenire.*

Arescente, sed unda] In antiquis editionibus, *areſcente undâ: ſed ſuper, &c.* In recentioribus, *areſcente undâ, ſed ſuper, &c.* Optimè vidit Muretus emendandum, *eluvie maris areſcente, ſed undâ, &c.* Vide quæ in Notis attulimus ex Plinio XXXI, 7.

Ex elementis] Mſſ. Flor. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. Præpoſitionem deleverat Rhenanus.

Igne atque aquis concretum] Lipſius optimè emendavit, *concretum*; quod Recentioribus omnibus probatum. Antea in libris ſcriptis & editis, *concreta.*

Sed bellum] Friget illud, *ſed*. Fortè repetitum ex ſuperioribus, *ſed undâ*, &c.

Cattis exitiosius fuit] Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. In editione principe, *exitioſum*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *exitio fuit*; quod certè elegantius.

Cuncta victa] Ita Mſ. Flor. editiones veteres & recentiores. Malè emendatum in mediis quibuſdam editionibus, *cùm ita victa*. Lipſio placebat Daneſii conjectura, *cuncta viva*. Tentabat J. F. Gronovius, *cuncta victi*, id eſt cuncta, quæ victus antè poſſederat.

In ipsos vertebant] Mſ. Flor. editio princeps, & recentiores. Certè ex uſu Taciti. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *vertebantur*.

Passim corripiebant] Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *arripiebant*.

Non fluvialibus aquis] In veteribus editionibus & in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. *non ſi*. Erneſtus meritò omiſit *ſi*, ex ſuperioribus *non ſi imbres*, malè repetitum; aut natum ex verbo, quod poſtea addebatur.

Alio humore] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores; ac bene quidem. In Mſ. Agr. *humore perfunderentur*. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *humore niterentur*; id eſt *niterentur exſtinguere*: quod miror Lipſio placuiſſe.

Agrestes quidam] Mſ. Corb. & editio princeps, *agreſtis quidem*.

Residentibus flammis] Bene Puteolanus. In Mſ. Harl. & editione principe, *reſiſtentibus*.

Derepta] Ryckius e Mſ. Agr. Haud ita bene in veteribus editionibus, *direpta*.

Usu polluta] Ita Mſſ. Bud. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *uſu viliori polluta*. In Mſ. Jeſ. *uſui viliori*.

CAP. LVIII. Quæ octingentos et quadraginta] In Mſſ. Vatic. 1863 & 1864. Corb. & editione principe, *quæ ſeptingentos & XL*. In Mſ. Vatic. 1958. *octingentos & quadraginta*. Puteolanus primus edidit, quæ *ſuper octingentos & quadraginta*. *Super* redundat, & meritò omiſit Ryckius. Abeſt quoque a Mſſ. Flor. & Agr.

Prodigii loco habitum est] *Habitum eſt* abeſt a Mſ. Guelf.

Reviresceret] Pichena e Mſ. Flor. Sic & Mſ. Guelf. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *reviviſceret*.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM DECIMUM QUARTUM

ANNALIUM.

CAP. I. CAIO VIPSTANO] Mſſ. Vatic. 1863, 1864 & 1958. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *Vipſano*. Lipſius & alii, *Vipſanio*. Bene Erneſtus, *Vipſtano*. Sic enim emendandum patet ex Inſcriptionibus, de quibus plura infrà Hiſt. I, 76.

FLAGRANTIOR IN DIES AMORE] Mallet Erneſtus, *flagrantiore*.

INCUSARET PRINCIPEM, ET PUPILLUM VOCARET] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Lipſius, *incuſare ... vocare*.

VERUM ANIMUM? TIMERI NE] Bene diſtinxit Lipſius. Antea, *verum animum timeri? ne uxor*. Placet tamen erudito Grævio, *verum animum timeri? neve uxor*, &c. Non audiendus Cl. Erricus Memmius, qui pro *verum animum* tentabat *uterum annuum*.

FERRE POSSET, REDDATUR] Vel *poſſit*, vel *redderetur* vult Acidalius.

MATRIS POTENTIAM] Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editione principe, *potentiam matris*.

CAP. II. RETINENDÆ AGRIPPINAM POTENTIÆ] Dura & intricata conſtructio. Meliùs in Mſ. Corb. *Agrippinam ardore retinendæ potentiæ eò uſque provectam*.

MEDIO DIEI] Mſ. Jeſ. *die*.

LASCIVA OSCULA] Bene Puteolanus. In editione principe, *laſcivia*. In Mſ. Corb. *laſciviam*.

ET PRÆNUNTIAS] Mſſ. Flor. Corb. & editio princeps. *Et* omiſerat Puteolanus.

FLAGITII BLANDITIAS] In Mſſ. & editionibus veteribus, *flagitiis*. Bene Rhenanus & Recentiores, *flagitii*.

SEU CONCEPIT] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *conceperit*.

CAP. III. AN FERRO] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *vel ferro*.

MULIERIS, USU SCELERUM] Mſ. Corb. *Mulierque uſu ſcelerum adverſùs inſidias intenta*.

Classi apud Misenum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *claſſis.*

Ostentandæ pietati] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Jeſ. Corb. & editione principe aliiſque nonnullis, *pietatis.* In Mſ. Harl. *oſtendendæ* pro *oſtentandæ.*

CAP. IV. Tempore etiam juta] Lipſius e Mſſ. Sic & Mſ. Guelf. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *adjuta.*

Parentum iracundias] Mſ. Corb. *parentis.*

Acciperetque Agrippina] Ita Mſ. Reg. editio princeps; ſicque emendandum divinaverat Freinshemius, quem Ryckius, Erneſtus aliique ſunt ſecuti. Perperam in Mſſ. Flor. Agr. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *acciperetque Agrippinam, facili feminarum credulitate ad gaudia venientem.* Qui hæc probant, explicant *acciperet*, quaſi *deciperet*, ex priſcâ Lucilii auctoritate, longiùs, nec ex uſu Taciti, arceſſitâ. Pichena emendabat, *deciperet* : Lipſius, *alliceret.* Utrumque Erneſto placet. At potior Mſ. Reg. & editionis principis auctoritas & ſenſus. In Mſ. Corb. *facili credulitate feminarum ad gaudia.*

Flexo mari alluitur] Ita Mſ. Vatic. 1958. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1863, 1864. Harl. Reg. Corb. & editione principe, *allabitur.*

Exstitisse proditorem] Mſ. Bodl. *proditionem.*

Gestamine sellæ Baias pervectam] In Mſſ. Flor. Reg. Agr. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editione principe, *Baulos pervectam* : ſed perperam. Puteolanus, quem omnes ſunt ſecuti, optimè emendavit, *Baias.* Baulis enim erat Agrippinæ villa; eóque illam duxerat Nero. Geſtamine ſellæ Baias pervecta eſt, ut epularetur. Cùm Baulos repeteret, patratum eſt ſcelus. Id Tacitus, id Suetonius in Ner. XXXIV. apertè narrant. In Mſ. Corb. pro *geſtamine ſellæ*, &c. ſcriptum *mæſtam, miſellam, Baulos provectam.*

Explenda simulatione] Fruſtra quidam emendant, *explendæ ſimulationi.* Jam ſuprà Tacitus, Annal. III, 19. *Is finis fuit ulciſcendâ Germanici morte.*

CAP. V. Ex quis Crepereius] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ex quibus.*

Matris gratiam] Mallet Heinſius, *matri.* In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *& matris recuperatam gratiam.*

Et statim exanimatus] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Lipſius aliique multi. In Mſſ. Flor. Agr. Reg. & editionibus veteribus, *exanimatus eſt.* Placet magis, *exanimatus*, ob copulam *&*.

Lecti parietibus] Ita Mſſ. Vatic. 1863, 1864. Reg. Agr. primâ manu, editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Vatic. 1958.

Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *tecti.* Additum quoque *tecti* in Mſ. Vatic. 1863.

Ac forte] *Ac* abeſt a Mſſ. Bodl. & Jeſ.

Quam ut oneri] Bene Pichena & Recentiores; ſicque Tacitus ſuprà Annal. XIII, 22. *Validiore apud libidines Principis Paride, quàm ut pœnâ afficeretur.* In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *quamvis.*

Etiam conscios] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. In mediis editionibus omiſſum, *etiam.*

Visum dehinc remigibus] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *juſſum*, quod primò quidem placet: ſi quis tamen diligentiùs attenderit, *viſum* placebit magis. Major enim fuiſſet conſenſus, ſi *juſſum*, quàm ſi *viſum.*

Unum in latus] *Unum* abeſt a Mſ. Agr. In Mſſ. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ratem unum in latus. Ratem* meritò abeſt a Mſ. Corb. & editione principe.

Acerronia imprudens] Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Agr. Reg. & editione principe, *imprudentia.* Unde amicus Ryckii tentabat, *imprudentius.*

Utque subveniretur] Ita Mſ. Flor. & editiones recentiores. A Mſſ. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & editione principe abeſt, *ut.* Puteolanus, *& ut.*

Quæ fors] Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & editionibus veteribus, *ſors.*

Occursu lenunculorum] Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. In Mſ. Bodl. & Rhenanus *lembunculorum.* Additum in margine Mſ. Bodl. *lenunculorum.*

Vecta, villæ suæ infertur] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *vectam... inferunt.*

CAP. VI. Remedium esse] Ryckius e Mſ. Agr. addidit, *putavit.* Meliùs ſupplebat Acidalius, *rata.* At ſine his additamentis vulgata Latina ſunt & clara.

Misit libertum] Bene Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *miſitque.* Copula certè redundat. Aliter ſuperiora omnia, *illic reputans*, &c. referenda eſſent ad *infertur*; quod breves conciſoſque Taciti ſenſus minimè ſapit.

Acerroniæ requiri] *Requiri* abeſt a Mſ. Corb.

Tantum non] Bene Puteolanus & Recentiores. *Non* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe. In Mſ. Guelf. *id tamen per ſimulationem.*

CAP. VII. Ne auctor dubitaretur] Vitiosè in Mſſ. Reg. Corb.

& editione principe, *& hactenus addito diſcrimine auctor dubitaret.*

Et Seneca expromerent] Ita Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *expertes.* Mſ. Flor. *expergens.* In Mſſ. Harl. Jeſ. Bud. Guelf. *expurgent.* In Mſ. Bodl. & Puteolanus, *expergiſcerentur.* Additum margini Mſ. Bodl. *expurgent*, *explicent.* Jac. Gronovius divinat, *expurgetis*, *expergetis*: alii, *expedirent.* Magis placet, *expromerent*, tum propter veteris codicis auctoritatem, tum propter ſenſum.

An ante] Mſſ. Bodl. Jeſ. *an & antè.*

Utriusque silentium] In Mſ. Agr. *utrinque.* Editio princeps, *utrumque.*

An eo descensum] Ita editio princeps & recentiores. Puteolanus, *& eo.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *aut eo.*

Ac sciscitari] Optimè emendavit Freinshemius. Vulgò in Mſſ. & editionibus veteribus *ſi citaretur*, vel *ſi ſcitaretur*, vel *ſciſcitaretur.*

Memoresque Germanici] Ita Mſſ. Flor. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& memores.*

Ad eam vocem] Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps ac recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ad illam.*

Illo sibi die dari] Hunc locum egregiè reſtituit Rhenanus. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *illos invidiæ dari.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *illos in brevi die.* In margine Mſ. Harl. *illis invidiæ*, ut legitur in Mſ. Corb.

Vincla injici] Mſ. Reg. & editio princeps, *vincula.*

CAP. VIII. Votis, clamore] Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *vocis clamore.* In Mſſ. Harl. Corb. *vocibus.*

Rogitantium] Mſſ. & editio princeps. Puteolanus, *rogantium.*

Aliam fere litore faciem nunc] In Mſ. Flor. Reg. & editione principe, *aliam fore lateret faciem.* In Mſ. Corb. *latere.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *fore*: at in Mſ. Harl. emendatum *fere.* Puteolanus correxit, *aliam fere litore faciem.* Ryckius legendum conjicit, *aliam ante fores faciem.* Ad ſenſum & veterem ſcripturam aptiſſimum mihi videtur, *aliam fores ante rerum faciem*; quod olim fortè ita fuerit ſcriptum *foresāte rer' faciem*, unde oriri potuit librariorum error. Inter *faciem* & *nunc* interpungunt veteres editiones. In recentioribus non ita bene conjunguntur.

Extremi mali] Mſ. Corb. *extrema.*

Fusti caput] Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *fuſte.*

Ventrem feri, exclamavit] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus addunt, *rogans miniſtrum ut utero dirum enſem conderet: adjiciens, Hic*

eſt, hic eſt fodiendus ferro, monſtrum qui tale tulit. Poſt hanc vocem, cum ſupremo mixtam gemitu animam tandem poſt fera triſtem vulnera reddidit. Ictibus enim & multis vulneribus confecta eſt. Optimè vidit Lipſius gloſſema eſſe ex Senecæ Octaviâ repetitum. Abeſt a Mſſ. Vatic. Reg. Corb. & editione principe ac recentioribus.

CAP. IX. Consensu produntur] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres. Beroaldus, *traduntur.*

Et clausa humus] Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *humo.*

Cognomento Mnester] Mſ. Reg. *Timeſter.* Editio princeps, *Nineſter.*

Ipse ferro se transegit] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Vitiosè in Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *ipſo ferro tranſegit.*

Super Nerone] Bene Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *ſuper Neronem.*

CAP. X. Exitium allaturam] Fruſtra tentat Barthius, *exitum.*

Prensantium manu] Bene Erneſtus ex uſu Taciti. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *preſſantium.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *prehenſantium.*

Ut hominum vultus] Ita editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ut hominum, ita locorum facies mutantur.*

Morti parentis inlacrimans] In Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *morte.* Recentioribus rectè emendatum, *morti*, ex uſu Latinorum omnium ſcriptorum.

Obversabaturque] Ita Mſ. Flor. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editione principe omiſſa copula.

CAP. XI. Eam pœnam conscientia] Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Malè addiderat Rhenanus, *ei conſcientiâ.*

Frustra optata sint] Bene Lipſius e Mſ. Vatic. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *oblata ſint.* In Mſſ. Farneſ. & Corb. *ablata ſint.*

Militi patribusque] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *militibus.*

Obliqua insectatione] Mſ. Agr. Lipſius & Recentiores. Corruptè in Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *oblita.*

Adverso rumore Seneca] Mſſ. Harl. Bodl. *Seneca adverſo rumore.*

CAP. XII. Utque quinquatrus] Vitiosè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

& Puteolanus, *quinquatria.* In editione principe, *quinquatrii.* In Mſ. Corb. *quinquatriis*: quod errore librariorum ortum ex *quinquatrus.*

Exiit tum senatu] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editiones veteres, *exitium ſenatui.* Lipſianæ emendationi ſuffragatur Dio, LXI. pag. 696. Ο῾ Πούπλιος δὲ δὴ Θρασέας Παῖτος ἦλθε μὲν ἐς τὸ συνέδριον, καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἐπήκουσεν· ἀναγνωσθείσης δὲ αὐτῆς, ἐξανέστη τε εὐθὺς, πρὶν καὶ ὁτιοῦν ἀποφήνασθαι, καὶ ἐξῆλθε· διότι ἃ μὲν ἤθελεν εἰπεῖν, οὐκ ἠδύνατο, ἃ δὲ ἠδύνατο, οὐκ ἤθελεν. *Publius Thraſea Pætus venit in ſenatum, & epiſtolam audivit. Eâ verò lectâ, ſurrexit priùs, quàm itum eſſet in ſententias; exiitque, quòd ea, quæ vellet, dicere non poſſet; quæ autem poſſet, non vellet.* Ipſeque Tacitus Annal. XVI, 21. inter Thraſeæ crimina recenſet, *quòd ſenatu egreſſus eſt, cùm de Agrippinâ referretur.*

Præfectura functos] Mallet Lipſius, *præturâ*; & meritò. Haud enim crediderim Urbis, annonæ, aliamve Urbanam præfecturam hìc ſignificari. Lipſianam correctionem ſecutus eſt Cl. Gordon, *Valerius Capito and Licinius Gabolus, men of Prætorian dignity.*

CAP. XIII. Quonam modo Urbem] Mſ. Corb. *In Urbem.*

An studia plebis reperiret] Malè Rhenanus e Mſ. Bud. *repeteret.*

Alia regia] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Rhenanus & Recentiores, *regia.* In Mſ. Jeſ. & editionibus veteribus, *regio.*

Favorem disserunt] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *dixerunt.* In Mſ. Harl. *diſſerunt*; & in margine, *dixerunt.*

Prægredi exposcunt] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Sic quoque emendabat Grotius. In Mſſ. Harl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *progredi.*

CAP. XIV. Quod regibus] Ita Mſ. Bodl. Puteolanus & Recentiores. In margine Mſ. Bodl. ut in Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *quis regum.* Mſ. Flor. *quis regium.* In Mſ. Reg. & editione principe, *quis regibus.* Fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *antiquis regum & ducibus*, vel *priſcis regum & antiquis ducibus.* Potior eſt vulgata ſcriptura.

Ne utraque pervinceret] Mſ. Flor. editio princeps, Pichena & Recentiores. Sic quoque emendatum in Mſ. Harl. At primâ manu, *utroque*, ut in Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf & Puteolanus.

Laudibusque extollere] Mſſ. Flor. Harl. Guelf. editio princeps, Pichena & Recentiores. Puteolanus omiſerat *que.*

Si eodem] Ita editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *eo.*

Evulgatus pudor] Editio princeps, Rhenanus & Recentiores. Puteolanus, *vulgatus*; quod Mureto placebat magis.

Dedecus molliri] Ita Mſ. Bodl. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Jeſ. Harl. *moliri.* In Mſ. Harl. emendatum *molliri.*

Puteolanus, *amolliri*, unde aliis emendatum, *amoliri.* Quod miror Cl. Erneſtum probaſſe. Non ineleganter dictum *molliri.*

Nam et ejus flagitium] Puteolanus & Recentiores. *Nam* abeſt ab editione principe.

Subegit, donis ingentibus] In Mſ. Reg. & editione principe, *donis ſubegit ingentibus.*

CAP. XV. Publico theatro] *Theatro* abeſt a Mſ. Jeſ.

Gestus modosque] Amicus Ryckii emendabat, *motuſque*: ut infrà Annal. XV, 37. *jam geſtus motuſque.* At *modos* meritò defendit Ryckius auctoritate Quintiliani, I, 10. *Apertiùs tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi* muſicen, *quæ nunc in ſcenis effeminata & impudicis modis fracta: non ex parte minimâ, ſi quid in nobis virilis roboris manebat, excidit.*

Inritamenta luxus] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *luxui.*

Scenam incedit] Ita Mſſ. Flor. Reg. Vatic. Bud. Agr. & editio princeps ac recentiores. Puteolanus, *ſcenas aſcendit.* Placet plurimùm Lipſii emendatio, *ſcenam inſcendit.* Licèt enim elegantiſſimè dictum ſit, Annal. I, 61, *incedunt locos mæſtos*, vix dici poſſe videtur, *ſcenam incedit.* Nihil tamen mutavi ob veterum librorum auctoritatem.

In spe potentiæ] Mallet Muretus, *ſpe.*

Hi dies] *Hi*, omiſſum in Mſ. Guelf. deletumque volebat Muretus. At immeritò, ut rectè obſervat Cl. Erneſtus.

CAP. XVI. Nec dum insignis] In Mſſ. & libris editis, *aliqua pangendi facultas: nec dum inſignis ætatis nati, conſidere ſimul, & allatos* (Mſſ. Flor. Reg. *ablatos*) *vel ibidem repertos verſus connectere.* Hæc corrupta eſſe nemo non videt. Medicinam adhibere tentarunt Lipſius & Muretus. Sic quidem Lipſius, *quibus aliqua pangendi facultas nec dum inſignis. Ii alternatim conſidere ſimul*, &c. Ingenioſiùs verò, ſed aliquantò audaciùs Muretus, Variar. Lection. XV, 11. *Quibus aliqua pangendi facultas, nec dum inſignis erat: ii conſidere ſimul, & natos ibidem verſus connectere, atque ipſius verba*, &c. Quam in Notis propoſui emendationem, ea mihi ad veterem ſcripturam, Taciti ac Neronis mentem, accommodatior videtur. Fortè tamen ſcriptum, *ætate pari.* Fruſtrà Pichena e Mſ. Flor. tentabat *oblatos* pro *allatos.*

Ore uno fluens] Bene. Nec emendandum, ut placet Erneſto, *fluentium.*

Impartiebat] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones omnes veteres. In recentioribus, *impertiebat.*

Utque . . . discordiæ eruerentur] Ita Puteolanus. Pro *utque*, in Mſſ. Harl. Jeſ. *atque.* Sic quoque emendatum in Mſ. Bodl. in quo primâ manu ſcriptum, *utque.* In Mſ. Jeſ. *eruerentur*; deinde emendatum

eruebantur.

eruebantur. De hoc verbo plurimùm variant libri. Mſ. Flor. *rueretur.* Mſ. Bud. *merentur.* Mſſ. Reg. & editio princeps, *ruerent.* Mſ. Agr. *eruerent.* In Mſ. Guelf. *atque . . . eruebantur.* Beroaldus & Recentiores, *utque eruebantur.* Erneſtus mallet, *riderentur.* Ingeniosè Rhenanus, *quærerentur.* Poteſt tamen ferri antiqua & magis probata ſcriptura. Nempe Nero *ſapientiæ doctoribus tempus impartiebat poſt epulas*, atque impartiebat, *ut contraria adſeverantium diſcordiæ eruerentur.* Si quid mutandum, cum Rhenano emendarem, *ut contraria adſeverantium diſcordiæ quærerentur.* Quod minimè indignum Tacito.

Ore vultuque tristi] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *voce vultu*, &c. In margine Mſ. Bodl. *ore.*

CAP. XVII. Levi contentione] Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Guelf. & editione principe, *levi intentio.* Unde Erneſtus ſuſpicabatur, *levi initio*, vel *levi ab initio.* Mſ. Flor. & Puteolanus, *levi intentione.*

Livineius Regulus] Malè Mſ. Reg. & editiones veteres *Lividineius.*

Invicem incessentes] Bene Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *inceſſente.*

Reportati sunt] Mſſ. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *deportati.* Placet *reportati*, Recentioribus omnibus probatum.

Aut parentum] Ita Mſ. Flor. editio princeps, Erneſtus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & Puteolanus, *ac parentum*; quod non ita placet, quia jam ſuprà, *ac plerique.*

Re ad patres relata] Bene Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *delata.* At, causâ jam delatâ, relatum a conſulibus, ut pœna ſtatueretur.

CAP. XVIII. Prætoria potestate usum] Hæc prætoria poteſtas in Cyrenaicâ ſæpe addita videtur, ut plus eſſet auctoritatis. Sic iſte Acilius Strabo, diſceptator miſſus, prætoriâ poteſtate auctus eſt. Sic quoque in nummis Pupii, quos protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Villes*, Tom. I. pag. xi. Pupius modò appellatur ΤΑΜΙΑΣ, id eſt, *quæſtor;* modò ΑΝΤΙΣΤΡΑ. ΚΑΙ ΤΑΜΙΑΣ, id eſt*; propraetor & quæſtor.*

Nero probata] Ita Pichena, ſecutus veſtigia Mſ. Flor. in quo, *ne probata.* In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. *Princeps ne probatâ.* In Mſ. Harl. *Princeps Nero.* In Mſ. Agr. & editione principe, *ne improbata.* Unde mallet Erneſtus *nec improbatâ*, aut potiùs, *non improbata.*

CAP. XIX. Et elegantia vitæ] Mallet Lipſius, *& quem elegantia vitæ clariorem effecit.* Cl. Bouhier, *at elegantia vitæ quem clariorem effecit*, &c.

Clariorem effecit] Voculam unam excidiſſe poſt, *effecit*, cenſet Cl. Erneſtus; & ſupplendum *effecit Aſer*. Nihil deeſſe videtur: verùm de Servilio intellige.

CAP. XX. Ne, si consideret] Ita Mſ. Agr. Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *ſi conſideret .... ne ſpectaculorum*, manifeſtâ vocis *ne* trajectione; quod jam dudum emendarunt Ryckius & Erneſtus. Id quoque longè antè obſervaverat eruditus Petavius.

Quoties prætores ederent] In Mſſ. & veteribus editionibus, *quoties prætor ſederet*. Optimè emendavit Lipſius *quoties prætores ederent*. Quas verò impenſas facerent prætores, ſi dites forent, docet Olympiodorus apud Photium, Cod. LXXX. pag. 198. Μάξιμος δὲ, εἷς τῶν εὐπόρων εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ πραιτοῦραν, τεσσαράκοντα κατεβάλετο κεντηνάρια. Ἑπτὰ δὲ ἡμέραις οἱ πραίτωρες τὰς πανηγύρεις ἐτέλουν. *Maximus, unus ex opulentis, in filii præturam quadraginta centenaria*, Gallicæ monetæ libras 3,780,000. *Septem autem diebus ſolemnes ludos prætores celebrabant.* Tantæ tunc paucorum opes, cùm publica eſſet paupertas!

Necessitate certandi] Ita Mſſ. & veteres editiones. Rhenanus, *ſpectandi*. Inde placebat Lipſio, *neceſſitate ſpectandi aut certandi*.

Funditus everti] Bene Puteolanus & Recentiores. Corruptè in editione principe, *eunti*. Lipſius & Muretus opinabantur omitti poſſe, *everti*.

An justitiam augurii] Hæc luxata deſperataque pronuntiat Lipſius. Emendat Pichena, *an inſtitutos Auguſtanos e decuriis equitum*. Mihi ſana omnia videntur; aut ſi quid mutandum, unam voculam loco ſuo dimotam puto; legendumque, *an juſtitiam augurii, decurias equitum*, (nempe judicum) *& egregium judicandi munus expleturos*. Tunc plana omnia: ſcilicet, an augurum, an judicum muneribus pares futuros homines, fractorum ſonorum & dulcedinis vocum auditores aſſiduos, peritos æſtimatores. Propria erat augurii juſtitia & ſanctitas. Inter equitum decurias, erant judicum decuriæ; de quibus Plinius XXXIII, 1, ſect. 7. *Quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt. Nec pridem id factum: Divo Auguſto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo annulo fuit: iique non equites, ſed judices vocabantur. Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum. Judicum quoque non niſi quatuor decuriæ fuere primò: vixque ſingula millia in decuriis inventa ſunt, nondum provinciis ad hoc munus admiſſis: ſervatumque in hodiernum eſt, ne quis e novis civibus in iis judicaret.* Ad quatuor decurias, ut levior labor judicantibus foret, *quintam addidit* Caius Caligula, teſte Suetonio in C. Calig. XVI. Inde in veteribus Inſcriptionibus JVDEX. EX. QVINQ. DECVRIIS.

CAP. XXI. Ac tamen] Editio princeps, *attamen*. *Spectaculorum oblectamentis*. Mſſ. Farneſ. & Corb. *oblectamenta*; quod probabat Lipſius.

A Thuriis] Mſ. Corb. *Tyriis.*

Curatius editos] Ita Mſſ. Guelf. Corb. & editio princeps ac recentiores. Malè Puteolanus, *accuratiùs.*

Consurgeret ac strueretur] *Ac ſtrueretur*, ſcioli alicujus librarii gloſſema eſt, Cornelianæ brevitati non modò contrarium, ſed omnino frigidum.

Totius quinquennii] Bene Lipſius, *totius.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *potius.*

Ac ne modica quidem] Non audiendus Gronovius, qui emendat, *ne immodica quidem.* Mallet Erneſtus, *ne ſolita quidem.*

Eloquentiæ primas] Bene Mſſ. Flor. Farneſ. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *primas partes.* In Mſ. Corb. *primitias.*

Græci amictus] Optimè Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. corruptè, *Græciam ictus*, vel *ictam*; vel *jactus*, ut in editione principe.

Quos per eos dies] In editione principe, *quo*; unde in quibuſdam editionibus emendatum, *quomodo.* Bene Puteolanus, *quos.* Nempe plerique Græcos amictus, fluxos molleſque, a more Romano alienos, dicteriis inceſſerant. Fruſtra tentat Groſlotius *quis*, ut ſenſus ſit, *quibus induti fuerant.*

CAP. XXII. Inter quæ et sidus] Mſ. Reg. editio princeps, & recentiores. Puteolanus omiſit, *&.*

Mutationem regnis] Perperam in Mſſ. & editis libris, *regis.* Emendandum, *regnis*, optimè monuit Cl. Bentleius in notis ad Lucanum, I, 529.

Deligeretur anquirebant] Erneſtus e Mſ. Flor. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *perquirebant.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inquirebant.*

Celebrabatur] Ita Muretus & Recentiores. In veteribus editionibus, *celebratur.* J. Gronovius e Mſ. Flor. edidit, *celebratus.*

Hunc illum] Groſlotius, Rhenanus, Grotius emendabant, *hinc illum.* Et certè hæc emendatio legentium omnium menti occurrit. Non tamen abſurdum dixerim, *hunc illum*; idque defendunt Gronovius & Erneſtus.

Permotus iis] Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editione principe, *his.*

Consuleret quieti Urbis] Ita Pichena e Mſ. Flor. in quo ſcriptum, *conſuleret quieturbis.* Vulgò in Mſſ. *conſuleret ſibi & turbis*, unde tentaverat Lipſius, *ſibi & Urbi.* In Mſ. Corb. & editione principe, *ſibi e turbis.*

Prave diffamantibus] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Corb. & editione principe, *prava.*

Aquæ Marciæ] Aquæ Marciæ aquæductûs egregia monumenta

exſtant Romæ, ubi nunc *Porta di S. Lorenzo.* Ea exhibet Cl. Piraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. Tab. IX & X. Ex inſcriptionibus, quæ ſuperſunt, videtur paulo poſt pollutum a Nerone fontem aquam dilapſam & in uſu eſſe deſiiſſe. Titus ac poſtea Antoninus Caracalla eam Urbi reſtituêre.

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII. RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT.

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE EXCIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. ANTONIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX
TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. VIII
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Apud Gruterum, pag. CLXXVII. num. I. & Piraneſi, loc. cit. pag. 5.

CORPORE TOTO POLLUISSE] Ita libri ſcripti & editi. Pro *toto* emendandum, *corpore loto*, ſuadere videtur rerum ſeries. Sic quoque placitum Lipſio, Heinſio, Grævio, Erneſto aliiſque eruditis viris.

CAP. XXIII. AD OCCUPANDA TIGRANOCERTA] Ita Mſſ. Reg. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *occupandum.*

ET CARISSIMA] Editio princeps ac recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ac.*

FINES SUOS PRÆGREDIENTEM] Mſſ. Flor. Corb. & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Jeſ. & editione principe, *progredientem.* Mſ. Guelf. & Puteolanus, *prætergredientem.*

EXTERNO SANGUINE] Mſ. Reg. *extremo.*

CAP. XXIV. EODEM PLURA QUAM] Puteolanus, ac ceteri omnes. *Quam* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe, in quâ pro *tolerante* legitur *toleranti.* Inde ſuſpicabatur Cl. Erneſtus emendandum, *eadem plura gregario milite tolerantis.* At recepta ſcriptura videtur magis Corneliana.

ALTERUM IMPETU CAPTUM] Ita Mſſ. Vatic. Reg. Guelf. Corb.

editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Harl. & a Puteolano omiſſum, *captum*: additum eſt in margine Mſ. Harl. In Mſ. Jeſ. deſunt *impetu captum.*

In regionem Taurannitium] Sic Mſſ. Guelf. Agr. & editio princeps. In Mſ. Reg. *Taurannicium.* Mſ. Flor. & Puteolanus, *Taurauntium.* In Mſſ. Bodl. Jeſ. Harl. *Tauraumtium.* At in Mſ. Harl. emendatum *Taurantium.*

CAP. XXV. Præsidium regium] Puteolanus, & libri omnes poſtea editi. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. & editione principe, *præſidium legerat*: quâ in voce, corruptâ quidem, latet, ut videtur, præſidii nomen. Fruſtra Muretus mox emendabat, *quo ferox juventus clauſa erat.*

Demum et inrumpentium] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres. In aliis omiſſa particula, *&*, quam recentiores reſtituere. Antea in Mſ. Jeſ. *nam prœlium.* Pro *aggeris* fruſtra tentat Ryckius, *aggeribus.*

Ad litora maris Rubri] Ita libri ſcripti & editi. At hæc ne intelligas de ſinu Arabico, quod vulgò dicimus mare Rubrum, *la mer rouge*; ſed de ſinu Perſico, quod veteres mare Rubrum, aut mare Erythræum appellabant, nunc *le Golfe Perſique, la Mer des Indes.* Lipſius, cùm hunc locum corruptum crederet, emendabat *maris ſui*, id eſt *maris Caſpii.* Verùm perperam, ut obſervavit Ryckius. Tunc enim via fuiſſet difficillima; nec Parthorum cuſtodias vitaſſent Hyrcani. Contrà verò Româ regreſſi, & ad litora maris Rubri deducti, longâ quidem viâ, ſed tutâ, patrias in ſedes remeavere.

CAP. XXVI. Legionibus citis] Mſ. Reg. *legionibus ſuis.*

Ob regem aversos animis] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *a rege animis.* In Mſ. Agr. *quod nobis alienos animis cognoverat.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *adverſos animis.* In hac tantâ varietate placet inducta a Puteolano emendatio, *averſos animis.* In mediis quibuſdam editionibus, *averſos animi.*

Imperium delectus] A Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. abeſt *delectus.*

Additum et præsidium] Mſſ. Flor. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *additum etiam.*

Et quo facilius] Mallent Freinſhemius & Ryckius, *equitum alæ, quò faciliùs regnum tueretur. Pars Armeniæ*, &c. Certè probabilis conjectura. Nihil tamen in vulgatâ ſcripturâ repugnat. Pro *tueretur*, in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *tuerentur.*

Pharasmani Polemonique] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe corruptè, *pars Armeniæ eunt cuique finitima pars impulique & Ariſtobolo atque Antiocho parere juſſi ſunt.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. pro *pars impulique*, *pars nipulique.* Emendavit Puteolanus, *pars Armeniæ*

ut cuique finitima pars Nipolique, & Ariſtobolo atque Antiocho parere juſſæ ſunt. Suſpicabatur Lipſius pro *pars Nipolique* legendum fortè *Thraſcypolique.* Feliciùs divinavit J. F. Gronovius, *pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharaſmani, Polemonique, Ariſtobulo atque Antiocho parere juſſæ ſunt.* Hæc enim cum veteris ſcripturæ reliquiis, Taciti mente, locorum & rerum ſitu ita concordant, ut de emendationis veritate ne minima quidem haberi poſſit dubitatio. Pharaſmanes, Iberiæ rex, Romanorum ſtudioſus, Armeniis infenſus, ut dictum eſt ſuprà Annal. XIII, 37, Septemtrionalem Armeniæ partem obtinuit. Polemo II, rex Ponti Polemoniaci, a Dione memoratus libr. LIX. pag. 649, Armeniæ partem, Septemtrionem inter & Occidentem poſitam habuit. Tuncque cuſi nummi ab Harduino, *Selecta Opera*, pag. 636, laudati. ΕΤΟΥΣ ΚΓ, id eſt *anno* 23. Caput Neronis radiatum. In poſticâ parte ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ, caput Polemonis diadematum. Alius eſt ejuſdem Polemonis nummus cum ærâ ΚΔ, id eſt anno vigeſimo quarto. Poſtea Polemo regnum Ponti Neroni conceſſit, teſte Suetonio in Ner. XVIII. Occidentali Armeniæ parte aucti ſunt Ariſtobulus, qui Armeniam minorem jam antè acceperat, ut vidimus ſuprà Annal. XIII, 7; & Antiochus, rex Commagenes, de quo multa Annal. XII, 55. XIII, 7. Ob Armeniæ partem Antiochi regno additam, Armeniacam tiaram in ejus nummis fuiſſe expreſſam meritò obſervat Cl. Pellerin, *Recueil de Medailles de Rois*. pag. 126. Jam Sophenen potiebatur Sohemus, ut vidimus Annal. XIII, 7.

In Syriam abscessit] Bene Lipſius & Recentiores, *abſceſſit.* In Mſſ. & veteribus editionibus, *acceſſit.*

CAP. XXVII. Jus coloniæ] Anno Urbis conditæ DLX, jus coloniæ habuiſſe Puteolos teſtatur Livius XXXIV, 45. Vide & Capacium, Hiſt. Neapolit. pag. 715 & 716. At cùm coloniæ in municipii ſtatum aliquando redigerentur, ut accipimus ex Gellio XVI, 13, id experti videntur Puteoli. Iterum enim coloniam deduxit Auguſtus, quæ *colonia Auguſta* appellata eſt, Frontin. de coloniis. Novum, aut fortè amplius coloniæ jus & cognomentum a Nerone demum adipiſcuntur; ita ut primò *Puteoli, colonia Dicæarchia dicti* ſint, Plin. III, ſect. 9: deinde *colonia Auguſta:* ac denique *colonia Neroniana.* Sic in nummis COL. A. A. PATRENS. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis*, poſtea dicta eſt COL. NER. PATREN. *Colonia Neroniana Patrenſis.* Inutilis ergo Pighii emendatio, *Puteoli novum jus coloniæ.*

Veterani] Veterani illi, *neque conjugiis ſuſcipiendis, neque liberis alendis ſueti*, milites ex veteri uſu cælibes adhuc fuiſſe probant. Iis quidem, aliquot antè annis, Claudius, *quia ex legibus uxores habere non poterant, maritorum jura conceſſerat;* τοῖς τε στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύνατο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε, Dio, LX. pag. 681. Primus Severus, ut militibus, quorum

ope imperium erat adeptus, gratificaretur, uxores aliaque plurima, militari diſciplinæ contraria, indulſit, teſte Herodiano, libr. III. pag. 229. Ἄλλο τε πολλὰ συνεχώρησεν ἃ μὴ πρότερον εἶχον. Καὶ γὰρ τὸ σιτηρέσιον αὐτοῖς (στρατιώταις) πρῶτος ηὔξησε, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε, γυναιξί τε συνοικεῖν· ἅπερ ἅπαντα σωφροσύνης στρατιωτικῆς, καὶ τοῦ πρὸς τὸν πόλεμον εὐσταλοῦς τε καὶ ἑτοίμου ἀλλότρια ἐνομίζετο. *Alia permulta indulſit quæ numquam antea acceperant. Nam & frumenti ſummam primus adauxit, & aureis annulis uti & domi habere mulierem permiſit: quæ omnia procul a militari diſciplinâ, ſuccinctos eos paratoſque ad bellum minimè præſtitura videbantur.* Multò tamen ante Severi tempora, ipsâque ferme Neronis ætate, nonnulli milites uxores habuere, ut docent tabulæ honeſtæ miſſionis a Galbâ datæ, quas exhibet Cl. Muratori, *Theſaur. Inſcript.* Tom. I. pag. CCCVI. & accuratiùs Cl. Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. III. pag. 144.

SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVGVSTVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT COS. DES. II

VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. LEGIONE I. ADIVTRICE. HONESTAM. MISSIONEM. ET. CIVITATEM. DEDIT. QVORVM NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. ET CONVBIVM CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST CIVITAS. IIS DATA. AVT. SI. QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS POSTEA DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. &c.

Sic aliæ duæ tabulæ apud eumdem Muratori, loc. cit. Ejuſdem generis eſt alia tabula, Domitiani ætate ſcripta, & a Grutero pag. DLXXIV, num. 5, poſtea a Cl. Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 69. diligentiùs edita.

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR. PERPETVVS P. P.

PEDITIBVS. ET. EQVITIBVS. QVI. MILITANT. IN. COHORTE III. ALPINORVM. ET. IN. VIII. VOLVNTARIORVM. CIVIVM. ROMANORVM. QVI PEREGRINAE. CONDICIONIS. PROBATI. ERANT. ET. SVNT IN DELMATIA. SVB. Q. POMPONIO. RVFO. QVI QVINA. ET. VICENA. STIPENDIA. AVT. PLVRA MERVERVNT. ITEM. DIMISSO. HONESTA. MISSIONE. EMERITIS STIPENDIIS. QVORVM. NOMINA SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST CIVITAS IIS DATA. AVT. SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS POSTEA DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. &c.

Ex iis tabulis multa obſervatu digna accipias. Ac primò quidem, licèt ex veteribus reipublicæ Romanæ inſtitutis ſoli cives Romani in legiones forent recipiendi, ab hac diſciplinæ integritate ſub Principibus ac maximè poſt Claudii tempora, diſceſſum eſt, & multi peregrinæ conditionis lecti ſunt. Secundò nonnulli milites iis temporibus uxores habebant quibuſcum matrimonium iis erat, non verò conubium. Hæc enim differunt. Matrimonium enim erat uxoris jure gentium ducendæ facultas. *Conubium* autem, teſte Ulpiano, Tit. V. de his qui in poteſtate ſunt. Leg. 3, *eſt uxoris* jure Romano *ducendæ facultas.* Et, ut docet idem Juriſconſultus, ibid. Leg. 4, *Conubium habent cives Romani cum civibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis ita, ſi conceſſum ſit.* & Leg. 8, *Conubio interveniente, liberi ſemper patrem ſequuntur: non interveniente conubio, matris conditioni accedunt; excepto eo, qui ex peregrino & cive Romanâ peregrinus naſcitur: quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet.*

Tertiò, cùm in variis regionibus mulieres a militibus ſumerentur, jus conubii tributum eſt dumtaxat cum *ſingulis & primis uxoribus*, ut accipimus ex Philipporum Imperatorum tabulâ, quam publicavit, & peculiari epiſtolâ illuſtravit Cl. Scipio Maffeius: hanc quoque edidit Cl. Muratori, *Theſaur. Inſcriptionum*, Tom. I. pag. CCCLXII.

IMP CAES M IVLIVS PHILIPPVS PIVS
FEL AVG PONT MAX TR POT V COS III PP PROCOS
IMP CAES M IVLIVS PHILIPPVS PIVS FEL AVG
PONT MAX TRIB POT II COS II PP
NOMINA MILITVM QVI MILITAVER. IN CO
HORTIBVS PRAETOR. PHILIPPIANIS DECEM
I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. PIIS VINDICIBVS
QV. IPII (lege QVI PIE) ET FORTITER MILITIA FVNCTI SVNT
IVS TRIBVIMVS CONVBII DVMTAXAT CVM
SINGVLIS ET PRIMIS VXORIBVS VT ETIAM
SI PEREGRINI IVRIS FEMINAS IN MA
TRIMOMIO SVO IVNXER. PROINDE LIBE
ROS TOLLANT AC SI EX DVOBVS CIVIBVS
ROMANIS NATOS AD VII ID IAN
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL AVG III ET
IMP M IVLIO PHILIPPO PIO FEL AVG II COS
COH VIII. PR. PHILIPPIAN. PV
M. BRAETIO. M. F. IVSTINO
SABATIN. MANTVA.
DESCRIPT ET RECOGNIT EX TABVLA AEN QVEFIX
EST ROM IMMVR. POSTEMPLVM DIVI AVG AD
MINERVAM

Id

Id eſt *deſcriptum & recognitum ex tabulâ æneâ quæ fixa eſt Romæ in muro poſt templum divi Auguſti ad Minervam.* Pars una tabulæ, cui inſcripta erant nomina militum, periit. In alterâ ſuperſtite apparent adhuc veſtigia, quibus compertum quoſdam fuiſſe oriundos LAVDIC. ALABAN. PHILADEL. NICOMED. id eſt *Laodiceâ*, *Alabandâ*, *Philadelphiâ*, *Nicomediâ.*

Nunc verò, ut ad veteranos Tarentum & Antium adſcriptos revertar, haud mirum eos, Tarentum & Antium colonias aſpernatos, dilapſos eſſe in provincias, in quibus ſtipendia expleverant; cùm, præter cauſas a Tacito allatas, militaris diſciplina ita foret corrupta, ut in quibuſdam exercitibus veterani *non ſtationem*, *non vigilias*, inirent; *vallum foſſamque quaſi nova & mira viſerent; ſine galeis, ſine loricis, nitidi & quæſtuoſi, militiâ per oppida expletâ;* ſicuti vidimus ſuprà Annal. XIII, 35. Quâ adhuc licentiâ uterentur in provinciis dicetur infrà cap. 31.

Non videtur tamen tot Antio dilapſos, ſi quidem, teſte Suetonio, in Ner. IX. *Antium coloniam deduxit, adſcriptis veteranis e prætorio, additiſque per domicilii tranſlationem ditiſſimis primipilarium, ubi & portum operis ſumptuoſiſſimi fecit.* Si fides haberi poſſet Goltzio, præter prætorianos, miſſos quoque veteranos legionis IV dicerem. Nam Neronis nummum, pag. 237. affert, cum inſcriptione, COL. ANTIAT. LEG. IIII. ITALICA.

SUI CUJUSQUE ORDINIS] Ita Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Perperam in mediis quibuſdam, *ſuis.*

CAP. XXVIII. AD SENATUM PROVOCAVISSENT] Olim, cùm vigeret libertas, a magiſtratu ad populum fuit provocatio: poſtea appellatum eſt ad Principem, qui ſummâ rerum potiebatur. Auguſtus *appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum prætori delegavit Urbano: at provincialium, conſularibus viris, quos ſingulos cujuſque provinciæ negotiis præpoſuiſſet*, Sueton. in Aug. XXXIII. Eas Caius Caligula M. Silano delegabat, ut vidimus in Supplemento Annal. VII, 23. Sub Claudii Principatu & Neronis initiis invaleſcente ſenatu, factæ a judicibus ad ſenatum appellationes; quem patrum honorem auxit Nero, ſtatuitque ut ii, qui ad ſenatum provocaviſſent, idem pecuniæ pignus interponerent, ac ii, qui Imperatorem appellabant. Quod antea vacuum, ſolutumque pœnâ fuerat; & fuit deinceps, cùm cautionem ſuſtulit Diocletianus, ut videre eſt in Cod. libr. VII. Tit. 62. *de Appellationibus.* Leg. 6. Majorem adhuc ſenatûs auctoritatem fecit Hadrianus, quo auctore, *appellari a ſenatu* non potuit Princeps, Digeſt. libr. XLIX. Tit. 2. *A quibus appellari non licet.* Leg. 1. ex Ulpiano. Videtur autem in tertiam partem æſtimatæ litis datam fuiſſe cautionem. Sic enim Paulus, Recept. Sentent. libr. V.

Tit. 33. leg. 7. *Aſſertor, ſi provocet, in ejuſmodi tertiam cavere debet, quanti cauſa æſtimata eſt.*

VIBIUS SECUNDUS] Vitiosè in Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *Julius Secundus.*

VIBII CRISPI FRATRIS OPIBUS ENISUS] Bene Mſ. Corb. *opibus.* Sic quoque reperiſſe ſe quibuſdam in libris teſtatur Lipſius. Ita emendaverat Pichena, e Mſ. Flor. in quo corruptè *friſoribus.* Et ex alio recentiore Mſ. in quo, *opibus.* In Mſſ. Bodl. Bud. Guelf. *ſororibus.* Vox deerat in editione principe. Suppleverat Puteolanus *favore.*

CAP. XXIX. CÆSONIO PÆTO] Cæſonium Pætum eumdem eſſe ac Cæſennium Pætum, de quo infrà Annal. XV, 6. falsò credidere Freinshemius, Lipſius, ipſeque Joſeph Scaliger auctor indicis Gruteriani. Eorum diverſitatem egregiè probavit Ryckius ex duabus inſcriptionibus, quarum altera apud Gruterum, pag. LXII. num. 7.

PETRONIO TURPILIANO
ET CAESONIO PAETO COS.

Altera, ibid. pag. LXIV, num. 9.

P. CALVISIO RVSONE
L. CAESENNIO PAETO COS.

PETRONIO TURPILIANO] Hoc conſule lata lex Petronia, de quâ Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 8. ad legem Corneliam de Sicariis & veneficiis. Leg. 11. ex Modeſtino. *Poſt legem Petroniam, & ſenatuſconſulta ad eam legem pertinentia, dominis poteſtas ablata eſt ad beſtias depugnandas ſuo arbitrio ſervos tradere. Oblato tamen judici ſervo, ſi juſta ſit domini querela, ſic pœnæ tradetur.* Percelebre quoque ſenatuſconſultum Turpilianum, quo tergiverſatores & quaſi tergiverſatores, id eſt ii, qui accuſationem intentatam deſtituunt, vel morâ ſuâ inutilem reddunt, damnantur quinque librarum auri, *Gallicæ monetæ librarum* 4725, præter infamiam. Miror Tacitum has leges ſiluiſſe.

NEQUE A. DIDIUS] In Mſ. Reg. & editione principe, *neque Adjutus.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *Halutus.* Puteolanus perperam emendavit *Avitus.* Lipſius & Erneſtus meritò obſervavere legendum *A. Didius*; idque evicit Cl. Bimard de la Baſtie, in diſſertatione, *de vitâ, rebus geſtis, & nummis T. Didii conſulis & gente Didiâ*, pag. 19. Idem enim omnino eſt hic A. Didius qui ſuprà memoratur Annal. XII, 40. & infrà in Vitâ Agricolæ, XIV. Mox Erneſtus e Mſſ. Flor. Guelf. & editione principe reſtituit *Veranius.* Sic quoque Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. Aliis *Verannius.*

SILURAS POPULATUS] Optimè emendavit Lipſius *Siluras*, ut patet ex Annal. XII, 40. Vitiosè in Mſſ. Reg. Harl. Jeſ. & editionibus veteribus, *ſilvas.*

SUPREMIS TESTAMENTI VERBIS] Gloſſematium eſſe *verbis* putat Lipſius. Acidalius etiam omitti vult, *teſtamenti*. Vulgatum non immeritò ſanum putat Erneſtus. In editione principe, *ſupremi*.

SUBJECTURUM EI PROVINCIAM] Bene Mſ. Flor. Ita & volebat Lipſius. Perperam in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *provincias*.

NAVESQUE FABRICATUR] Mſſ. Reg. Jeſ. & editio princeps, *fabricantur*. Puteolanus & Recentiores, *fabricatur*.

ADVERSUS BREVE ET INCERTUM] Ita Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps. Puteolanus & Recentiores *adversùs breve littus & incertum*. *Littus* abeſſe a libris ſuis teſtatur Lipſius, omiſſumque meritò volebant Muretus & Acidalius. Sic enim ferme Tacitus infrà Annal. XV, 12. *Quà proximum & commeatibus non egenum, regionem Commagenam, exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Breve*, id eſt ſcatens brevibus. Sic Pontus Euxinus *brevis* appellatur a Melâ I, 19.

PEDES EQUITESQUE] Ita Mſſ. Reg. Flor. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pedites*.

VADO SECUTI] In Mſ. Reg. & editione principe, *vados ſecuti*. At error videtur librariorum, licèt Salluſtius, Hiſt. I. *Facilem vadum* dixerit. Mallent Gronovius, & Erneſtus, *vada*. At æquè dicitur, *vado*. Sic Cæſar, de Bell. Gallic. I, 6. *vado tranſitur*.

CAP. XXX. QUÆ VESTE FERALI] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & Erneſtus. Sic quoque Mſ. Harl. in margine. Puteolanus omiſit, *quæ*.

PERCULERE MILITES] Malè in Mſ. Corb. *perpulere*. Pichena e Mſ. Flor. edidit, *milites*; quem ſunt ſecuti Gronovius uterque & Erneſtus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *militem*.

IMPOSITUM VICTIS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. Rhenanus, aliique eum ſecuti, *vicis*.

CAP. XXXI. PRASUTAGUS] Mſ. Reg. & editio princeps *Phraſuragus*. Emendatum quoque ſecundâ manu in Mſ. Harl. *Praſuragus*. In Mſ. Corb. *Phraſucagus*. Pro *Icenorum* corruptè vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *Igenorum* vel *Tigenorum*.

LONGA OPULENTIA] Mallet Lipſius, *longè*. At bene *longâ opulentiâ*, id eſt diuturnâ, ut multis jam obſervatum.

REGNUMQUE ET DOMUM] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus omiſit, *que*.

UXOR EJUS BOUDICEA] *Ejus* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Omiſit quoque Puteolanus. Reperitur in Mſſ. Flor. Corb. Guelf. editione principe & recentioribus. In reginæ nomine variant multùm libri ſcripti & editi. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. appellatur *Booditia*. Infrà cap. 35.

in iiſdem Mſſ. Harl. Jeſ. vocatur *Boudicea*: in Mſ. Bodl. *Boodicea.* Sic & Puteolano cap. 31. *Boodicia*, & cap. 35. *Boudicea*; & in vitâ Agricolæ *Voadica.* Dioni, libr. LXII. pag. 701. Βουδουίκα. Gildæ, *Boadica.* In Mſ. Vatic. 1863. *Bouducca.* In Mſ. Vatic. 1864. *Bonducca.* In Mſ. Vatic. 1958. *Boudicea.* Quam ſcribendi rationem ſum ſecutus, ut probatam magis. Sic Cl. Gordon, *Firſt of all Boudicea*, &c. Eruditus Bouteroue, *Recherches curieuſes des Monnoies de France*, pag. 67. nummum æreum hujus reginæ, ut videbatur, publicavit. Ex unâ parte, caput feminæ cum torque, cæſarie gemmis revinctâ: ex alterâ, equus decurrens: ſupernè & infernè, duæ parmulæ, quas Tacitus, Vit. Agr. XXXVI, *cetras* appellat: inſcriptio BOOTIKA. Eumdem memorat Cl. Spanheim, *de Præſtant. Numiſmat.* Tom. I. pag. 557. At Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de peuples & de villes*, Tom. I. pag. 34. ſuſpicionem de hoc nummo movet. Alium profert cum viri capite, & inſcriptione POOCTIKA: in parte poſticâ, leo decurrens, infrà ROVECA.

AD REBELLATIONEM] Ita Mſſ. Flor. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *rebellionem.*

SERVITIO FACTI] Sic Mſſ. Reg. Flor. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *aſſuefacti.* Mſ. Agr. *fracti,* quod elegantius videtur. *Sueti* quoque conjiciebat Cl. Erneſtus.

QUASI ARX ÆTERNÆ DOMINATIONIS] Bene Freinshemius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *quaſi ara*: unde tentabat Lipſius, *arra.* Verè Cl. Gordon, *as the bulwark of a domination eſtabliſhed over them without end.*

CAP. XXXII. IN FURORE TURBATÆ] Præpoſitio *in* abeſt a Mſ. Agr. Mallet Faernus, *in furorem.* Vulgatum ferri poteſt, ſi intelligas, *feminæ*, *furore actæ*, *turbatâ mente.*

IN ÆSTUARIO TAMESÆ SUBVERSÆ COLONIÆ] Optimè Pichena e Mſ. Flor. Corruptè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *in æſtuario notam eſſe ſubverſæ coloniæ*, vel *in eſtumootam eſe ſub ver coloniæ.*

JAM OCEANUM . . . EFFIGIES RELICTAS . . . TRAHEBANT] Perperam in Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *jam oceanus.... effigies relictæ . . . trahebantur.*

ET IMPEDIENTIBUS] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *inobedientibus.*

OCCULTE REBELLIONIS CONSCII] Mſſ. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *occultæ.* At occulta non erat rebellio: ſed *occultè* erant conſcii. Unde error eſt librariorum, aut editorum, qui *occultæ* pro *occultè* poſuere. Lipſius jam edidit *occultè.* In Mſſ. Flor. Guelf. editione principe & recentioribus, *occulti rebellionis conſcii*; quod omnino durum, ac minimè Cornelianum eſt. Erneſtus omitti vellet, *conſcii.* Certè ele-

ganter diceretur, *occulti rebellionis.* Verùm nefas omittere *conſcii* in tanto librorum conſenſu. Bene Cl. Gordon, *fruſtrated in their meaſures by ſuch as were ſecret accomplices in the revolt.*

VALLUM PRÆDUXERUNT] Editio princeps, *præduxere.* Puteolanus, *produxerunt.*

MOTIS SENIBUS] Vellet Faernus, *amotis*: Heinſius, *ſubmotis*, vel *remotis.* At eodem ſenſu dicitur, *motis.* Sic infrà cap. 60. *movetur* pro *amovetur*, ut rectè obſervat Erneſtus.

PETILIO CERIALI] Malè editio princeps, *Petio.* Puteolanus, *Peto.* Hic eſt Petilius Cerialis, de quo ſæpe infrà, maximè in libris Hiſtoriarum.

CAP. XXXIII. ET COMMEATUUM] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *commeatu.*

PRÆSIDIISQUE MILITARIUM] Corrigebat Muretus, *militum.* Veriùs Pichena, *militaribus*, ut infrà cap. 45.

UBERRIMUM SPOLIANTI] Optimè Mercerus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ſpoliant.* Tentabat Gronovius, *ſpoliatu.*

DEFENDENTIBUS INTUTUM] Bene Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *deferentes in tutum læti prædas.*

ALIORUM SEGNES] Optimè adhuc Mercerus. Fruſtra Lipſius, *laborum ſegnes.* Vitioſè in Mſſ. & editionibus veteribus, *aliorum inſignes.* Tacit. infrà Annal. XVI, 14. *occaſionum non ſegnis.*

CECIDISSE CONSTITIT] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *occidiſſe.*

REDDITURI SUPPLICIUM] Fruſtra Lipſius, *reddituris.* Heinſius, *redditum.* Eleganter dictum, *reddituri.*

PRÆREPTA INTERIM ULTIONE] In Mſ. Jeſ. *præceptâ*, ut volebat Heinſius. In Mſ. Corb. *prætextâ.* In Mſ. Vatic. 1864. *prætentâ.* Vulgatum loco aptius videtur.

CAP. XXXIV. VEXILLARIIS VICESIMANIS] Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *viceſimariis*, aut *vigeſimariis. Viceſimanorum* meminit ipſe Tacitus infrà cap. 37. Meritò ergo Acidalius, & Recentiores emendavere, *viceſimanis.*

LEVIS CIRCUM ARMATURA] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *levi.*

CAP. XXXV. TESTABATUR] Longiſſimam Dionis orationem hìc exſcribam, quòd non a Tacito tantùm, ſed & ab aliis Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus nonnulla mutuatus videtur. Græcis tamen abſtinebo ne in immenſum creſcat hæc nota. Dio, LXII. pag. 701 & ſeqq.

Bunduica, torque aureo inſignis, induta ſtolâ, variis coloribus diſtinctâ, craſſâque chlamyde, haſtam tenens, ita allocuta eſt.

Oratio Boudiceæ ex Dione, qui eam *Bunduicam* appellat.

Experientiâ noſtis quantùm libertas antecellat ſervituti. Proinde ſi quis veſtrûm antehac ignorans, utra melior eſſet, pellicientibus Romanorum promiſſis deceptus fuit; nunc quidem certè utramque experti, quàm graviter erratum a vobis ſit didiciſtis, quòd externam dominationem, ſponte ſuſceptam, patriæ moribus & inſtitutis antepoſuiſtis. Intellexiſtis profectò quantùm ſervili opulentiâ præſtet libera paupertas. Quid tam turpe, tam miſerum, quod, ex quo tempore Britanniam novere, non ſimus paſſi? Nonne plurimis maximiſque poſſèſſionibus penitus privati, de ceteris tributa pendimus? Nonne, præterquàm quòd ipſis paſcimus, ipſis aramus, annua adhuc noſtrorum corporum tributa præſtamus? Quantò meliùs foret ſemel in ſervitutem vendi, quàm inani libertatis nomine quotannis redimi? Quantò optabilius perire magis, quàm tributaria ſemper circumferre capita? Quin immo! Apud eos ne mori quidem gratìs datur. Noſtis quantum pro ipſis mortuis nobis ſit ſolvendum. Apud ceteras gentes ſervos ipſos mors in libertatem vindicat, ſolis Romanis mortui, ad lucra ſuperſtites, vivunt. Nos, nos ipſi, ſi quis argentum non habet (quomodo autem, & unde haberet) exuimur, ſpoliamur, ut ii qui trucidantur. Quis in poſterum modus, cùm tales jam injuriæ? licèt omnibus ſit inſitum vel feras, recèns captas, blanditiis delinire. At nos malorum noſtrorum, (ut verum loquar) auctores fuimus, qui eos in hujus inſulæ imperii partem venire ſivimus; qui non eos ſtatim, ut Julium illum Cæſarem *expulimus; qui non iis, ut Auguſto & Caio Caligulæ, navigationem vel tentari periculoſum eſſe oſtendimus. Nos igitur tantam inſulam, vel potiùs continentem quodammodo circumfluum, velut ſeparatum orbem terrarum habitantes, adeóque Oceano a ceteris gentibus disjuncti, ut alias terras, alio ſub cœlo incolere videamur, quorum nomen ne ſapientiſſimis quidem eorum antè cognitum ſatis fuit: nunc contempti conculcatique ſumus ab iis hominibus, qui nihil aliud norunt, quàm ſuis inhiare lucris. Quamobrem, o cives, amici, & propinqui (nam ego nos omnes, cùm eamdem inſulam habitemus, & commune nomen habeamus, propinquos puto) nunc certè, dum adhuc libertatis memoria ſupereſt, præſtemus officium, antè neglectum; ut non ſolum libertatis nomen, ſed rem quoque, poſteris relinquamus. Quòd ſi nos felicitatis, in quâ ſumus educati, prorſus obliviſcamur, quid poſteros, quippe enutritos in ſervitute, facturos eſſe ſperemus?*

Neque verò hæc dico, ut præſentem rerum ſtatum odio habeatis (odiſtis enim); neque ut ea, quæ nobis eventura ſunt, metuatis (jam enim metuitis): ſed ut vos laudibus afficiam, quòd per vos ipſi omnia, quæ neceſſaria eſſe videntur, facere ſtatuatis: ut gratias agam, quòd mihi atque vobis ipſis prompti

opem feratis. Nequaquam verò metuendi vobis Romani ſunt: quòd neque plures ſunt numero, quàm nos, nec fortiores. Argumento eſt, quod illi galeis, thoracibus, tibialibus tecti ſunt, & præterea vallis, mœnibus, & foſſis muniti, ne quid amplius ex incurſu hoſtili ipſis damni accidat. Malunt enim his ipſis rebus uti præ formidine, quàm expeditè quid, more noſtro, in hoſtem agere. Nimirum ea fortitudinis abundantia in nobis eſt, ut tentoria noſtra muris eorum tutiora, & ſcuta omni eorum armaturâ potiora putemus. Quâ ex re, ſi penes nos erit victoria, facilè eos capiemus: ſin vi nos propulerint, effugiemus. Quòd ſi ſtatuerimus nos aliquò recipere, in ejuſmodi nos paludes abdemus & montes, ut ab iis inveniri aut capi nequeamus. Illi verò gravitate armorum impediti, neque inſequi quemquam poterunt, neque ſe in fugam convertere. Quibus in rebus cùm multo nobis inferiores ſint, tum maximè quòd famem, ſitim, frigus, calorem perferre nobiſcum non poſſunt: umbrâ, tegumento, frumento ſubacto, vino, oleo, ita indigent, ut ſi quid eorum deficiat, pereant. Nobis autem quævis herba & radix, cibus eſt: quilibet ſuccus, oleum: omnis aqua, vinum: omnis arbor, domus. Præterea, hæc loca nobis quidem ſunt familiaria, & quaſi ſocia ad bellum gerendum, illis incognita & inimica: nos fluvios nudi & nantes tranſimus, illi ne navibus quidem facilè trajiciunt. Itaque, quod felix fauſtumque ſit, contendamus in eos confidenter, oſtendamuſque, eos, cùm lepores ſint atque vulpes, conari canibus & lupis imperare.

Hæc cum dixiſſet leporem e gremio dimiſit, ominis capiendi causâ: qui poſtquam auſpicatò cucurrit, univerſa multitudo lætantibus animis vociferata eſt. Tum Bunduica, manu ad cœlum porrectâ, ait: *Gratias ago tibi, Andraſte, teque mulier mulierem invoco, non bajulis Ægyptiis imperans, ut Nitocris; non Aſſyriis mercatoribus, ut Semiramis; (hæc enim jam a Romanis accepimus;) nec rurſum Romanis ipſis, ut paulò antè Meſſalina, pòſt Agrippina, nunc Nero, qui vir nomine, re ipsâ mulier eſt: id quod ex eo intelligi poteſt, quòd voce & citharâ canit, quódque ornatur muliebriter: ſed viris Britannis præfecta, qui non agros colere, non opifices eſſe, ſed bella gerere optimè didicerunt: qui cùm cetera omnia, tum liberos & uxores communes eſſe inter ſe putant: atque ideo & mulieribus hiſce imperans, quæ eamdem cum maribus virtutem exercent. Cùm igitur ego apud ejuſmodi viros atque feminas regnum obtineam, preces has tibi fundo, & peto abs te victoriam, ſalutem, libertatem, contra viros injurios, improbos, inſatiabiles, ſceleratos: ſi viri appellandi ſunt homines, qui calidâ lavantur, cibis lautè apparatis veſcuntur, merum bibunt, unguentis diffluunt, molliter cubant, cum pueris, atque iis exoletis, coeunt, citharœdo, & quidem malo, ſerviunt. Non mihi, obſecro, non vobis diutiùs imperet hæc Neronis, hæc Domitia; cantatrix Romanis dominetur: dignus eſt qui hujuſmodi mulieri ſerviat, cujus tyrannidem tam longo jam temporis ſpatio ſuſtinet. Tu verò, Domina, nobis ſemper ſola præſes duxque eſto.*

Dio hanc longam orationem ex Boudiceæ oratione Annal. XIV, 35; Britannorum querelis, in Vitâ Agric. XV; egregiâ Galgaci ora-

tione, ibid. XXX. conſarcinaſſe videtur. Hic tamen fuit exſcribenda, ob nonnulla, ut jam dixi, ab aliis Hiſtoricis accepta, nec horum temporum moribus indigna, licèt ſcriptoris vitio enervis ſit & elumba. Quæ verò ait Boudicea de mortuis, qui in Romanorum quæſtus evocarentur, intelligo de pecuniâ, quæ pro mortuis in Libitinæ cenſum ſolvebatur; fortè etiam de tributis, quæ anno, quo quis erat mortuus, ac fortè etiam, quod inclementius, quæ ad proximum alterum cenſum procuratorum avaritiâ ac libidine exigebantur. Annua autem corporum tributa ſunt cenſus capitis, *la Capitation.*

Andraſte verò, ſeu dea Victoria, quam Boudicea invocat, eſt fortè ipſa Aſtarte, cujus cultum vel Phœnices, vel ipſæ legiones Romanæ invexerant. De Aſtartes cultu in Britanniâ vide Cl. Stukeley, *The medallic hiſtory of M. Aurel. Valer. Carauſius Emperor in Brittain*, Tom. I. pag. 248. Egregiam inſcriptionem, inſigne cultûs monumentum, protulit. Tom. II. pag. 160.

ΑСΤΑΡΤΗС
ΒΩΜΟΝΜ.
ΕСΟΡΑСΤ
ΤΟΥΑΧΕΡΜ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Id eſt *Marcus Eſoraſt, filius Acherm, Aſtartes aram poſuit.*

Domitius Nero, per ironiam, & ob muliebria ſua ſtudia a Boudiceâ appellatur *Neronis, Domitia.*

Quæ verò de Nitocri & Semiramide memorantur, ea comprobat Tacitus in Vitâ Agric. XXI. *Principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre . . . apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars ſervitutis eſſet.* Anno 1700, in Staffordiæ comitatu, aureus torques repertus, quem Boudiceæ fuiſſe opinatur Cl. Leigh, *The natural hiſtory of Lancaſhire.* Libr. III. pag. 64.

Consectum verberibus] Ita Mſſ. Jeſ. Corb. & Puteolanus. In Mſſ. Flor. Reg. Guelf. editione principe & recentioribus, *confectum*, quod haud æquè elegans. Horat. Epod. IV, 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad faſtidium.

Et Petronius in Satyric. *conſecuitque genas.*

Contrectatam] Mſ. Corb. *contactam.*

Tot millium] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. & editionibus veteribus, *militum.* Meliùs Recentiores, *millium.*

CAP. XXXVI. Qui, quamquam] *Qui* abeſt a Mſſ. Reg. Corb. & editione principe.

Sonores barbarorum] Ita Mſſ. Vatic. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Suprà Annal. IV, 48. Tacitus dixit, *ſonorem*

alterius

alterius prœlii; & Annal. I, 65. *læto cantu, aut truci ſonore.* Puteolanus, *ſonoras.*

Plus illic feminarum] *Illic* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe.

Paucos esse] *Eſſe* abeſt a Mſſ. Reg. Corb. & editione principe.

Quod modica manus] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *modicâ manu.*

Emissis pilis] Tot nummorum millia, tot anaglypha, tot monumenta legionarios cum ſuis pilis exhibent, tam brevis, tam dilucida, tam conſona militaris diſciplinæ legibus & exercitiis hæc pugnandi ratio a Tacito deſcripta, ut mirer hac de re difficultatem nuper fuiſſe motam. At noſtra ſemper cogitamus prœlia, quæ igne miſſilique ferro plerumque eminus conficiuntur. Reputemus olim pugnas lacertorum & corporum vi cominus fuiſſe confectas.

Certus eventus] Diſplicet *certus eventûs Suetonius.* Ob εὐφωνίαν mallem *certus eventu*; ſicque Mſſ. Reg. Agr. Bodl. Corb. & editiones veteres. Rhenanus primus edidit, *eventûs.* Haud tamen inſolens ablativus; eo uſus eſt Valerius Flaccus Argonaut. I, 366.

Deucalion certus jaculis, & comminus enſe
Nobilis Amphion.

CAP. XXXVII. Suggressus hostis certo jactu] Perperam hæc Pichena ad hoſtes refert, qui adversùs Romanos tela exhauſere: & cùm pauci ceciderint Romani, *incerto* emendat pro *certo.* Bene Cl. Gordon, *till the ennemy had advanced within arrow shot, and exhauſted all their darts.* Mox in Mſſ. Harl. Jeſ. *exhauſerant* pro *exhauſerat.*

Velut cuneo erupit] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè Rhenanus, *cuneus.*

Perfringit] Mſſ. Reg. Jeſ. & editio princeps, *perfringunt.*

Octoginta millia] Malè Mſſ. Bodl. Jeſ. Corb. *octingenta.*

Pœnius Postumus] Reineſius mallet, *Hœnius Poſtumus*, quòd T. Hœnius Severus conſul fuit anno U. C. dcccxciv. At Pœnius non ignotum nomen. Apud Gruterum pag. dcccclxix. num. 5. memoratur POENIA RVFA.

CAP. XXXVIII. Octo auxiliarium] Bene Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *auxiliariorum.*

Ferro vastatur] Erneſtus mallet, *vaſtatum.*

Omni ætate ad bellum versa] In Mſ. Reg. & editione principe, *ad bellum verſos.* Unde conjiciebat Erneſtus, *omni æſtate ad bellum verſos.* At potior vulgata ſcriptura. Apud barbaros viri, feminæ, omnis ætas ad bellum verſa.

In Urbem mandabat] Mſ. Jeſ. & editiones veteres, *in urbe.*

Nullum prœlio finem] Mallet Lipſius, *bello*, aut *prœliorum.*

Prospera ad fortunam referebat] Mſ. Reg. & editio princeps, *fortunæ ipſius.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. *ad fortunam ipſius.* Mſ. Flor. *fortunam ipſius.* Puteolanus, *ad fortunam reipublicæ.* Conjiciebat Gronovius, *imperii.* Bene in Mſ. Bodl. obelo notatum, *ipſius.* Redundat enim, repetitum ex ſuperioribus, *pravitati ipſius. Pravitati* autem dictum, ut apud Senecam, Phœniſſæ, Act. IV. Sc. I. verſ. 584.

Pone veſanos, precor,
Animi tumores, teque pietati refer.

CAP. XXXIX. Libertorum potentia] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. & editiones veteres, *libertinorum.* Meliùs Recentiores, *libertorum.*

Detentusque rebus] Totum hunc locum mirum in modum vexant, quòd ita interpungunt, *cuncta tamen ad Imperatorem in melius relata. Detentuſque rebus gerundis Suetonius, quòd pòſt paucas naves,* &c. Inde Faernus pro *detentus*, emendabat *demotus*, quod approbat Cl. Erneſtus. Gronovius pro *pòſt* volebat *poſtquam.* Fortè ex Mſſ. & veteribus editionibus meliùs interpungeretur: *cuncta ad Imperatorem in melius relata; detentuſque rebus gerundis Suetonius. Quòd pòſt paucas naves,* &c. Fruſtra Puteolanus addit, *qui quòd. Qui* abeſt a Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. Corb. & editione principe. In Mſ. Bud. *quòd perpaucas.* In Mſ. Agr. *pòſt quòd. Pòſt* hìc poſitum, ut apud Plautum, Aulular. Act. I. Sc. 4.

Quando illæc occaſio periit, pòſt ſerò cupit.

CAP. XL. Alterum Senatoris] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. In mediis quibuſdam, *ſenatoriâ.*

Domitius Balbus] Omnino diverſus a Domitio Tullo, de quo Plinius, VIII. Ep. 18. licèt eumdem eſſe ſuſpicatus ſit eruditus Reineſius.

Ei propinquus] Sic Mſſ. Flor. Guelf. Bud. Agr. Gronovius & Recentiores. Vitiosè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editione principe, *& propinquus.* Puteolanus, *ejus.*

Vincio Rufino] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè in mediis quibuſdam, *Vicio.* Quidam fruſtra tentant, *Vinicio.*

Tabulas iis] Optimè Lipſius, e Mſ. Vatic. in quo, *tabulaſiis*, ut in Mſ. Flor. reſtituit *tabulas iis.* Perperam in aliis Mſſ. & veteribus editionibus, *tabulariis* vel *tabularius*, *tabellarius* aut *tabellariis.*

CAP. XLI. Additur senatusconsulto] Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *ſenatuſconſultum.*

Vendidissetve] Mſ. Agr. *venditaſſet*, quod edidit Ryckius.

Perinde pœna . . . ac publico] Mſſ. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ut perinde . . . ac ſi.*

CAP. XLII. Sive amore] Puteolanus, *amori.* In Mſſ. editione principe ac recentioribus, *amore.*

Senatuque in ipso] Bene Lipſius. In Mſſ. & editionibus veteribus, *ſenatuſque in quo ipſe*, vel *ipſa*, vel *ipſo.*

Ex quis] Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quibus.*

CAP. XLIII. Nimio amore] Mſ. Corb. *uno amore.*

At quem] Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Guelf. *atque.* In Mſ. Reg. & editione principe, *ut quem.* In Mſ. Corb. *& quem.* Mallet Rhenanus, *ecquem.*

Cum præfectura Urbis non profuerit] In Mſſ. Guelf. Jeſ. *vel cui præfectura Urbis non profuit.* Mſ. Reg. & editio princeps, *cui præfectus Urbis non profuit.* Ita & Mſ. Corb. ſed vitioſè in eo *defectus* pro *præfectus.* In Mſſ. Harl. Bodl. *cui.* In Mſ. Bodl. *profuit.*

Pericula nostra avertit] Mſ. Reg. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. Corb. & Lipſius, *advertit.* J. F. Gronovius ex Taciti uſu conjiciebat, *quam ne in metu quidem pericula noſtra advertunt.*

CAP. XLIV. Et si nunc primum] *Si* abeſt a Mſſ. Reg. Jeſ.

Animum insumpsisse] Ita libri ſcripti & editi ante Rhenanum, qui edidit *ſumpſiſſe.* Ryckius & Recentiores reſtituêre, *inſumpſiſſe*; quo verbo ſæpe utitur Tacitus.

Excubias transiret] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *tranſire . . . recludere . . . inferre . . . patrare.*

Præveniunt. Servi si prodant] Hæc eſt veterum omnium librorum interpunctio, Recentioribus probata; quam malè mutavit Rhenanus, ut ederet, *præveniunt ſervi. Si prodant.*

Nam et ex fuso . . . strenui sortiuntur] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Corb. Bodl. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *Num & ex fuſo exercitu . . . etiam ſtrenui non ſortiuntur?* At fruſtra ſic emendatum. Bene Tacitus, *At quidam inſontes peribunt.* Intellige, *pereant. Nam & ex fuſo*, &c. Sic apud Tullium, ut optimè obſervavit Gronovius, in Verrem II, 29. *Dic*, *inquit: illi adeſſe non poſſunt. Nam hercule*, *inquit Q. Minucius*, *me quoque Petilius*, *ut ſibi in conſilio adeſſem*, *rogavit.* Ante *nam*, intelligendum *adeſſe non poſſum.*

CAP. XLV. Et saxa ac faces] Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres ante Rhenanum, qui omiſit, *&.* In Mſ. Reg. &

ſaxa & faces. Mox Puteolanus, *minante.* In Mſſ. *minitante.*

Cingonius Varro] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe *Cingoritus Barro*, vel *Varro.*

Per sævitiam intenderetur] Mſſ. Jeſ. Bodl. & editiones veteres, *incenderetur.* Bene Pichena & Recentiores ex conjecturâ Rhenani & Merceri, *intenderetur.*

CAP. XLVI. Qui accusatum] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelſ. *quia.*

Proconsulem ipsius] Mſ. Flor. *proconſule.* In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *proconſulem ipſi.*

Sextio Africano] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb.

CAP. XLVII. Eo anno] Mſ. Reg. *eodem anno.*

Addiderat] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *addiderit.*

CAP. XLVIII. Vulgavitque] In Mſ. Reg. & editione principe, *vulgatumque.*

Credebaturque] Hic locus in veteribus editionibus omnino corruptus: *Tum primùm revocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antiſtio, quàm Imperatori gloriam quæſivit, ut condemnatus a ſenatu, interceſſione tribuniciâ morti eximeretur.* Pejus adhuc editio princeps, & Mſ. Reg. pro *eximeretur* habent *exponeret.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ne condemnatus* pro *ut condemnatus. Ut* rectè additum margini Mſ. Harl. Sicque habet Mſ. Corb. Locum verò integrum reſtituit Jac. Gronovius: clara aptaque omnia ſi cum illo diſtinxeris: *Tum primum revocata ea lex. Credebaturque haud perinde exitium Antiſtio, quàm Imperatori gloriam quæri, ut condemnatus, &c.* Haud ita feliciter Mercerus & Muretus, *quâ haud perinde . . . quæreret.* Placebat Acidalio, *quæſiſſè*: Freinshemio, *gloria quæſita.* Probat Cl. Erneſtus, *quæſitam. Quæri* aptius videtur.

Quin in insula] Mſ. Agr. & Puteolanus, *inſulam.* Meliùs Mſ. Flor. editio princeps & recentiores, *inſulâ.*

Privatim miseriorem] In ſcriptis & editis libris, *miſerior.* Emendandum, *miſeriorem* monuere Muretus ac Lipſius; idque omnino poſtulat orationis ſeries, conſtans Taciti uſus, & vox *futurum*, quam in *futurus* mutatam fruſtra vult Faernus. In Mſ. Corb. *privatus* pro *privatim.*

CAP. XLIX. Servitium aliorum] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *ſilentium*; ſic quoque in margine Mſ. Bodl.

Datam etiam absolvendi licentiam] Mſſ. Flor. Reg. Corb. Guelf. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. &

Rhenanus, *datâ & abſolvendi licentiâ. Et* quoque in Mſſ. Reg. & Guelf. pro *etiam*: quâ in re ſæpiſſimè peccant librarii.

CAP. L. TALIUS GEMINUS] In Mſ. Reg. *Tullius*. Muretus mallet *T. Allius*. Certè in Inſcriptionibus veteribus frequens Alliorum nomen; rarum Taliorum aut Talliorum.

CAP. LI. IN SE TUMESCENTIBUS] Emendabat Muretus, *intumeſcentibus*. Multò elegantius foret, quàm *in ſe tumeſcentibus*. At ita libri omnes.

SPIRITUM FINIEBAT] Erneſtus mallet, *impedito meatu ſpiritûs, finiebat*. Ut ſuprà Annal. VI, 50. *Sic Tiberius finivit*.

PALATUM EJUS] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. In mediis omiſſum, *ejus*. Certè rectè abeſſet. Diſplicet enim *palatum ejus.... aſpectum ejus... deſiderium ejus*.

SCISCITANTI, HACTENUS, RESPONDISSE] Mſſ. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſciſcitantique*. Copula *que* abeſt a Mſſ. Flor. Reg. editione principe & recentioribus. Perperam vulgò hæc juncta, *ſciſcitantique*, vel *ſciſcitanti hactenus reſpondiſſe, ego me bene habeo*. Diſtinguendum *ſciſcitanti, Hactenus, reſpondiſſe, ego me bene habeo*, ſuadent ipſa narratio Scriptorumque uſus. Id jam monuerat Heinſius.

FLAGITIA ET ADULTERIA] Ita Puteolanus & ceteri omnes. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *flagitia ad ultima*; quod non ita ſpernendum. Nec enim probabile Tacitum ſcripſiſſe *flagitia & adulteria*, cùm in flagitiis adulteria contineantur. At fortè dixit *ad ultima*, utì ſuprà, Annal. XII, 22. *citra ultima*.

SOPHONIUM TIGELLINUM] Probroſi hominis vitam paucis complexus eſt vetus Scholiaſtes Juvenalis ad hunc verſum Satyr. I, 155.

Pone Tigellinum, tædâ lucebis in illâ.

C. Fulcinius, corrige *Sophonius* ex Tacito & Dione, *Tigellinus, patre Agrigentino, Scylaceum*, nunc Squilace dans la Calabre Ultérieure, *relegatus, juvenis, egens, verùm admodum pulcher, in concubinatum a Bincio*, corrige *Vinicio*; vide Stemma Cæſarum, num. 99. *& Lucio Domitio*, corrige *Cneio Domitio*; vide Stemma Cæſarum, num. 34. *maritis Agrippinæ & Fulviæ*, corrige *& Juliæ*; vide Stemma Cæſarum, num. 97. *Sororum Cæſaris*, corrige *C. Cæſaris*, id eſt *Caii Cæſaris*; vide Stemma Cæſarum, num. 86, *atque in utriſque uxoribus ſuſpectus, ob hoc Urbe ſummotus, piſcatoriam machinam exercuit: quoad, acceptâ hereditate, reditum ſub conditione impetravit, ut concubitu Claudii abſtineret. Quare ſaltibus in Apuliâ & Calabriâ comparatis, cùm ſtudioſius equos quadrigarios aleret, amicitiam Neronis nactus, primus illum ad ſtudium Circenſium movit. Mortuo autem Nerone, Galba Imperator, populo Romano depoſcente ſupplicium Haloti & Tigellini, ſolos ex omnibus Neronis emiſſariis, vel maleficentiſſimos, incolumes præſtitit: atque inſuper Halotum procuratione ampliſſi-*

mâ ornavit. Pro Tigellino etiam ſævitiæ populum edicto increpuit. Suprema & inhoneſta Tigellini fata videbimus infrà Hiſt. I, 72.

Atque illi pro cognitis] Ita Mſſ. Farneſ. Corb. Mercerus & editiones recentiores. In Mſſ. Reg. Vatic. & Puteolanus *Atque illi progenitis.* In Mſ. Agr. *quæ illi pro cognitis.* In Mſſ. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Jeſ. *Atque illi pro cognatis.*

Et intimis libidinibus] Mſ. Flor. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *& in intimis.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ex intimis.*

CAP. LII. Privatum supra modum] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *in privatum modum.* In mediis quibuſdam editionibus omiſſa præpoſitio.

Supergrederetur] Mſſ. Bodl. Guelf. *prægrederetur.* Mſſ. Harl. Jeſ. *pergrederetur.* Mſ. Corb. *congrederetur.*

Includere voces] Lipſius mallet, *vocem.*

CAP. LIII. Abavus tuus Augustus] Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *atavus.* Abavus enim Neronis Auguſtus, ut patet ex Stemmate Cæſarum, num. 35 & 43. Ipſeque Tacitus Annal. XIII, 34, Auguſtum Neronis abavum appellat.

Munificentiæ tuæ] Ita Erneſtus e Mſ. Agr. Sic quoque Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Tuæ* abeſt a veteribus editionibus.

Et quibus] Bene Gronovius e Mſ. Flor. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *& quibus.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *a quibus.*

Pecuniam circumdedisti] Ita Mſſ. Flor. Bud. Guelf. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *dediſti.*

Intra me ipse volvam] Bene Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. In mediis malè emendatum, *ipſum.*

Et longa decora] In Mſ. Corb. *longam curam.* In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *longa cura* : unde tentabat Gronovius *longa jura.*

Novitas mea enituit] In Mſ. Reg. & editione principe, *emicuit.*

Hortos instruit] Puteolanus & Recentiores. Suffragantur quoque Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *exſtruit.*

CAP. LIV. Invidiam augent] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *agent.* Alterâ manu emendatum, *augent.* Contrà in Mſ. Harl. primò ſcriptum *augent*, deinde *agent.* Volebat Gronovius, *alent.*

Jacent : sed mihi incumbunt] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. editiones veteres & recentiores. In Mſ. Corb. *incumbit*, unde quidam emendarunt, *jacet*, omnia ad invidiam referentes.

FULGORE PERSTRINGOR] Ita libri omnes. Mallet Cannegieterus, *præſtringor*; placetque Erneſto, quòd hæc verba in Mſſ. ſæpe confunduntur.

NIXUM FASTIGII REGIMEN] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Agr. & editione principe, *viſum faſtigii regimen*. Puteolanus emendavit, *nixum*. Vellet Grotius, *enixum faſtigio regimen*, id eſt *ad faſtigium enixum*.

QUIETE RESPONDERE] Mſ. Guelf. Puteolanus & libri omnes poſtea editi. In Mſſ. Vatic. Reg. Bud. & editione principe, *quietem*; quod fruſtra defendit Lipſius auctoritate Apuleii in Apolog. pag. 535. *Haſcine gratias bonus filius matri reſpondes*. In emendatioribus libris legitur, *rependis*. Meritò ſuſpicatur Erneſtus, *reſpondere*, oriri ex ſequenti verbo, *reſpondit*. Unde tentabat *quietem repetere*, vel *reſumere*. At magis mihi placet Petavii emendatio, *reſpicere*.

MODICA TOLERARENT] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *tolerarunt*. At in Mſſ. Harl. Guelf. emendatum alterâ manu, *tolerarent*.

CAP. LV. ABAVUS MEUS AUGUSTUS] Vulgò in ſcriptis & editis libris, *avus*. In Mſ. Bodl. *atavus*. Emendandum, *abavus*, ut jam dictum cap. 53.

QUIDQUID ILLUD ET QUALECUMQUE] *Illud* abeſt a Mſ. Reg.& editione principe.

ATTAMEN NEUTRUM] Mſ. Flor. *ac tamen*; ſic quoque placebat Mureto.

BELLO ET PERICULIS] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *bellis*. Ante, *bello*, Acidalius vellet, *at*; quòd objectio ſit. Omitti poteſt.

CAP. LVI. CLAUDIO POSTPONIS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Vitiosè in aliis ſcriptis & editis libris *præponis*, ut jam pridem monuit Lipſius.

SED QUANTUM VOLUSIO] Omnino emendandum, *vel quantum*, ut dixi ſuprà in Notis, aut *&*, uti volebat Acidalius. Repugnat enim *ſed*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. pro *ſed quantum* legitur *ſed ſi qua*.

IN TE MEA LIBERALITAS] Perperam in Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *mea libertas*.

ORNATUMQUE ROBUR] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inornatum*. Hinc divinabat Faernus, *innatum*.

INFAMIAM PARET] Mſſ. Flor. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *parit*. In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *parat*.

FACTUS NATURA] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. & editionibus veteribus, *facetus*.

CUM DOMINANTE] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *dominatione*. Mox *ſermonum* abeſt a Mſ. Reg. & editione principe.

CAP. LVII. Præsentia] Ita Puteolanus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Flor. Reg. & editione principe, *præſentiora*. In Mſ. Corb. *præſtantiora*. Ryckius e Mſ. Agr. *præſenti curâ*. Non diſplicet, *præſentiâ*, ut ſuprà in Notis explicavimus.

Nec minus suspectos] Mallet Lipſius, *ſuſpenſos*.

Relatum caput ejus] Mſ. Reg. editiones veteres & recentiores. In Mſ. Flor. *prælatum*. In Mſ. Agr. *perlatum*.

CAP. LVIII. Quia pluribus] Puteolanus, *quia a pluribus*.

Ac maris] Hæc abſunt a Mſ. Guelf.

Magnis tum] Mſſ. Flor. Corb. & editio princeps. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus, *tum magnis*.

Si clari atque insontes] Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps, *ut clari*. Sic quoque Mſſ. Bodl. Guelf. At poſtea emendatum *ne*. In Mſ. Jeſ. *ne*. In Mſ. Harl. *nec*. Mallet Erneſtus, *&*, *ſi clari*. *Et* omitti poteſt.

Nequiverint] Mſ. Corb. *nequiverunt*.

Transisse. Una hæc] In Mſ. Reg. & editione principe, *tranſiſſent. Una hæc*. Puteolanus, *tranſiſſe unà. Hæc*. Minimè probabile Tacitum ſcripſiſſe, *tranſiſſe unà*. At vel ſcripſerit *unà tranſiſſe*; vel potiùs *tranſiſſe*. *Vana hæc*. *Vana* jam olfecerat Boxhornius.

More famæ] Ita Mſſ. Flor. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *in ore famæ*.

Augebantur] Bene Recentiores ex conjecturâ Modii. In Mſſ. & editionibus veteribus, *agebantur*.

Otium, suffugium] Hæc meritò ſuſpecta habebat Lipſius. In Mſ. Agr. *ocii ſuffugium*. Emendabat Heinſius, *odii ſuffugium*: Freinshemius, *otium ſuffugiis*. Multò meliùs, &, ut opinor, verè eruditus Petavius, *otioſum ſuffugium*.

Magni nominis miserationem] Volebat Freinshemius, *& magni nominis miſeratione*.

Sexaginta milites] Mſ. Corb. *quadraginta*.

Tot enim adveniebant] Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *veniebant*.

Refertur... permeat] Vellet Cl. Erneſtus, *referretur . . permearet*. Hiſtoricè tamen dici poteſt, *refertur*, *permeat*.

Quæ ad usque bellum] Sic Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Agr. Guelf. & libri omnes editi. *Bellum* abeſt a Mſ. Jeſ. Rhenanus conjiciebat, *quoad uſque bellum evaleſceret*.

CAP. LIX. Opperiendæ mortis] Heinſius corrigebat, *oppetendæ mortis*, quod Stoicum magis.

Quin, inquit, Nero] Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *cur*. In Mſſ. Jeſ. Guelf. *quor*.

Hinc

Hinc fruſtra tentabat Gronovius, *Curre*, *inquit*, *Nero .... maturare para.*

Quamvis modeste agat] Eene Rhenanus. In Mſſ. & editionibus veteribus, *ageret.*

De cæde] Puteolanus, *de cædibus.*

Gravioribus tamen] Freinshemio diſplicet *tamen*: emendat *jam.*

CAP. LX. Eucerus] Mſ. Harl. *Euceras.* Poſtea emendatum, *Eucerus.*

Natione Alexandrinus] In Mſſ. & editionibus veteribus, *Alexandrinâ.*

Canere tibiis] Mſſ. Flor. Corb. *per tibias.* Unde conjiciebat Lipſius, *pares tibias.*

Et prædia] *Et* abeſt a Mſ. Flor. In editione principe, *prædiaque.*

His motus Nero] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. Mox pro *haud quaquam*, in Mſ. Agr. *an*: in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *tanquam*: in margine Mſ. Bodl. *haud quaquam*; ſuprà *quamquam. Quamquam* legitur quoque in Mſ. Corb. & editione principe. Puteolanus meritò emendavit, *haud quaquam.* Reſtitui ex Mſſ. *His motus Nero*, *haud quaquam.* Antea in libris editis, *his*, *haud quaquam Nero pænitentiâ*, &c. quod mutilum fractumque, nec ſine libris reſtituendum, jam viderat Lipſius.

CAP. LXI. Expetitur venerantibus] In Mſſ. Flor. Bud. Corb. & editione principe, *repetitum venerantium.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *repetitum venerantur.* Ryckius e Mſ. Agr. *expetitur venerantibus.* Grotius emendabat, *repetitur veneratio.* Harlæus, *repetitâ veneratione.* Gronovius, *repetitu venerantium.* Joſephus Nerius, quòd Nero Antii ſæpe diverſaretur, corrigebat, *repetitum venere Antium.* In hac tantâ errorum & conjectationum caligine Ryckium & codicem Agricolæ ſum ſecutus. Sic quoque Cl. Gordon, *And ſought to offer him in perſon their veneration and vows.*

Turbatos disjecere] Ita Puteolanus & ceteri omnes. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *turbam disjecere*; quod mihi magis arridet.

Et Poppææ] Sic Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus omiſere copulam.

A clientelis] Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *clientulis.*

Ea in pace ausi] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Mediæ quædam, *auſis.*

Malle populum Romanum] In Mſſ. Jeſ. Guelf. *mallet populus Romanus.* In Mſ. Harl. *malle populus Romanus.* Vitioſè in editione principe, *mallet populum Romanum.* Hæc non ſatis conſequentia eſſe exiſtimat Cl. Erneſtus; ſicque diſtinguendum & intelligendum arbitratur; *an*, *quia veram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit?* Immo *malle po-*

pulum Romanum, ſcilicet veram progeniem Cæſarum, *quàm tibicinis Ægyptii ſubolem imperatorio faſtigio induci.* Quod in Notis ſuprà explicavi, ſatis conſequens.

At, si desperent] Volebat primùm Lipſius, *an ſi deſperent?* Poſtea ſententiam mutavit.

CAP. LXII. In servo] Sic editio princeps & recentiores. Puteolanus, *in ſervitio.*

Elusa erat] Bene Recentiores ex conjecturâ Lectii. In Mſſ. & veteribus editionibus *eluſerat.* Sæpe in his peccant librarii.

Quia malorum facinorum] Optimè Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *graviorum.* At Tacito & Latinis auribus indignum, *graviore odio: quia graviorum facinorum.* Jam dictum ſuprà Annal. XII, 8. *At Agrippina ne malis tantum facinoribus noteſceret.*

Secessus amœnos promittit] *Promittit* deletum vellet Cl. Erneſtus. Vix tamen abeſſe poteſt.

Priorum flagitiorum] Bene Puteolanus. In editione principe, *judiciorum.*

CAP. LXIII. In spem sociandæ] Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *ſpe.* Mſſ. Bodl. Jeſ. *in ſpe.* Mſ. Corb. *in ſpecie.*

Edicto memorat] Bene Pichena. In Mſſ. & veteribus editionibus, *dicto.*

Recordatione allevabant] Malè Rhenanus, *elevabant*: alii, *levabant.*

CAP. LXIV. Ac puella] Puteolanus, *at*; quod Mureto placebat: placetque, & aptius videtur.

Vita exempta] Ita Mſſ. Flor. Agr. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *a vitâ.* Fruſtra Heinſius tentabat, *vitæ exempta.* Verbum illud cum ablativo, omiſſâ etiam præpoſitione, ſæpe conjungitur.

Morte acquiescebat] Heinſius frigidè emendabat, *morti. Morte* dixit ipſe Tullius pro Milone, cap. 37. *Ab iis, qui maximè P. Clodii morte acquierunt.*

Communesque Germanicos] Ita Mſſ. Flor. Agr. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *Communeque Germanici.*

Restringitur vinculis] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *vinclis.*

Atrocior sævitia] Gronovius fruſtra tentat, *atrociùs*: Heinſius, *atroci hoc ſævitiæ.*

Quod ad eum finem memoravimus ... habeant] Bene Puteolanus. Perperam in multis Mſſ. & editione principe, *quæ ... memorabimus ... habebant* vel *habebunt.*

CAP. LXV. Creditus est] Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *creditum eſt.* In Mſ. Bodl. *editum eſt.*

Pallantem] De Pallantis ſepulcro hæc habet P. Galeotti, *Fr. Ficoronii Gemmæ antiquæ litteratæ*, pag. 116, quæ ipſius verbis referam. Anno 1720, Clemente XI Pontifice, in DD. Columnenſium Veliternorum prædio ad viam Tiburtinam trans ædem S. Laurentii inventa cella ſepulcralis, in eâque vas perelegans ex Porphyrite. Intra illud oſſa humana quædam, unâque anulus ex auro factus pondo circiter quatuor argenteorum denariorum. Anuli gemma erat Sarda, in quâ Chimeræ effigies inciſa. Cellam hanc Pallantis, liberti, qui Claudio Imperatori fuit in primis carus, ſepulcrum fuiſſe Eques Paulus Alexander Maffeius contendit (*Aggiunta alle Gemme dell' Agoſtini*). Ceterùm vas torno ita excavatum, atque attenuatum eſt, ut minimi ſit ponderis; illudque Em. Alexander Cardinalis Albanus, nunc domi habet.

Sed improspera] Bene Puteolanus. In Mſ. Jeſ. *& improſpera.* Ita quoque emendatum in Mſ. Bodl. ubi primò ſcriptum, *ſed improſpera.* In editione principe, ſicuti in Mſ. Guelf. & quibuſdam aliis Mſſ. ſecundâ manu, *& improſpecta.*

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM DECIMUM QUINTUM
ANNALIUM.

CAP. I. DEFECTIONE HYRCANORUM] Malè Rhenanus, *diſſenſione.*

NOVUS INSUPER] Vitiosè in editione principe, *novis & inſuper.* Inde fruſtra tentat Cl. Erneſtus, *novæ inſuper.* In Mſ. Corb. *novus* &c.

EO CONTEMPTIONIS] Perperam in Mſſ. Reg. Jeſ. & editione principe, *contentionis.*

DOLOREM EORUM] *Eorum* abeſſe vellet Cl. Erneſtus; aut ſi retineatur, explicat *earum rerum.* Potiùs intelligendum de Vologeſe & primoribus gentium, ut dixi in Notis.

ET PROXIMA TRAHI, NISI DEFENDANT] Bene Acidalius & Erneſtus. Corruptè in Mſſ. & veteribus editionibus, *jam de Armeniâ conceſſum, proxima trahi: & niſi defendant Parthi, levius ſervitium,* &c.

AUT MODICE QUERENDO] Optimè Muretus; jamque ſic edidit Beroaldus. In Mſſ. veteribus ac recentioribus editionibus, *per ſilentium haud modicè querendo*: quod fruſtra tuentur Gronovius aliique eum ſecuti, multiplici eruditione probantes ſilentium omni voce loquacius eſſe. Bene quidem. At ſilentium, vel eloquentiſſimum, in voces non erumpit. Atqui hìc verba ſunt, nec pauca, Tiridatis. Verè Cl. Gordon, licet paulo longior, *Tiridates too, who was a fugitive from his kingdom; affected Vologeſes yet more grievouſly, whether he beheld the ſilent diſtreſſ of his brother, or heard his reſpectful complainings.*

DE ALIENIS] Emendatum in Mſ. Harl. *de alieno.*

CAP. II. ET CERTAMINA] Bene Rhenanus. In Mſ. Corb. & editione principe, *certamen in.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *certamen.*

TIRIDATIS EVINXIT] Mſ. Reg. *cinxit.*

EX MORE SECTATUR] Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ſectabatur.*

ARMENIA EXTURBARI] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *exturbat*: unde placet Erneſto, *exturbet*, vel *exturbare.*

POSITIS ADVERSUS] Rhenanus, *compoſitis.*

CAP. III. CERTIS NUNTIIS] In Mſ. Reg. & editione principe, *cunctis.*

Legiones duas] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ſuas.*

Vettio Bolano] Mſ. Flor. & veteres Inſcriptiones apud Gruterum. Perperam in aliis Mſſ. & veteribus editionibus, *Vetio*, aut *Vectio*.

Festinantius agerent] Puteolanus, *feſtinatiùs.*

Bellum habere] Ill. Huetius *bellum trahere*, vel *cavere* emendandum exiſtimabat. *Habere* retineri poteſt.

Acriore in discrimine] Mſ. Reg. & editio princeps, *acriori.*

Et quia egena] Fruſtra tentat Gronovius, *& quo egena*; quod tamen approbat Cl. Erneſtus.

Aedidit] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, quem ſecutus eſt Ryckius, *obdidit*, ſicque reperiſſe ſe in veteri libro ait Urſinus.

CAP. IV. Occupaverat Tigranocerta] Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *qui occupaverat.* Mſ. Reg. *Tigranocertam.*

Cæduntur] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *facilè cæduntur.*

CAP. V. Circumsideri] Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *circumſedere.*

Omitteret potius] Lipſius mallet, *ociùs*: Boxhornius, *protinus.*

Adiit regem] Erneſtus ex Mſ. Guelf. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *adit.*

Inopia] Malè Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *inopiam.*

Ambederat] Pichena, Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *abederat.* Mendosè in Mſ. Corb. & editione principe, *aberat.*

Aut frondosum] Mſ. Corb. *floridum.*

Metu abstruso] Mſ. Corb. *obſtruſo.*

Omittere Tigranocerta] Mſ. Corb. & editio princeps, *amittere*, quod probat Erneſtus. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *Tigranocertam.*

CAP. VI. Ac magnifica] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelſ. & Rhenanus. In Mſ. Reg. & editione principe duæ illæ voces deſiderantur. Puteolanus, *patrata magnificè extollebant.* Infrà cap. 26. *orditurque magnifica.*

CAP. VII. Legati Vologesis] Mſ. Corb. *Vologeſi regis.*

Funisulanus Vettonianus] Mſſ. Flor. Reg. Agr. editio princeps, in quâ tamen corruptè *Vetoianus.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud Guelf. & Puteolanus, *Fimiſulanus Vectonianus*, Puteolano *Vectoniarius.*

In Mſ. Corb. *Fumiſulanus Vectomanus. Funiſulani* nomen apud Tullium ad Atticum Ep. V, 4, X, 15, memoratur.

Calavius Sabinus] In Mſſ. Reg. Corb. *Calanius.* In Mſ. Harl. *Calvius.* Freinshemius mallet, *Calviſius*; eumdemque eſſe putat, de quo dicetur infrà Hiſt. I, 48.

Ponte transmittebat] Mſ. Flor. *tramittebat.* In Mſſ. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *tranſmittebant.*

Hostis missilibus] Mſ. Corb. *hoſtes.* Beroaldus, *hoſtilis.*

CAP. VIII. Spretis ominibus] Bene Puteolanus; & ita additum in margine Mſ. Harl. Vulgò in Mſſ. & editione principe, *omnibus.*

Verbis magnificis] Ita editiones veteres & recentiores. In mediis quibuſdam, *magnificas.*

CAP. X. Famam aucti exercitus speraverat] In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *fama*; unde corrigebat Gronovius, *fama... ſperata erat*, quod quoque Erneſto placet. At vulgò in Mſſ. Puteolanus & ceteri omnes, *famam .... ſperaverat.* Rhenanus, *ſperat*: ſed fortè operarum errore.

Et tunc relictis hibernis, non fossam] In Mſ. Corb. *Et nunc... nunc neque foſſam.*

Tria millia delecti peditis] Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editio princeps, *delecti pedites.* Meritò emendatum, *peditis.* In Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *tria millia delectorum proximo.*

Quo transitum] Muretus mallet, *quæ*: Gronovius, *qui*, approbante Erneſto.

Arsamosata] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *Aſamoſata*; quod immeritò probat Cl. Erneſtus. Veriùs emendandum, *Armoſata*, ex Polybii excerptis, pag. 26. πόλεως Ἀρμόσατα; & ex nummo M. Aurelii, quem Holſtenius vidit in muſeo Mediceo, ΑΡΜΟCΑΤΤΗΝΩΝ. Sic quoque Harduinus emendavit in Plinio VI, 9. *Armoſata Euphrati proximum.* Antea in Plinianis libris *Arſamote.* Ptolemæo tamen inter urbes majoris Armeniæ memoratur Ἀρσαμόσατα.

Qui in uno] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in unum.*

Et ægre compulsum] Rhenanus copulam omiſit, fortè repetitam ex ultimâ ſyllabâ verbi *ſuſtentaviſſet.* Certè omitti poteſt.

Ut instantem] Erneſtus e Mſ. Guelf. in quo *inſtantem*, fruſtra conjicit *neceſſitatem.*

CAP. XI. Hinc peditatu] Mſ. Bud. *hinc pedite.*

Sed vi] *Sed* deletum volebat Faernus.

Factaque sæpius] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. editio princeps, aliæque plurimæ. Puteolanus omiſit *que.*

Suggrediebantur] Mſ. Corb. *ſubgrediebantur.*

Circumveniretur] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *circumvenirentur.*

Longinqua et avia] Malè Puteolanus *per longinqua*, &c.

Missis iterum] Perperam in Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *item*; unde tamen Freinshemius conjiciebat *identidem.*

Retenturos] Ita Mſſ. editio princeps aliæque plurimæ ac recentiores. Puteolanus, *retenturum.*

CAP. XII. Sueta bello] Editio princeps, Pichena & Recentiores. Puteolanus, *aſſueta.*

Onusta frumenti] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. In ſextâ Lipſii editione aliiſque eam ſecutis, *frumento.*

Numerus adipisceretur] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & veteres editiones. Corruptè in Mſ. Reg. *per eorum numerum adipiſcerentur.* In Mſ. Flor. *apiſceretur*: unde fruſtra Lipſius, Freinshemius aliique tentant, *aſpiceretur.* Locum hunc obſcuravere magis, quàm illuſtravere eruditi Ryckius & Erneſtus. Ut, quæ jam in Notis ſuprà explicavimus, inclareſcant, inſignem Plinii XVI, 4, de civicis coronis earumque legibus locum attexere juvat. *Glandiferi maxime generis* robora, *quibus honos apud Romanos perpetuus. Hinc civicæ coronæ, militum virtutis inſigne clariſſimum .... Cedunt his murales, vallareſque, & aureæ, quanquam pretio antecedentes. Cedunt & roſtratæ ...* Corona *Civica iligna primò fuit, poſtea magis placuit ex eſculo Jovi ſacrâ. Variatumque & cum quercu eſt, ac data ubique, quæ fuerat, cuſtodito tantùm honore glandis. Additæ leges arctæ, & ideo ſuperbæ, quaſque conferre libeat cum illâ Græcorum ſummâ, quæ ſub ipſo Jove datur, cuique muros patria gaudens rumpit. Civem ſervare, hoſtem occidere: utque eum locum, in quo ſit actum, hoſtis obtineat eo die. Ut ſervatus fateatur: aliàs teſtes nil proſunt. Ut civis fuerit: Auxilia, quamvis rege ſervato, decus id non dant. Nec creſcit honos idem imperatore conſervato: quoniam conditores in quocumque cive ſummum eſſe voluere. Acceptâ licet uti perpetuò. Ludos ineunti ſemper aſſurgi, etiam ab ſenatu, in more eſt. Sedendi jus in proximo ſenatui. Vacatio munerum omnium ipſi, patrique, & avo paterno. Quatuordecim eas accepit Siccius Dentatus, ut retulimus ſuo loco: ſex Capitolinus. Is quidem & de duce Servilio. Africanus de patre accipere noluit apud Trebiam. O mores æternos, qui tanta opera honore ſolo donaverint: & cùm reliquas coronas auro commendarent, ſalutem civis in pretio eſſe noluerint: clarè profeſſi, ne ſervari quidem hominem fas eſſe lucri causâ!* Rufum Helvium, gregarium militem, civicâ coronâ donatum vidimus ſuprà Annal. III, 21.

Diu noctuque] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *die.*

CAP. XIII. Adpugnare] Pichena e Mſ. Flor. In Mſſ. Agr. Corb. & editione principe, *ad pugnam.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *oppugnare.*

Ut Corbulonem opperientes] Optimè Rhenanus e Mſ Bud. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *aut metu Corbulonem*. Mſſ. Harl. Jeſ. *Corbulo opperiens. Metu* abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe.

Aut Pœnis] Freinshemius mallet *aut Hiſpanis*, quòd Numantini eſſent Hiſpani. Fruſtra addit Gronovius, *aut Hiſpanis, quàm Parthis*. Pœni hìc fortè appellati, quòd clarior eorum, quàm Numantinorum gloria. Immo Numantini numquam fuere imperii Romani æmuli.

CAP. XIV. Quo de Armenia] Mſſ. Harl. Bodl. Reg. Agr. & editio princeps, *quod*. Mſſ. Jeſ. Corb. & Puteolanus, *quid*. In Mſ. Guelf. *qui*. Urſinus e veteri codice laudat, *quo*; ut poſtulat Latinitas, & meritò recepit Erneſtus.

Missi post] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. *poſthac*.

Qui Vasacen] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Vaſatem*.

Si qua Cæsares] Optimè divinavit Pichena ex Mſ. Flor. & editione principe, in quibus *& ſi quaces* Mſ. Reg. *& ſi quaces*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *& ſi qui duces*.

Largiendive] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *donandive*.

CAP. XV. Flumini Arsaniæ] Perperam in Mſſ. Flor. Corb. & editione principe *Arſanieti*: in Mſ. Reg. *Arſaneti*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Arſameti*. Verum nomen docuit Dio, LXII. pag. 711. & Ἀρσανίαν appellat; de quo Plinius V, 24. *Acceptis fluminibus Lyco, Arſaniâ*. Puteolanus, *fluvio*.

Iter expedientis] Ita Mſſ. Harl. Jeſ. Sicque emendandum jam monuerant ſummi viri, Muretus, Grotius & Petavius. Malè in Mſſ. Reg. Corb. & libris editis, *experientis*.

Namque iis usui] Fruſtra tentat Lipſius, *neque iis uſui*.

Namque et munimenta .... excederet] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. Rhenanus, *nam &... decederet*. In Mſ. Jeſ. *nam & ... excederet*, quod mallem ob ſuperiora, *namque iis uſui*. In Mſ. Corb. *abſcederet*.

Fama moderationis] Malè in Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *nam fama*.

Elephanto insidens] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Guelf. *in elephanto*.

Proximus quisque regem] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Agr. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. & editio princeps. Puteolanus, *& proximus quiſque regi*. Malè addidit, *&*. Accuſativo autem utuntur optimi ſcriptores Cæſar, Livius, aliique plurimi, ut accipies a J. Frid. Gronovio ad Livium VIII, 32. a Burmanno ad Quintilianum VIII, 6. pag. 515.

Fidum intellexere] Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *firmum*.

CAP.

CAP. XVI. Donec referrentur literæ] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *referantur*. In Mſ. Guelf. & editione principe, librariorum errore, *referentur*.

Apud ripam] Mſ. Corb. *ad ripam*.

Temperare] Rhenanus, *temperavere*.

Usurpata consalutatio] Bene Beroaldus. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Bud. & editionibus veteribus, *conſolatio*.

CAP. XVII. Hoc conquerente] Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus, *conquerentium*. In Mſſ. Flor. Guelf. *hoc*; unde rectè emendatum, *conquerente*, ut volebat Faernus. Malè in aliis Mſſ. *hic* vel *hæc*. Mallet Erneſtus, *huic conquerenti*.

Integra utrique] Mſ. Corb. *utrinque*.

Amnemque, ut olim] Malè Rhenanus, *ut omnium*.

Dirutaque, quæ] Malè Mſſ. Bodl. Jeſ. editio princeps, *diruta quæque*.

Sine arbitro] Ita Mſſ. Flor. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Reg. Guelf. *ſine arbitrio*. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *ſuo arbitrio*.

CAP. XVIII. Frumentum plebis] Mſ. Jeſ. *plebi*. Sic quoque fuit olim in Mſſ. Harl. & Bodl. poſtea emendatum *plebis*. Muretus mallet *publicum*: nec immeritò. Ita enim vetus Inſcriptio apud Gruterum, pag. ccxliv. num. 4.

IMP. T. CAESARI
DIVI. F
VESPASIANO. AUG
PLEBS. VRBANA
QVÆ. FRVMENTVM
PUBLICVM. ACCEPIT
ET. TRIBVS.

Securitatem annonæ sustentaret] Ita libri ſcripti & editi. Tantùm Ryckius, quem ſecutus eſt Cl. Lallemand, ex Mſ. Agr. *oſtentaret*, ut volebant Faber & Heinſius. Lipſius fruſtra obtrudit, *ſiſtentaret*.

CAP. XIX. Pravissimus mos] In Mſ. Flor. *praviſſimos*: poſtea eâdem manu emendatum, *pravus mos*; quod placet J. Gronovio.

Magna cum invidia] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *qui magnâ*.

Adeunt, jus naturæ] Optimè Rhenanus. In Mſſ. Flor. Bud. *adeuntibus naturæ*. Mſ. Corb. *adeuntium*. Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *adeunt ubi*. Puteolanus, *adeunt ibi naturæ munus*. Pro *jus* Erneſtus conjiciebat *vim*; cui ſuffragari poteſt Mſ. Corb.

CAP. XX. Provincialium superbiam] Bene Pichena ex Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *provinciarum.*

CAP. XXI. De existimatione singulorum] In Mſſ. uti adſolet *extimatione*, vel *æſtimatione.*

Decernaturque] Hæc abſunt a Mſ. Corb. Ni per ironiam hæc dicta caperentur, Lipſius emendabat, *decernatur ne maneat.*

Ostentandi] Ut ſuprà cap. 5. *Vologeſi vetus & infixum erat arma Romana vitandi.* Ipſeque Cicero ad Terentiam, *cùm haberem in animo navigandi.*

Perinde cohibeantur] In Mſ. Guelf. ſecundâ manu, *cohibeatur*, ut volebat Acidalius. At non peccat, *cohibeantur.*

Dum offendimus] Ita editiones veteres & recentiores. In mediis quibuſdam, *cùm.*

Æquabilius atque constantius] Bene Erneſtus ex editione principe. Vitiosè in Mſ. Reg. *æqualibus.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *æqualius.*

Ambitio cohibetur] Lipſius mallet, *cohibebitur*; & meritò.

CAP. XXII. Abnuentibus consulibus] Malè tentat Heinſius, *nec abnuentibus.*

Proprætoribus prove consulibus] Valeſius ad Ammianum Marcellinum, XXX, pag. 599, emendat *proque conſulibus*: probat Erneſtus. Haud tamen diſplicet *ve*; ac ſæpe in legibus uſurpatur.

Oppidum Pompeii] Seneca, Natural. quæſt. VI, 1. *Pompeios, celebrem Campaniæ urbem, in quam ab alterâ parte Surrentinum Sabianumque* (potiùs *Stabianumque*) *littus, ab alterâ Herculanenſe conveniunt, mareque ex aperto reductum amœno ſinu cingunt, deſediſſe terræ motu, vexatis quæcumque adjacebant regionibus, Lucili, virorum optime, audivimus: & quidem diebus hibernis: quos vacare a tali periculo majores noſtri ſolebant promittere. Nonis Februariis fuit motus hic, Regulo & Virginio conſulibus, qui Campaniam numquam ſecuram hujus mali, indemnem tamen, & totiens defunctam metu, magnâ ſtrage vaſtavit. Nam & Herculanenſis oppidi pars ruit, dubiéque ſtant etiam quæ relicta ſunt.* Ex his Senecæ verbis colligit Lipſius Tacitum miſerè hìc luxatum eſſe, cùm Pompeiorum ruina anno ſequenti, Regulo & Verginio conſulibus, contigerit. Fortè tamen ſine ullo librariorum errore utriuſque ſcriptoris narratio ſtare poteſt. Videtur enim terræ motus cœpiſſe exeunte anno DCCCXV. Duravit, ineunte anno DCCCXVI. Tacitus, majora anno ſequenti narraturus, Pompeiorum ruinam cum terræ motûs initiis conjunxit. Simili ſtrage plurima Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ loca vaſtari multis abhinc annis accipimus. Pro *proruit*, Gronovius, mallet, *procidit.* De majore Pompeiorum & Herculanenſis oppidi ruinâ dicemus infrà, cùm Titi res narrabimus.

CAP. XXIII. ANTIUM FUIT] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editiones veteres & recentiores. *Fuit* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. & Rhenani editionibus.

ACTIACÆ RELIGIONIS] Ita Mſ. Reg. In editione principe, *Acciacæ*. Mſ. Vatic. *Accicæque*. Mſ. Flor. *Actiercæ*. Mſ. Farneſ. *Anciacæ*. Mſ. Corb. *Antiatæ*. Mſ. Agr. *Antiacæ*. Mſ. Guelf. *Atriacæ*; ſecundâ manu *Actiacæ*. Puteolanus & Recentiores *Atticæ*; ut & Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. In tantâ varietate edidi, *Actiacæ*, quod probatum magis videbatur. Muretus emendabat *Antianæ*: Grotius, *Antiatis*, Ryckius *Antiatinæ*; quod quoque probabiliſſimum; placetque plurimùm, ſi probent viri eruditi. Sic Cl. Gordon, *a Temple was decreed to Fecundity, with Athletic ſports in imitation of thoſe which were peculiar to Antium.*

LOCARENTUR] Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *collocarentur*.

CAP. XXIV. INTER QUÆ] Ita Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. Beroaldus, *interim*.

CAP. XXV. AN PAX INHONESTA] Optimè emendavit eruditus Victorius. Mſ. Flor. *pax inhoſta*. Mſſ. Reg. Corb. Guelf. & editio princeps, *in hoſtes*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *in hoſte*.

CESTIO] Mſ. Flor. *Cicio*. Mſ. Reg. *Ticio*. Mſſ. Corb. Agr. Guelf. editio princeps, *Citio*. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *Cintio*. Mſſ. Harl. Jeſ. *Cincio*. Corruptè omnes. Pighius rectè monuit emendandum *Ceſtio*.

QUEM POPULUS ROMANUS] Ita Mſſ. Harl. Reg. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In editionibus veteribus, *quam*. Sic quoque additum in margine Mſ. Harl. Vulgò diceremus *in eum modum . . . quem*, vel *in tantum modum . . . quantum*.

CAP. XXVI. AUSPICIIS IMPERATORIS] Ita Mſſ. Jeſ. Reg. Corb. & editiones veteres. In recentioribus, *Imperatoriis*. A Mſ. Harl. abeſt, *Imperatoris*.

ADVERSA IN INSCITIAM] Bene Freinshemius. Malè Mſſ. & editiones veteres, *adverſam inſcitiam*.

CAP. XXVII. NEC ENIM] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & Gronovius. Sic quoque Mſ. Bodl. ſecundâ manu. Primò ſcriptum, *non*; uti habet Puteolanus.

SCIRE QUANTUM] Fruſtra tentat Lipſius, *ſciret*. Meliùs intelligas, *ſe*.

TERROREM ADJICERE] Freinshemius mallet, *adjiceret*, *Megiſtanas*, &c. Eleganter quidem. At non neceſſariò, ut patet ex Annal. XII, 51.

PELLIT SEDIBUS] Perperam Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *pepulit*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *pellit a ſedibus*.

CAP. XXVIII. NEQUE ATROX . . . ET QUIBUSDAM] *Neque . . . &* jam uſurpavit Tacitus ſuprà Annal. II, 51. *In ſummam* videbimus infrà Hiſt. II, 16. Freinshemius fruſtra emendat, *neque atrox, in ſummam, aut quibus præfecturis inducias petit.*

CUM A BARBARIS DELECTUS ESSET] Bene Puteolanus. Perperam Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *cum barbaris delectus eſt.*

INFAMIA PÆTI ANGEBATUR] Bene Rhenanus. In Mſſ. & veteribus editionibus, *augebatur.* Vir eruditus in editione Gryphii, an. 1543, corrigebat *agebatur.*

OPERIRE RELIQUIAS] Ita Mſſ. & veteres editiones. Mendosè in Lipſii editionibus, *opperiri.*

MINISTER BELLO DATUS] Hæc omiſſa in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Poſtea in margine Mſ. Bodl. addita. Malè tentat Pichena, *miniſter bello clarus.*

VIVIANUS ANNIUS] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Reg. & Puteolanus. In Mſſ. Flor. Corb. & editione principe, *Vinianus.* In Mſ. Agr. *Vimanus.* Mallet Ryckius, *Vinicianus*, ut ſit filius Viniciani, nepos Annii Pollionis, de quo Annal. VI, 9. & in Supplemento Annal. IX, 35.

QUINTÆ LEGIONI] Mſſ. Harl. Jeſ. *legionis.*

HONORE EJUS] Lipſius mallet *honori*: Pichena ita edidit. At *honore* adhuc occurrit infrà Hiſt. I, 44.

AC NE METUERET] Mſ. Reg. *an ne metueret.*

CAP. XXIX. MULTUM PRÆFATUS] Mſſ. Harl. Jeſ. *multa.*

SUBLATUM CAPITE] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editiones veteres, *capiti.*

CAP. XXX. STRUCTAM ANTE AUGURALE ARAM] Bene Lipſius & recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus, vel *ſtructam ante Auguralem aram*, vel *ſtructa ante Auguralem aram.*

IN MAJUS ATTOLLENS] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. In mediis *extollens.*

POSTERO DIE] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. & Puteolanus, *poſtremo.*

CAP. XXXI. TANTUSQUE EI ROMÆ] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. A Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolano abeſt, *ei.*

NON INERAT NOTITIA] Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. In Mſ. Corb. & Puteolanus, *erat.*

VIS IMPERII INERAT] Mſſ. Flor. Agr. Ryckius & Recentiores. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *jus.* Facili librariorum errore, unus enim ac idem literarum ductus, ut norunt harum rerum periti.

CAP. XXXII. SEDILIBUS PLEBIS] Mſſ. Harl. Jeſ. *ſedibus.*

INDISCRETI INIBANT] Mſſ. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *ibant.*

AC PRIORA] Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. editio princeps, Rhenanus & Recentiores. In Mſſ. Bodl. Guelf. & Puteolanus, *priori.*

FEMINARUM INLUSTRIUM] Freinshemius malè emendat, *familiarum.*

SENATORUMQUE] Ita Mſſ. Reg. Corb. editiones veteres, Lipſius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Rhenanus, *ſenatorumque filiorum.* A Mſ. Reg. abeſt, *per arenam.*

CAP. XXXIII. C. LÆCANIO] Vitiosè in ſcriptis & editis libris, *Lecanio*, vel *Lexanio*, ut conſtat ex veteribus inſcriptionibus. Perperam apud Plinium XXVI, 1. appellatur Q. *Lecanius Baſſus.*

INCIPERE AUSUS] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *incipere ſcenas auſus.*

TRANSGRESSUS IN ACHAIAM] Mſſ. Corb. Reg. editiones veteres & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *tranſgreſſis ſcenis in Achaiam.* Id ſecutus eſt Rhenanus.

FAMA CIVERAT] Rhenanus, *acciverat.* Vitiosè in Mſ. Reg. *evenerat.*

QUIQUE] Bene Puteolanus. In editione principe, *quæque.* In Mſ. Jeſ. *quiſque.*

CAP. XXXIV. GLADIATORIUM MUNUS] Mſſ. Jeſ. Bodl. & Puteolanus, *gladiatorum.*

IN CONTUMELIAS] Muretus mallet, *inter.* Atque ita habent Mſ. Corb. & editio princeps. Sed jam dictum ſuprà Annal. XIII, 12. *aſſumptis in conſcientiam.* Præterea repugnarent, *inter fœdiſſima . . . inter contumelias . . . inter voluptates.*

MALOS PRÆMINERET] Bene Pichena ex Mſ. Flor. Perperam in Mſſ. & veteribus editionibus vel *in aliis*, vel *malis*, vel *aliis præmineret.* Beroaldus *præemineret.*

CAP. XXXV. DIVUM AUGUSTUM ABAVUM FEREBAT] Perperam in ſcriptis & editis libris, ſi Ryckianas editiones exceperis, *atavum.* Emendandum eſſe *abavum* jam pridem monuere eruditi viri, Rupertus, Ep. LX. ad Reineſium, pag. 546. Valeſius ad excerpta Dionis libr. LXII. pag. 714. & Ryckius. Idque patet tum ex Dione, loc. cit. tum ex Tacito Annal. XVI, 8.

JUSSI ACCUSATORES] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *juſſi id accuſatores. Id* quoque alterâ manu in Mſ. Bud. additum.

QUIN NEC IGNOBILES HABERE] In Mſſ. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. & editiones veteres, *quin ne ignobiles.* Mſ. Harl. *quin ignobiles*: alterâ manu additum *ne.* Viri eruditi, ut corruptum locum reſtituerent,

varias iniere vias. Rhenanus emendaverat, *quin eum nobiles habere.* Vox, *nobiles*, Lipſio meritò ſuſpecta, iiſque temporibus inſolens. Tentavit ergo Lipſius, *quin eum nonnullos habere.* Ryckius, *quin eum homines habere.* J. Gronovius, *quin eum ob id & habere.* Quæ omnes conjectationes a libris plurimùm recedunt, nihilque probabilitatis habent. Ego verò novi a Priſciano libr. XVI fol. 88, obſervari *ne* dictum eſſe pro *neque.* At obſoletam hanc particulam a Tacito fuiſſe uſurpatam minimè crediderim. Neque olim ſcriptum opinor, *ne ignobiles quidem.* Itaque edidi, *nec ignobiles*, eodem ſenſu; nec a codicum ſcripturâ, horumque temporum uſu aliena emendatio. Tunc enim vel ipſis Principibus liberti tantùm erant ab epiſtolis, a rationibus, a libellis. Neque id mutatum ante Vitellii tempora, teſte Tacito Hiſt. I, 58. *Vitellius miniſteria principatûs, per libertos agi ſolita, in equites Romanos diſponit.* Immo id vix brevi Vitellii imperio valuit: ſi quidem Spartianus de Hadriano narrat cap. 22, *ab epiſtolis & a libellis primus* (Hadrianus) *equites Romanos habuit.*

Appellet] Mſſ. Guelf. Jeſ. & Puteolanus, *appellaret.* In Mſ. Harl. *appellare.*

CAP. XXXVI. Secretis imaginationibus] In Mſ. Reg. *machinationibus*: at vox obelo notata: eam tamen probabant Urſinus & Muretus. In Mſ. Jeſ. *imaginibus.*

Dehinc edicto] *Dehinc* Mſſ. & veteres editiones. Rhenanus, *dein.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editionibus veteribus, *dicto.* Rhenanus, *edicto.*

Perinde immota] Bene Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & Puteolanus, *exinde.*

Veneratus deos] Mſſ. Flor. Corb. editio princeps & Pichena. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *veneraturus.*

Templum inisset] Mſ. Reg. *iviſſet.*

Vidisse mæstos] Mſ. Reg. *videre.*

Parendumque] *Que* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Volentia fuere] Perperam emendarunt Puteolanus, *valentia*, Rhenanus, *volenti.*

CAP. XXXVII. Struere] Mſ. Jeſ. *ſtatuere.*

Quas a Tigellino paratas] Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Malè in Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *quaſi Tigillino paratæ.* In margine Mſ. Bodl. emendatum, *quas a Tigillino paratas.*

Ut exemplum referam] Bene Mſ. Flor. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *ut exempla referam.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ut exemplum feram.*

Ratem] Hujuſce ratis fabricam docet Lucanus, IV, 17. Simul

hoc Taciti loco explanantur Lucani verſus, qui hactenus viſi ſunt intellectu difficillimi.

Neque enim de more carinas
Extendunt, puppeſque levant, ſed firma gerendis
Molibus inſolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ ſuſtentant undique cupæ,
Quarum porrectis ſeries conſtricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expoſitum telis in fronte patenti
Remigium: ſed, quod trabibus circumdedit æquor,
Hoc ferit & taciti præbet miracula curſûs,
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.

Hæc ratis, cui ſuperpoſita erat turris ardua, refluo mari deferebatur. Contrà verò, in ſtagno, cujus ferme immotæ erant aquæ, ratis & ſuperpoſitum convivium aliarum tractu navium movebantur.

Aliarum tractu navium] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus omiſere, *navium*, quod immeritò probat Erneſtus, quia, inquit, *poteſt commode intelligi* ratium. Non vidit vir eruditus ratem ratibus moveri non poſſe. Nempe non noverat ratis formam.

Animalia maris Oceano abusque] Heinſius mallet, *mari Oceano*, Erneſto ſuffragante. Nec diſplicet. Sic Annal. I, 9. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum imperium.* Hæc autem animalia petiverat, ut ſtagno innatarent.

Tenebræ incedebant] Fruſtra Rhenanus, *incidebant.* Jam dictum ſuprà Annal. III, 26, *ambitio & vis incedebat.*

Visi auspices, dos] Optimè Rhenanus. Aderant enim auſpices ut vidimus in nuptiis Meſſalinæ, Annal. XI, 27. Perperam in Mſſ. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *miſit auſpices duos.* De his Neronis fœditatibus Aurel. Victor, in Epitom. *Eò progreſſus eſt, ut neque ſuæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum ſpecie, palam convocato ſenatu, dote dictâ, cunctis feſta de more frequentantibus, nuberet.* Vide & Sulpitium Severum inter teſtimonia Veterum laudatum, qui hunc Taciti locum exſcripſit. Pro *viſi*, aut *miſſi*, ut olim emendabatur, conjiciebat J. Gronovius, *inſtita.*

CAP. XXXVIII. Ad hoc lamenta] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *hæc*; errore, ut videtur, librariorum, qui ad *lamenta* referebant. In Mſ. Harl. emendatum *hoc.*

Fessa senum] Ita Ryckius e Mſ. Agr. Corruptè in Mſ. Reg. & editione principe *feſſa erant.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *feſſa ætate.* Urſinus laudat ex veteri codice, *feſſâ ætate ſenes.* Pichena tentabat *feſſa annis*: Lipſius, *feſſa aut rudis pueritiæ ætas.* Agricolæ codicem ſum ſecutus. Placet quoque conjectura eruditi Muſgrave, *feſſa ſenectæ*, quòd hæ voces in Mſſ. nonnumquam confundantur, ut videbimus infrà Hiſt. III, 65.

Pars morans] Mſ. Flor. *mora.*

Etiam ... reperiebantur] Erneſtus putat vel delendum *etiam*, vel legendum, *reperiebant*.

Diurni quoque victus] Ita libri ſcripti & editi. Vitium tamen ineſſe putat Erneſtus: tentat, *diurni inopia victûs*. Mallem *diurno quoque victu*.

Nequiverant] Mſſ. Harl. Jeſ. *nequierant*. Mſ. Bodl. *nequirant*.

Interiere] Mſſ. Reg. Corb. Jeſ. *interire*.

Vociferabantur] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *vociferabant*. In iiſdem, *ſibi eſſe*.

Seu jussu] In Mſ. Reg. & editione principe, *juſſum*. Illuſtr. Huetius emendabat, *juſſi*; quod certè elegantius.

CAP. XXXIX. Eo in tempore] Grotius mallet, *eo enim tempore*; probo quoque plurimùm.

Pervaserat rumor] Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *rumore*. Corruptè in editione principe, *perſuaſerat rumori*.

Adsimulantem] Mſ. Harl. *aſſimilantem*.

CAP. XL. Sexto demum die] Cùm per ſex dies ſeptemque noctes ignis ſæviiſſet, teſte Suetonio in Ner. XXXVIII, poſtea rediit, & per tres dies adhuc graſſatus eſt, ut docet vetus ſaxum apud Gruterum, pag. LXI, num. 3.

HAEC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIPPORVM
CLAUSA. VERVEVS. ET. ARA. QVAE. EST. INFERIVS
DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV
ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM. INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAVSA. QVANDO. VRBS. PER. NOVEM
DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS. ET. HAC
LEGE. DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT. INTRA. HOS
TERMINOS. AEDIFICIVM. EXSTRVERE. MANERE
NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID
SERERE. ET. VT. PRAETOR. CVI. HAEC. REGIO. SORTI
OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS
MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X. KAL. SEPT. OMNIBVS
ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

Vitulo Robio, id eſt *Vitulo Rufo*. Area autem eſt ſanè illa ipſa, de quâ P. Victor, de Regionibus Urbis, Reg. IV. *Area Volcani cum Volcanali, ubi lotos a Romulo ſata, in quâ areâ ſanguine per biduum pluit.*

Prorutis] Bene Erneſtus, Groſlotium & Gronovium ſecutus. In Mſſ. & veteribus editionibus, *proruptis*.

Nec dum posito metu, redibat] Ut locum hunc reſtituerem, ſecutus ſum maximè Mſ. Corb. & editionem principem, licèt in iis,

ſicut

ſicut in omnibus Mſſ. hæc ſint miſerè deturpata. Mſ. Corb. *nec dum poſt metus haud rediebat levis & rurſum graſſatus ignis.* Editio princeps, *nec dum metus poſt: aut redibat levis, & rurſum*, &c. Corruptior Mſ. Flor. *necdum p'metus rediebat libis i ſum graſſatus ignis.* Hæc cùm non intelligerent librarii, veterem ſcripturam, adhuc immutatam, & præterea quid ipſi conjicerent, tradidere. Inde in Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. *poſt metus aut reſidebat levis: nec dum poſito metu ſatis credebatur, cum levis rurſum*, &c. Mſ. Bodl. & Puteolanus, probatâ librariorum conjecturâ, retinuere tantùm, *nec dum* (Puteolanus *nedum*) *poſito metu, ſatis credebatur cum levis rurſum*, &c. Mſ. Agr. ex conjectura eruditi alicujus viri, ut alia multa in hoc codice, *nec dum poſito, metus redibat non levis & rurſum*, &c. At diſplicet, *nec dum poſito* incendio: tum quoque friget, & *rurſum.* Nec placet magis quod Recentiores edidere, *nec dum poſito metu, redibat levis rurſum graſſatus ignis.* Id enim nimis recedit a Mſſ. omiſſis *haud*, &. Præterea ignis ille *levis* non fuit, qui per patula loca graſſaretur, & delubra deûm, ac porticus amœnitati dicatas latiùs prorueret. Probabilioraślelioraque, ut opinor, ſum ſecutus. Si cui tamen, ut plus veteris ſcripturæ retineret, *poſt metus* probarentur, haud repugnarem. Placet tamen magis, *poſito metu.*

Tigellini Æmilianis] Multi eruditi viri emendant, *in Æmilianis*, quòd putarent ea eſſe Æmiliana extra Urbem. Vide quæ dicta ſunt in Notis.

CAP. XLI. Meminerant] In Mſſ. & veteribus editionibus, *meminerint*, quia hoc verbum ad *quamvis* referebant.

Quo et Senones] Mſ. Corb. *ex quo.* Editio princeps, *e quo.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ac Puteolanus, & *quo.*

Inflammaverant] Mſ. Reg. & editio princeps, *inflammaverint.*

Totidem annos menses diesque inter utraque incendia] Ita libri omnes ſcripti & editi, præter unum codicem Mſ. Agr. in quo *totidem annos menſes dieſque inter conditam & utraque incendia.* At, ut ſæpe jam monui, codex ille non tantùm veterem ſcripturam, ſed eruditi alicujus viri conjectationes continet, quæ neque hìc difficultates, quibus interpretes omnes intricantur, explicent. Joſephus Scaliger, *de Emendatione Temporum*, libr. V. pag. 472. emendat, *ut tot annos menſeſque & dies inter utraque incendia numerarent.* Quaſi, inquit, ipſi ita digitis rationem temporum putarent: Tot anni, tot menſes, tot dies ſunt a captâ Urbe. Inanem eſſe hanc doctiſſimi viri emendationem meritò pronuntiat Samuel Petitus, *Obſervationum* libr. II, 13. Sed ipſe portentoſam affert, cùm corrigit: *Alii eo uſque curâ progreſſi ſunt, ut Thoth iidem annos menſeſque & dies numerarent.* Quod ita exponit: Obſervat Tacitus nonnullos curioſos adeò fuiſſe, ut numerarent ipſi quot anni Thoth alicujus, ut puta Nabonazari (nam longè

ante Thoth Philippi Roma a Senonibus incenſa fuit) menſes item & dies inter utraque incendia, interceſſiſſent. Difficultatem haud minuit, auget potiùs codex Mſ. Agr. Nam cùm inter utraque incendia effluxerint anni 453, ſi hos annos duplicaveris, hic annus ab Urbe conditâ DCCCCVI erit numerandus, qui tamen, ut certiſſimis monumentis conſtat, fuit tantum annus DCCCXVII. Itaque, cùm opinioſi homines non tam obviam veritatem, quàm abſtruſas antiquitates ſectentur, arbitror otioſos illos Romanos non a vulgatâ Urbis conditæ ærâ, ſed ab aliâ remotiore & abſtruſiore, Romanis vulgò incompertâ, computationis ſuæ primordia repetiiſſe. Sic Timaris, Siculus, apud Dionyſium Halicarnaſſenſem, Romam eodem quo Carthaginem anno, trigeſimo nempe octavo ante primam Olympiadem, conditam vult; ac proinde plus quàm ſexaginta annis ante vulgarem Urbis conditæ æram. Antiquariorum aliæ adhuc potuerunt eſſe ſententiæ. Id enim genus hominum eſt ſomnioſum.

NUMERENT] Ita libri ſcripti & editi. Multis placet, *numerarent*: nec nobis diſplicet. At non peccat, *numerent*.

CAP. XLII. EXSTRUXITQUE DOMUM] Hæc eſt Neronis domus aurea, quæ inter orbis miracula, an portenta, referri debeat incertum. Ut pateat immenſa Principis luxuria, hujuſce domûs locum, amplitudinem, magnificentiam, fortunam, & quæ nunc maneant rudera, paucis expediam.

De Neronis Aureâ domo.

NERO, majeſtatem ſuam Auguſti, Tiberii, Caiique domibus coarctari ratus, fortè etiam Cyrum æmulatus, qui, teſte Plinio, XXXIII, 3, *aureas cameras & argenteas trabes, & columnas, atque paraſtaticas* habuerat, magnificam domum fecit, quam *Tranſitoriam* appellavit. Eâ Urbis incendio abſumptâ, patriæ ruinis uſus eſt, ut immenſo ambitu, majore ſumptu, eruditioreque luxu novam domum, aut potiùs urbem in ipſâ Urbe, conderet. In hac domo, quam *Auream* nominavit, *haud perinde gemmæ & aurum miraculo* erant, *ſolita pridem & luxu vulgata, quàm arva & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſilvæ, inde aperta ſpatia & proſpectus.* Tacit. Annal. XV, 42. Nero *ejuſmodi domum cùm abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut ſe diceret quaſi hominem tandem habitare cœpiſſe.* Sueton. in Ner. XXXI. Vix ratus ſe adhuc quaſi Principem habitare.

Domus illa a viâ Sacrâ & *palatio*, ſeu Auguſti domo, *Eſquilias uſque* protendebatur. Sueton. loc. cit. Nempe ſpatium ingens locaque illa obtinebat, ubi nunc eccleſiæ ſanctæ Franciſcæ, ſancti Franciſci de Paulâ, ſancti Petri ad Vincula, Amphitheatrum, nunc *Coloſſeo*, vel *le Coliſée*, ThermarumTiti rudera, eccleſia ſanctæ Mariæ

Majoris, parſque maxima hortorum, qui in Eſquilino monte diſfunduntur.

In hac domo omnia ad magnificentiam compoſita. In ejus veſtibulo ſtabat æneus *coloſſus centum viginti pedum*, Neronis *effigie*. Sueton. loc. cit. *Porticus triplices milliarias* habebat. Sueton. ibid. Quod certè magnificentiſſimum fuit, ſive porticus, triplici ordine columnarum ſuffultæ, mille columnas habuerint, ſive mille paſſus fuerint complexæ.

Aulæ autem, conclavia, cubicula, ſellariæ, id eſt arcanarum libidinum ſedes, *cuncta* denique *auro lita*, *diſtincta gemmis unionumque conchis erant*. Sueton. loc. cit. Inter has opes eminebant adhuc *cenationes*, (Gallicè *les ſallons à manger*,) *laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores; fiſtulatis, ut unguenta deſuper ſpargerentur*. Illarum autem *cenationum præcipua* erat *rotunda*, *quæ perpetuò diebus ac noctibus*, id eſt indeſinenter, *vice mundi circumageretur;* nobili ſanè gratiſſimoque artificio. *Balineæ marinis & Albulis* fluebant *aquis*. Sueton. ibid. Sic e mari per plus quàm ſedecim millia paſſuum arceſſitæ aquæ. Sic ex urbe Tiburtinâ, nunc *Tivoli*, petita eſt egelida ſulphureaque aqua Albula, vulneribus ſaluberrima. Plin. XXXI, 2.

Quid nunc eloquar tantam auri vim in hac domo fuiſſe, ut, cùm Nero Pompeii theatrum operuiſſet auro, quod Tiridati, Armeniæ regi, oſtenderet, ea fuerit, teſte Plinio XXXIII, 3, exigua aureæ domûs pars? Quid dicam *clariſſima quæque* artium *monimenta* undequaque terrarum in Urbem convecta, & *in ſellariis domûs aureæ diſpoſita*? Plin. XXXIV, 8. Quid referam ex ipſâ Cappadociâ Phengiten lapidem, recèns repertum, duritiâ marmoris, candidum ac tranſlucentem fuiſſe advectum, ut Fortunæ Sejæ ædes ibi exſtrueretur! Plin. XXXVI, 22. Quid memorem locupletiſſimam ſupellectilem, adeò ut tricliniaria Babylonia, *les tapis pour les lits à manger*, quadragies ſeſtertio, Gallicæ monetæ libris 778,315, Neroni ſteterint: Plin. VIII, 48. atque ſua inter pocula *capidem unam* murrhinam, *petite coupe faite d'une pierre précieuſe de l'Orient*, habuerit, quam *trecentis talentis*, Gallicæ monetæ libris 350,150, paraverat? Plin. XXXVII, 2. At de his, ut & de coloſſo, commodiùs dicetur infrà inter *Anecdota de Nerone*. Haud tamen ſiluerim *ſceptra*, & *perſonas hiſtrionum*, & *cubilia amatoria* fuiſſe *unionibus* conſtructa. Plin. ibid.

Verùm, hæc quanta quanta ſint, admirationem adhuc in eâ domo Aureâ vincebant arva, ſtagna, ceteraque luxûs ornamenta ſimul & oblectamenta. *Stagnum* unum memorat Suetonius, loc. cit. *maris inſtar*, *circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem*. Adde rura, vineta, paſcua, ſilvas, *variâ cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum*. Sueton. ibid. Sic una domus totam fere naturam præcipuaque artium miracula complectebatur.

Id quidem mirabatur otioſum vulgus. At fuere, qui domûs am-

plitudine Romanos ab Urbe ejici quererentur. Hinc famoſi verſus, quos retulit Suetonius in Ner. XXXIX.

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites,
Si non & Veios occupat iſta domus.

Qui altiora cogitabant, indignabantur modeſtiam Romanam, terrarum orbis victricem, ignavi Principis luxu ita dehoneſtari. *Bis vidimus urbem totam cingi domibus Principum Caii & Neronis, & hujus quidem, ne quid deeſſet, aurea. Nimirum ſic habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, triumphoſque referendos ab aratro, aut foco, exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quàm ſellariæ iſtorum.* Plin. XXXVI, 15.

Floruit domus Aurea, ſtante Nerone. Eo exſtincto viguit adhuc, vigentibus libidinibus. Otho, earum æmulus, ut imperium adeptus eſt, quaſi Neroniano luxui aliquid deeſſet, nihil *quidquam prius pro poteſtate ſubſcripſit, quàm quingenties ſeſtertium*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *ad peragendam Auream domum.* Sueton. in Othon. VII.

At tandem ſuâ magis, quàm alienâ, vi profligatis his imperii peſtibus, ſub felicibus Veſpaſiani Titique auſpiciis Roma acquievit. Tum immenſa unius Principis luxuria in publicos uſus verſa. Coloſſus *dicatus Solis venerationi eſt, damnatis ſceleribus* Neronis. Plin. XXXIV, 7. *Clariſſima* artium *monimenta in templo Pacis aliiſque* Veſpaſiani *operibus* dicata. Plin. XXXIV, 8. num. 24. In ſtagnorum loco aſſurrexit ſtupenda magis Amphitheatri moles. Thermæ Titi ſuperbum agrum occupavere. Roma demum Romanis reddita eſt, ut egregiè dicit Martialis, libr. Spectacul. Epigram. 2.

Hìc, ubi ſidereus propiùs videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt mediâ pegmata celſa viâ:
Invidioſa feri radiabant atria regis,
Unaque jam totâ ſtabat in urbe domus.
Hìc, ubi conſpicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.
Hìc ubi miramur velocia munera thermas
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.
Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma ſibi eſt, & ſunt, te præſide, Cæſar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Aureæ domûs ichnographiam, ad veterum ſcriptorum fidem, ac maximè ad hoc Martialis epigramma exactam, delineavit Cl. Pіraneſi, *Antichita Romane*, Tom. I. Tabul. XLIII. Exſtant adhuc quædam ejus rudera, quæ vide apud eumdem Piraneſi, loc. cit. & pag. 34. ac Tabul. XXXIII.

Quantum autem impenſarum in hac domo exſtruendâ factum fuerit, ſatis declarat Suetonius loc. cit. cùm ait Neronem *non in aliâ re* damnoſiorem fuiſſe, *quàm in ædificando.* Apertiùs adhuc expreſſiùſque

Tacitus, Annal. XV, 45. *Conferendis pecuniis pervaſtata Italia, provinciæ everſæ, ſociique populi, & quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii ceſſere, ſpoliatis in Urbe templis, egeſtoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas proſpere aut in metu ſacraverat... Per Aſiam* etiam *atque Achaiam non dona tantùm ſed ſimulacra numinum* abrepta. Adde maxima impenſarum inſtrumenta, operis nempe magiſtros & machinatores fuiſſe Severum & Celerem, *quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis inludere.* Tacit. Annal. XV, 42.

Automata hac ætate fuiſſe celebratiſſima docet tum cenatio illa rotunda, quæ perpetuo motu, mundi vice, circumagebatur, tum Triton ille argenteus, qui Claudio Principe, e medio lacu Fucino per machinam emerſit, &, exciente buccinâ, navalis prœlii ſignum dedit; ut vidimus ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 56.

Squalenti litore] Malè Mſ. Agr. & editio princeps, *ſequenti litore.* Hic enim ſqualidum aridumque litus, non verò ſequax, memoratur.

Connixus est] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *conniſſus.* In Mſſ. Harl. emendatum, *conniſus.*

CAP. XLIII. Quæ domui] Mſ. Flor. Ryckius & Recentiores. Abſurdè in veteribus editionibus, *quæ domus.* Haud enim erectæ domus, quæ ſupererant. Mſſ. Bodl. Harl. Jeſ. Guelf. *quæ domuum.* In margine Mſ. Harl. *domus.*

Passim erecta] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *erectæ.*

Cohibitaque] Mſſ. Flor. Agr. editio princeps & recentiores. *Que* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ.

Additisque] Mallem *quoque.* Jam enim dictum, &, *ac*, *que.*

Eas porticus] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. In mediis, *eaſque.*

Utique naves] Ita Mſſ. Flor. Guelf. Bodl. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *utque.* Sic quoque emendatum in Mſ. Bodl.

Subvectassent] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. Rhenanus & Recentiores. Vitioſè in Mſ. Flor. & editione principe, *ſubvecta eſſent.* Puteolanus, *ſubvectæ eſſent.*

Albanove] Malè Rhenanus, *Albanoque.*

Ignibus impervius est] Mſſ. Flor. Reg. Guelf. Bodl. Jeſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *igni.*

CAP. XLIV. Petita diis piacula] Bene J. F. Gronovius & Recentiores. Nondum facta deûm placamenta, ſed quæſita quæ iis fierent piacula, aditique Sibyllæ libri.

Prospersum est] Emendatum in Mſ. Harl. *perſperſum eſt.*

Et sellisternia] Ita Mſſ. Flor. Bud. Guelf. Ryckius & Recen-

tiores. In Mſ. Bodl. *ſeliſternia*. Mſ. Reg. & editiones veteres, *lectiſternia*. Sic quoque alterâ manu emendatum in Mſ. Guelf.

Abolendo rumori] Mſ. Reg. *vero rumori*. *Vero* additamentum eſt librarii alicujus Chriſtiani.

Tiberio imperitante] Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *qui Tiberio*.

Exitiabilis superstitio] Mſſ. Vatic. Corb. *exitialis*. Mox in Mſ. Corb. *rurſum*.

Deinde indicio] Mſ. Corb. *dein*.

In crimine] *In* abeſt a Mſ. Corb.

Odio humani generis convicti sunt] Adnotatum in margine Mſ. Vatic. 1958. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*: in hujus loci explicationem tractis Chriſti verbis, Matth. X, 22. In Mſ. Flor. pro *convicti* legitur *conjuncti*. Id probat Pichena; & ingentem illam Chriſtianorum multitudinem, non convictam, ſed cum aliis confeſſis conjunctam, & quaſi cumulo additam fuiſſe ſcribit: quod Jac. Gronovius, nimio ſuo Mſ. Florentini ſtudio abreptus, edidit, licèt repugnent ceteri omnes libri ſcripti & editi, idque a Taciti narratione & mente omnino ſit alienum. Acidalius emendat *odio Romani generis*, quaſi Chriſtiani Romanos oderint, quod falſum & ineptum eſt, atque ab uſu Latinæ linguæ abhorrens, cùm numquam *Romanum genus*, paſſim *humanum genus* dixerint ſcriptores Romani. Muretus & Faernus delent *humani*, ut maneat tantùm *odio generis convicti ſunt*. Hæc emendatio, ſolito Mureti acumine prorſus vacua, refutatione haud indiget. Verùm cùm non levis momenti ſit inſignem hunc Taciti locum illuſtrare, ceteraque, quæ ad eam de Chriſtianis quæſtionem ſpectant, diligentiùs inquirere, operæ pretium duxi de Chriſtianorum crimine, ſupplicio, ſuppliciique tempore diſſerere.

De Chriſtianis haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convictis.

Nero, ut aboleret rumorem ſe eſſe incendiarium, reos ſubdidit Chriſtianos. Judices, Principis infamiæ non ignari, ſed adversùs eam invalidi, Chriſtianos corripuere: at cùm ſcirent eos criminis, cujus poſtulabantur, reos non eſſe, haud perinde in crimine incendii, quàm odio generis humani convicti ſunt. Quodnam verò illud odium, in quo convicti ſunt? Alii volunt Chriſtianis datum eſſe crimini, quòd genus humanum oderint. Qui ita ſentiunt, haud animadvertêre apud Romanos nullam fuiſſe, nec umquam eſſe potuiſſe actionem de odio, cùm facta, non ſenſus hominum judicent puniantque leges Romanæ. Alii contendunt damnatos fuiſſe Chriſtianos, quòd eos odiſſet humanum genus. Quâ quidem ſententiâ nihil improbabilius. Nam ſi apud Romanos nulla fuit actio de odio, quo

quis aliquem proſequeretur, multò minus animadverſum in eos, qui odio eſſent. Præterea ſecum pugnaret Tacitus. Chriſtianos enim ab incendii crimine abſolvit: illud autem odium, etiamſi exſtaret, ſontes eos non argueret. Quomodo ergo illos *per flagitia inviſos*, *ſontes & noviſſima meritos* contendit? In duabus illis ſententiis multa adhuc peccant Latinitatis ratione & narrationis hiſtoricæ naturâ. Verùm his non immoror. Utriuſque ſententiæ falſitatem multiplici eruditione ſatis ſuperque demonſtravit Cl. Chriſtianus Andreas Teuberus, *Exercitatio Hiſtorico-Critica de Martyribus Chriſtianis odio humani generis convictis*, edita *Brunſvigæ* anno MDCCXXXIV.

Stat verò inconcuſſum ex Taciti narratione Chriſtianos juxta leges, quæ tum vigebant, a judicibus fuiſſe criminis convictos, ideoque pœnis affectos. Crimen illud fuit Chriſtiana Religio, legibus Romanis vetita. *Qui novas, & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Jul. Paulus, ſentent. Recept. Libr. V. Tit. 21. de Vaticinatoribus & Mathematicis, leg. 2.

Scilicet cùm Chriſtiani a Principe ſubditi fuiſſent rei, nec in crimine incendii poſſent convinci, judices eos Chriſtianæ ſuperſtitionis (ſic enim tum nominabatur religio, Act. Apoſtol. XXV, 19.) arguerunt. Chriſtiani illam ultro *fatebantur*: itaque correpti; nec, de ſectæ ſuæ ſociis interrogati, reticuere. Tum *indicio eorum* accuſata correptaque *multitudo ingens*; & de eorum ſuperſtitione actio inſtituta. Crimini datum, quòd ſeditioſi, jamque repreſſi, rurſus *erumperent*, eâ ſuperſtitione imbuti, quæ deos, terrarum dominos, imperii ſecundarumque rerum auctores, non modo non veneraretur, ſed impiis etiam dicteriis laceſſeret; quæ deorum cultores, morte dignos, æterniſque ignibus devovendos, furioſo *generis humani odio* pronuntiaret; dum ipſi *per flagitia inviſi*, publicos optimoſque mores averſati, ſoli mortalium, nec templa, nec aras, nec ſacrificia haberent; ſecretos tantùm, & legibus prohibitos, conventus nocturnos frequentarent, in quibus fœdarentur horrendis impudicitiarum ſpurcitiis, Thyeſtæiſque paſcerentur dapibus. Ea enim perſuaſio, ob antiquos Baptiſmi ritus & Euchariſticam cenam, apud Romanos invaluerat, ut teſtantur Arnobius, Lactantius, Minucius Felix, Tertullianus aliique; atque viguit, donec Chriſtiana religio, a Conſtantino probata publicataque, ſe injuriarum & atrocitatum abſolvit, manifeſtâ doctrinæ ſacrorumque ſuorum integritate ac ſanctitate. Fortè etiam percrebuerat (tunc enim D. Lucæ Evangelium & D. Pauli Epiſtola ad Romanos, quinque circiter abhinc annis ſcripta, Chriſtianorum Romanorum manibus terebantur) percelebre Chriſti effatum: *Si quis veniat ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem & filios, & fratres, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. XIV, 26.

Chriſtiani aut nullos, aut cauſam non obtenturos, patronos habuere. Igitur damnati ſunt; non in crimine incendii, ſed Chriſtianæ religionis, cui, ob ſanctam auſteramque ipſius placitorum naturam, exitiabile generis humani odium objiciebatur, convicti. Tacitus pro ſuâ ſinceritate ab incendii crimine abſolvit Chriſtianos; pro præjudicatis autem opinionibus, & rumoribus, qui de Chriſtianorum ſceleribus percrebuerant, eos *per flagitia inviſos, ſontes & noviſſima meritos* ſcripſit.

Judices verò, cùm de Chriſtianorum crimine ſtatuerent, ita Principi gratificati ſunt, ſibique conſuluere, ut Chriſtianos damnando, ambiguam, quantùm poſſent, incendium inter & ſuperſtitionem ſententiam relinquerent. Pœnas quoque adeò adtemperavere, ut cum incendiariis & exitiabilis ſuperſtitionis fautoribus eſſent communes. Incendiarii ex legibus *ſummo ſupplicio* erant adficiendi. Summo quoque ſupplicio plectuntur Chriſtiani, ſeditioſæ & maleficæ ſuperſtitionis rei: juxta leges *in crucem tolluntur*, *aut beſtiis objiciuntur*, *aut igni cremantur*, tantò intemperantiùs, quantò humiliores. Romanos Chriſtianos cum doctoribus ſuis Judæis, gente inviſâ, humilis tunc fuiſſe conditionis patet tum ex D. Pauli epiſtolâ ad Romanos, cap. XVI, tum ex pœnarum naturâ, quibus viri illuſtres non fuiſſent obnoxii. Suppliciis autem addita ſunt ludibria judicum adulatione, an Principis ingenio incertum. Certè *hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat.*

Quomodo autem cremati fuerint Chriſtiani docet vetus Scholiaſtes Juvenalis, Satyr. I, 155.

Pone Tigellinum, tedâ lucebis in illâ,
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum mediâ ſulcum deducit arenâ.

Scholiaſtes. *Pone, hoc eſt in ſatyra ponere, vituperare Tigellinum, quem ſi læſeris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arſerunt, de quibus ille juſſerat cereos fieri ut lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent illis guttura ne ſe curvarent. Nero maleficos homines tedâ & papiro & cerâ ſuperveſtiebat, & ſic ad ignem admoveri jubebat ut arderent.* Pœnam hanc dixit Juvenalis Satyr. VIII, 235.

Tunicâ perire moleſtâ.

Explicat autem vetus Scholiaſtes: *Tunica*, id eſt *veſtis ex chartâ facta, pice inlita, in quâ ignibus addicti ardere ſolent.*

Fortè quoque ad Chriſtianorum ſupplicium reſpexit, ſi nondum atrocitate temporum a ſcribendo deterritus, Seneca, Ep. XIV. *Ingens alterius mali pompa eſt; ferrum circa ſe & ignes habet, & catenas, & turbam ferarum, quam in viſcera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & uncum; & adactum, per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem; & diſtracta in diverſum actis cruribus membra;*

illam

illam tunicam, alimentis ignium & illitam & intextam, quidquid aliud, præter hæc commenta ſævitia eſt.

Quo autem tempore hæc paſſi ſint Chriſtiani, explorandum ſupereſt. Eccleſia quidem Romana in ſuo Martyrologio eorum memoriam recolit die vigeſimâ quartâ Junii, quæ dies emortualis eſſe non poteſt. Sed eorum memoria præmiſſa eſt diei feſto DD. Petri & Pauli, qui ineunte quarto pòſt anno pro eâdem religione fortiter occubuere. Eruditus Joſ. Scaliger, *de Emend. Temp.* libr. V. pag. 472, exiſtimat *hanc perſecutionem cœpiſſe circiter extremum Julii, aut initium Auguſti.* Quod minimè probabile crediderim. Urbis incendio finis factus die 27 Julii. Tunc, teſte Tacito, proviſa populo exturbato & profugo ſolatia: cautum ut urbs nova conderetur: præcipua Principis cura in domo ſuâ aureâ exſtruendâ: mox petita diis piacula: ſupplicatum Vulcano, Cereri, Proſerpinæ, Junoni; quæ omnia intra extremum Julii aut initium Auguſti fieri non potuere.

Cl. des Vignoles, *Hiſtoire Critique de la Rép. des Lettres*, Tom. VIII. pag. 74 & ſeqq. ſingula explicaturus, a Kalendariis & veteribus ſcriptoribus petiit dies ſacros Vulcano, Cereri, Proſerpinæ, Junoni, quos cùm reperiſſet aut commentus eſſet, iis affixit *deûm placamenta*: dein cùm in ludicro Circenſi Nero, *aurigæ habitu permixtus plebi* memoraretur, quæſiit in Kalendario ludos plebeios; die XV Novembris notatos vidit: inde perſecutionis initium adſeruit; ſpecioſiore curâ, quàm utiliore. Nam diis ſupplicatum extra ordinem, pro temporis neceſſitate, ſenatûs Principiſque decreto, ut in iis rerum circumſtantiis ſemper factitatum. Nec *ludicrum* illud *Circenſe* idem eſt ac ludi plebeii. Hi enim ab ædilibus curulibus edebantur: illud, teſte Tacito, a Principe editum, & a Juvenalis Scholiaſte *munus Neronis* dicitur.

Itaque Tacitum, vetera monumenta, mores legeſque Romanas expendenti mihi videtur finem Julii initiumque Auguſti conſternationi & ſolatiis petendis accipiendiſque datum: per reliquum Auguſti Septembremque menſem de Urbe reſtaurandâ exſtruendâque domo aureâ eſſe conſultum: inter licentiam vindemialium feriarum, quæ, ut diximus Annal. XI, 31, *a decimo Kalendarum Septembris uſque in Idus Octobris* concedebantur, percrebuiſſe rumorem incendiarium eſſe Neronem: poſt ferias Chriſtianos a Nerone reos ſubditos: a judicibus correptos damnatoſque, & pœnis affectos, non uno eodemque die, ſed diverſis diebus, reliquo Octobri & Novembri menſibus: in tres veluti claſſes diviſos fuiſſe Chriſtianos; alios crucibus affixos; alios ferarum tergis contectos, laniatibus canum (cruentos inter ludos, ut opinor) diſcerptos; duces ac doctores domeſticarum eccleſiarum reſervatos, in Circenſi ludicro, ſeu munere Neronis, ignibus, tædarum inſtar, cremandos. Sic ferme Diocletianus *auctores ac principes* maleficorum & Manichæorum juſſit *flammeis ignibus* exuri, Cod. Gregorian. libr. XIX. Tit. 4. de Maleficis.

Haud tamen inficias ierim ſupplicationes Vulcano habitas mihi videri die 23 Auguſti, quo Vulcanalia, præcipuum hujus menſis ſacrum, agebantur. In Kalendario Capranico, X. VOLCAN. NP. VOLCANO. IN. CIRCO. FLAMINIO, id eſt, *decimo* Calendas Septembris *Vulcanalia*, *dies nefaſtus primò*, *Vulcano in Circo Flaminio.* Congruit enim tempus, ſuadetque votum ſuſceptum, de quo dictum ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal XIV, 40.

Nero autem munus ſuum edere potuit Novembri menſe poſt ludos plebeios, qui tunc non die XV, ſed die IV Novembris agebantur, ut videtur ex marmoreâ tabulâ Antiatinâ, Claudii tempore, paulo ante Neronis principatum ſcriptâ, in quâ Novembri menſe, PR. NON. C. LVD. PLEB. COM. HS. DC. id eſt *pridie Nonas*, ſeu die 4, Novembris, *dies comitialis*, *ludi plebeii commiſſi*, aut *committendi*, non *ſeſtertiûm ſexcenties*, Gallicæ monetæ libris 11,673,015, ut explicat eruditus Vulpius, *Tabula Antiatina illuſtrata*, pag. 36. ſed *ſeſtertia ſexcenta*, Gallicæ monetæ libras 116,718 intellige. Deinde in eâdem tabulâ per octo dies continuos LVDI, quibus editum fuerit Circenſe ludicrum, crematique Chriſtiani.

Denique utrum perſecutio provincias pervagata ſit, haud ita pronuntiaverim. Id quidem aſſerit Oroſius VII, 7. Nero *primus Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari perſecutione excruciari imperavit: ipſumque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Chriſti Apoſtolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Idem probatum eunt veteri inſcriptione ex ruinis pagi Marqueſiæ, in Luſitaniâ, erutâ, quam affert Gruterus pag. CCXXXVIII. num. 9.

NERONI. CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB PROVINC. LATRONIE
ET. HIS. QVI. NOVAM
GENERI. HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB
PVRGATAM

At inſcriptio eſt ſuſpectæ omnino fidei, ut Scaligero aliiſque viris eruditis rectè obſervatum: nec Oroſius hujus eſt antiquitatis atque auctoritatis, cui ſtatim credendum. Certiſſimum autem eſt in hac primâ perſecutione occubuiſſe ingentem Chriſtianorum multitudinem, ut fatetur ipſe eruditus Dodwellus, *Diſſertation. Cyprianic.* Diſſert. II. Sect. 13. Gloriaturque Chriſtiana religio, quòd & atroci calumniâ ſit primùm petita, & a Nerone primùm laceſſita, quem ipſi Romani *peſtem generis humani* appellavere.

ET PEREUNTIBUS] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ea pereuntibus.*

AUT FLAMMANDI] Mſ. Agr. *flammati.* Malè emendat Meurſius, *aut flammâ uſti, utque ubi*, &c. Sulpitium Severum ſecutus, qui Ta-

citum hìc exſcripſit. *Novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flammâ uſti. Plerique in id reſervati, ut cùm defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.* Vide Teſtimonia Veterum.

Atque ubi] Delendum *atque* non immeritò monet Erneſtus; ni intelligas, *atque ut, ubi defeciſſet*, &c.

In usum] Puteolanus, ac deinde ceteri omnes. Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. Guelf. editio princeps, *in uſu.*

Curriculo insistens] Mſ. Agr. Ryckius & Recentiores. In aliis Mſſ. & veteribus editionibus, *circulo.*

CAP. XLV. Secundo Carinate] Malè Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *Caprinate.* Mſ. Corb. *Crapinate.*

Ore tenus exercitus] Bene & eleganter. Hæc tamen, quòd in Mſ. Bud. omiſſa, deleta volebat Rhenanus.

Persimplici victu] Mſ. Flor. Pichena & Recentiores. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *pro ſimplici.*

Tolerat] Mſ. Bud. *tolerabat*: unde conjicit Erneſtus, *toleraret.*

CAP. XLVI. Qui custos adesset] Mſ. Corb. *aderat.*

CAP. XLVII. Secutaque] *Que* abeſt a Mſ. Harl.

Non in utero repressum] Perperam in ſcriptis & editis libris, *quia in utero repreſſum, aut iter juxta editum ſit.* Ego ultro ſum ſecutus Mureti emendationem, quam reperi in Beroaldino Taciti exemplari, quod exſtat Romæ in Bibliothecâ Collegii Romani Societatis Jeſu, manu Mureti emendatum. Tam certa mihi videtur hæc emendatio, ut de eâ nulla oriri poſſit dubitatio. Illuſtr. Huetius, qui eam non noverat, corrigebat *& iter* pro *aut iter.*

CAP. XLVIII. Silius Nerva] Hic conſul appellandus eſt A. Licinius Nerva Silianus, ut videtur ex veteri lapide, Phlegonte, & epiſtolâ conſulari Em. Noris, *Opera*, Tom. II. col. 893 & ſeqq. Laudatur tamen a Cl. Muratori, *Theſaur. Inſcript.* Tom. I. pag. CCCV vaſculum inſcriptum:

ASSIS SILANO ET
ATTICO COS

Ob eam diverſitatem & conſenſum ſcriptorum & editorum Taciti librorum nihil mutavi. Silium Nervam, fortè ejus patrem, conſulem vidimus ſuprà Annal. IV, 68.

Virtutibus similes] Mſ. Corb. *virtutis.*

Largitionem] Mſ. Reg. *largitiones.*

Comi sermone] Ita libri omnes. Lipſius mallet *comis*: nec ineleganter; haud tamen neceſſariò.

CAP. XLIX. Initium conjurationis] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editio princeps. Sic quoque Mſ. Jeſ. primâ manu. Alterâ manu ſic etiam emendatum in Mſ. Harl. Puteolanus *conjurationi*. Mox Puteolanus, *cupiditate*. Mſſ. editio princeps & recentiores, *cupidine*.

Vanus adsimulatione] Mſ. Reg. *vanus a ſimulatione*. Mſ. Agr. *vanitatis inſimulatione*. Mſ. Farneſ. *vanâ aſſimulatione*. Lipſius mallet *vanus æmulatione*: Heinſius, *vanâ æmulatione*. Circumfertur inſcriptio, ſed ſuſpecta, apud Gruterum, pag. cccliv. num. 2.

M. ANNAEO
LVCANO
CORDVBENSI
POETAE
BENEFICIO
NERONIS
FAMA
SERVATA

Quaſi Nero, poſt Lucani fata minimè invidus, ejus famam ſervaſſet, operaque lectitari permiſiſſet.

Quintianus] Ita vulgò Mſſ. & editiones veteres. In Mſ. Guelf. *Quintilianus*.

Mollitia corporis] Sic Mſ. Flor. & editiones recentiores. In Mſſ. Farneſ. Corb. Reg. & editione principe, *mollitie*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *molli corpore*.

CAP. L. Finem adesse imperii] Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *imperio*.

Eo pluribus] Puteolanus, *eò propriis*.

Maximus Scaurus] Eruditus Spanheimius, *de Præſtantiâ & Uſu Numiſmat.* Tom. II. pag. 37, emendat *Mamercus Scaurus*, quòd nuſpiam Scauri cognominentur *Maximi*. At in tantâ ſcriptorum & editorum librorum conſenſione nihil mutaverim. Tunc enim valde diverſa a priſcis temporibus nominum ratio, ut obſervat eruditus Sirmondus in præfatione Notarum ad libros Sidonii Apollinaris.

Ardente domo] Fruſtra tentat Muretus, *aureâ e domo*. Heinſius, *marcente domo*. Gronovius, *cùm madens vino per noctem*, &c. Id de incensâ domo intelligendum optimè vidit Illuſtr. Huetius.

CAP. LI. Spem ac metum] Placet quoque Lipſio *ſpe ac metu*: Acidalio *ſpem inter ac metum*.

Conscientia inligare] Mſ. Corb. *alligare*.

Erat Chiliarchus] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *navarchus*:

quod quidem nomen frequens eſt in ſcriptoribus & monumentis Romanis. Rariſſimè verò memorantur Chiliarchi; nec ſcio utrùm ulla de iis exſtet inſcriptio.

FACULTAS ORIRETUR] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. oreretur Sic quoque in Mſ. Guelſ. primâ manu.

NEQUE SENATUI QUID MANERE] Ita Mſſ. Vatic. Flor. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. Mſſ. Farneſ. & Corb. *quod manere*. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *quòd inane eſſet*. Emendabat Grotius, *neque ſenatui fidem manere*: Illuſtr. Huetius, *neque ſenatum quidem manere*, id eſt, ut ipſe explicat, ne ſenatum quidem expertem conjurationis manere: Agricola, *neque ſe novum quid monere*: Erneſtus, *neque ſalvi quid manere*: omnium infeliciſſimè Lipſius, *neque ſe nautam quidem manere*. Si quid foret mutandum, ſola placeret Grotii emendatio. At non ita diſplicent vulgata.

EVERSÆ REIPUBLICÆ] Rhenanus, *verſæ*.

NAVARE OPERAM ... DUCERE IN PARTES] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Reg. Corb. & editionibus veteribus, *navaret ... duceret*.

MILITUM ACERRIMOS] Mſ. Corb. *multos acerrimos*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. vulgari in Mſſ. errore, *multum*.

PROBABANTUR] Ita libri omnes editi. In Mſſ. Reg. Jeſ. Guelf. *probantur*. Sic quoque in Mſ. Harl. ſed alterâ manu emendatum *probabantur*.

CAP. LII. METU PRODITIONIS PERMOTIS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & editiones veteres ac recentiores. In Mſ. Corb. & Lipſianis quibuſdam editionibus omiſſum, *permotis*.

CREBRO VENTITABAT] Heinſius emendabat, *creber eò ventitabat*. Pichena, *quo ejus amœnitate captus crebrò ventitabat*. Ferri poteſt vulgata lectio. Mox pro *balneas*, in Mſſ. Jeſ. Corb. *balnea*.

FORTUNÆ SUÆ MOLE] Erneſtus fruſtra addi vellet, *fretus*.

HÆC IN COMMUNE] Mſſ. Harl. Jeſ. *hoc*. Mſ. Corb. *in communi*.

QUI A CONJURATIONE INTEGRI] Ab editione principe abeſt præpoſitio. In Mſ. Bud. *conjurationem*. Unde Rhenanus tentabat *conjuratione*, vel *conjurationis*.

NE AD LIBERTATEM MOVERETUR] Bene Muretus. In Mſſ. Vatic. Reg. Agr. & editione principe, *ne ad libertatem moraretur*. In Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus ceterique omnes, *a libertate moraretur*. In illis adulteratum, *moraretur*; in his, *a libertate*.

CAP. LIII. CIRCENSIUM LUDORUM DIE] Pars magna Aprilis menſis Cereri ſacra: per multos dies ludi edebantur. Tot inter, diem XIII Kalendas Maii, ſeu 19 Aprilis, a conjuratis ſtatutum exiſtimo. Pridie quidem Idus, ſeu 12 Aprilis, erant

LVDI CEREALICI, ut jam diximus in Notis ex vetere Kalendario Hervartiano; ſic quoque vetuſtius Kalendarium Mapheianum, PRID. EID. LUDI CERERI. Unde iſtum diem a conjuratis ſtatutum credidit Lipſius: quod minimè probabile. Nam nec notantur Circenſes, nec ita ſolemnis hic dies. Contrà verò die XIII Kalendas, ſeu 19 Aprilis, ut ſuprà in Notis obſervavimus ex Kalendario Hervartiano & Laterculo Polemæi Silvii, erant *Cerealici*, *Circenſes*, *conſulis tertiæ mappæ*. Quod adhuc magis manifeſtum, hoc ipſo die 19 Aprilis Kalendarium Mapheianum habet, CER. N. LUDI. IN. CIR. En *Cereri* dies ſacer, & *nefaſtus*, *ludi in Circo*. *Nefaſtus* autem erat hic dies per quem ſilebant leges, ſeu tria verba *Do*, *Dico*, *Addico*, per quæ prætores ſententiam ferre ſoliti. Inde Ovidius Faſt. I, 47.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

DOMOQUE] Mſ. Flor. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *domo*; omiſsâ copulâ.

GENIBUS PRINCIPIS ACCIDENS] Bene Rhenanus. In Mſſ. & veteribus editionibus, *accedens*.

CORPORE INGENS] Non ita bene Mſſ. Harl. Bodl. & Puteolanus, *vigens*.

AUDENTIÆ HABUISSET] Lipſius e Mſ. Vatic. ſic & editio princeps ac recentiores. Mſſ. Farneſ. & Corb. *audaciæ habuiſſet*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *audaciæ plus habuiſſet*.

FERENTINO IN OPPIDO] In editione principe *Frentano*. Puteolanus *Ferentano*. At *Ferentanum*, & *Frentanum*, veteribus ſcriptoribus omnino ignota. Itaque emendandum *Ferentino*, ut obſervat Cluverius, *Italia Antiq.* Tom. I. pag. 563. Sic olim apud Strabonem V. pag. 226, legebatur Φερεντανόν, ubi nunc Φερεντινόν. Egregiam hoſpitalitatis teſſeram a Ferentinis datam exhibet eruditus Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 65. Et in Mſſ. Sirmondi ſchedis exſtat vetus Inſcriptio Ferentini reperta.

FORTVNAE
SACRVM
VOTO
SVSCEPTO
C. CALINIVS
SECVRVS

GESTABATQUE] Fruſtra divinat Lipſius, *tentabatque* vel *jactabatque*.

MAGNO OPERI SACRUM] Bene Pichena. In Mſſ. Flor. & Reg. *magno operis*. Mſ. Agr. & editio princeps *magnoperis*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *magni operis*. Malè Lipſius, *magnis operis*.

Aut inanem ad spem] Ita Pichena e Mſ. Flor. in quo *aut inane aut ſpem.* Sic quoque Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inane, aut ipſi Antoniam.* Mſ. Agr. e conjecturâ eruditi viri, ut videtur, *aut inani ſpei.*

Nisi si] *Si* abeſt a Mſ. Reg.

CAP. LIV. In mucronem ardescere] Ita Mſſ. Flor. Reg. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus omiſere præpoſitionem.

Lætitiam] Mſ. Reg. *licentiam.*

Parare... monet] Optimè Puteolanus. Mendosè in Mſſ. & editione principe, pro *parare, partiebatur*, vel *partiebatque*, vel *ſartiebat.* Inde in Mſ. Harl. pro *monet*, alterâ manu emendatum, *movere.*

Et illuc usque] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *& huc uſque.*

De consequentibus] Fruſtra tentat Grotius, *de conſcientibus.*

Etenim uxoris] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *ut enim.* Mſ. Corb. *tunc cum.*

CAP. LV. Graves conjurationes] Mſ. Bodl. *graveſque.* Mſ. Flor. *conjuratos.*

Liberales semper] Fortè excidit *ſe;* & ſcriptum olim *liberales ſe ſemper epulas ſtruxiſſe: vitam amœnam, & duris judicibus parum probatam.* Nam in Mſ. Corb. & editione principe, pro *& vitam* legitur, *diffideret enim vitam*, repetitis e lineâ ſuperiore *diffideret enim.*

Cujus se pariter indicem et testem faceret] Bene Acidalius & Lipſius. In Mſſ. Reg. Corb. *juſſiſſe pariter... faceret.* Pro *juſſiſſe* in Mſ. Flor. *l; ſiſſe.* Mſ. Bud. *vixiſſe.* Editio princeps, *dixiſſe.* In Mſſ. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *adjungere crimen viſum: ſe pariter... facere.* Sic quoque Mſ. Harl. primâ manu: alterâ emendatum, *ſi ſe pariter... faceret.*

Incusat] Mſ. Corb. *accuſat.*

Ac secreta.] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Guelf. & editio princeps. In Mſ. Harl. *& ſecreta.* Puteolanus, *ac ſecretò.*

CAP. LVI. Accitur natalis] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *accitus.*

Interrogantur] Mſ. Corb. *interrogabantur.*

Sive internuntius]Mſ. Corb. *ſive quia internuntius.... fuerit.*

An cuncta jam] Lipſius & Recentiores. In Mſ. Corb. *an cuncta quoque jam.* In Mſ. Reg. atque editione principe, *& cuncta jam.* Mſſ. Harl. Jeſ. & Puteolanus, *ante cuncta.*

Aciliam matrem] Bene Puteolanus. In Mſ. Reg. *Acciliam.* Mſſ.

Bodl. Jeſ. *Atiliam.* Mendosè editio princeps *Atillam.*

CAP. LVII. Intacti tormentis] Optimè Mſſ. Farneſ. & Corb. In Mſſ. Vatic. Flor. & editione principe, *intactis.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *in tantis.* Additum in margine Mſ. Harl. *intacti.*

Carissima suorum] Malè Rhenanus, *cariſſima quoque ſuorum pignorum.*

Magis magisque] In Mſ. Corb. tantùm *magiſque.*

CAP. LVIII. Lætatum] Mſ. Guelf. & editio princeps. Mendosè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *latatum.*

Sed fortuitus sermo] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Guelf. editiones veteres & Erneſtus. Beroaldus emendavit, *ſi fortuitus*: quod minimè neceſſarium. Plus varietatis & elegantiæ, ſi *ſed* retinueris.

Innuentique] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Agr. & Ryckius. In editionibus veteribus, *annuentique.*

Renuit] Bene Mſ. Flor. & editio princeps. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *retinuit.* In margine Mſ. Bodl. *reniduit.*

CAP. LIX. Rostra escendere] Ita Lipſius e Mſſ. In aliis Mſſ. & editionibus veteribus, *conſcendere.*

Adversum hoc] Mſ. Corb. *hæc.*

Comitante] Mſ. Corb. *minitante.*

Experiendo confieri] Bene Pichena e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. *fieri.* In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *experientiâ fieri.*

Consciorum] Mſ. Guelf. *conſociorum.*

Cruciatu aut præmio] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *cruciatui.* Sed Scriptores Latini æquè dixere *luxu* vel *luxui*, *cruciatu*, vel *cruciatui.*

Miles potius] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Erneſtus & Recentiores. Sic quoque Mſ. Guelf. Alterâ tantùm manu emendatum, *dum miles potiùs;* quod legitur in Mſ. Reg. & editione principe. In Mſſ. Harl. Corb. *plebs* pro *plebes.*

Immotus his] Ita Mſſ. Harl. Jeſ. Corb. editio princeps, & recentiores. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *iis.*

Firmabat] Malè Mſ. Guelf. & Rhenanus, *firmat.*

Tamquam favore] Bene Rhenanus. In Mſſ. & veteribus editionibus, *quamquam.* In Mſ. Corb. *pavore*, poſtea emendatum *favore.* Contrà Mſ. Harl. *favore*, in margine *pavore.*

Corporis forma] Mſ. Corb. *famâ.*

Arria Galla] Ita Beroaldus & Recentiores. In Mſſ. & veteribus editionibus *Atria Galla. Atrii* quidem memorantur in antiquis

Inſcriptionibus.

Inſcriptionibus. At ob claritatem nominis & Piſonis nobilitatem certa videtur Beroaldina emendatio.

Domitius Silius] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Mendosè Mſ. Flor. *Silus ;* editio princeps, *Sillus* ; Puteolanus, *filius*.

CAP. LX. Conjurationis manifestum] *Manifeſtum* abeſt a Mſſ. Flor. & Jeſ. Immeritò Gronovius omiſſum vellet, refragantibus ceteris libris ſcriptis & editis.

Uti viseret] Ita Mſſ. Flor. Bodl. Jeſ. Guelf. Editiones veteres & recentiores. Beroaldus, *ut*.

Granius Silvanus] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Gravius*. Mſ. Corb. *Sillanus*. Idem Mſ. Corb. cap. 71. *Gaius Silanus*.

Suburbano rure] Nomentano, ut dixi in Notis, & ut teſtatur auctor qui vitam Senecæ ſcripſit. Aliud fuit Nomentanum decimo ab Urbis lapide, ubi percelebres Senecæ vites, de quibus Plinius XIV, 4. Locum hunc, licèt paulo longior ſit, quòd in eo multa ſint librariorum ipſiuſque Harduini errata, referam : errores emendaturus, ſimul uſus moreſque horum temporum ac res Senecæ illuſtraturus. *In noſtrâ ætate pauca exempla conſummatæ hujus artis* colendarum vitium *fuere : verùm eo minùs omittenda, ut noſcantur præmia, quæ in omni re maximè ſpectantur. Summam ergo adeptus eſt gloriam Acilius Sthenelus, e plebe libertinâ, LX jugerum non ampliùs vineis excultis in Nomentano agro, atque* $\overline{\text{CCCC}}$ *nummûm venumdatis.* Error certè eſt in $\overline{\text{CCCC}}$ nummûm, ſeu quadringenties centenis millibus nummûm, qui efficerent Gallicæ monetæ libras 7,782,010. Olim fuerit ſcriptum CCCC $\overline{\text{HS}}$, id eſt quadringenta millia nummûm, Gallicæ monetæ libræ ſunt 77,812. *Magna fama & Vetulcno Ægialo perinde libertino fuit, in Campaniæ rure Liternino, majorque etiam favore hominum, quoniam ipſum Africani colebat exſilium. Sed maxima, ejuſdem Stheneli operâ, Rhemmio Palæmoni, aliàs Grammaticâ arte celebri, in hiſce XX annis mercato rus* $\overline{\text{DC}}$ *nummûm in eodem Nomentano decimi lapidis ab Urbe diverticulo.* Novus error $\overline{\text{DC}}$ nummûm, ſeu ſexcenties centena millia nummûm, qui efficerent Gallicæ monetæ libras 11,673,015. Corrigendum DC $\overline{\text{HS}}$, id eſt ſexcenta millia nummûm, Gallicæ monetæ libræ ſunt 116,718. Id patet ex re ipſâ, & vilitate mercis, de quâ mox Plinius. *Eſt autem uſquequaque nota vilitas mercis per omnia ſuburbana, ubi tamen maxima, quoniam & neglecta per indiligentiam prædia paraverat, ac ne in peſſimis quidem elegantioris ſoli. Hæc aggreſſus excolere, non virtute animi, ſed vanitate primò, quæ nota mirè in illo fuit, paſtinatis de integro vineis curâ Stheneli, dum agricolam imitatur, ad vix credibile miraculum perduxit, intra octavum annum* $\overline{\text{CCCC}}$ *nummûm emptori addictâ pendente vindemiâ.* Error adhuc idem, de quo ſuprà dixi. Nec $\overline{\text{CCCC}}$ nummûm, ſeu quadringenties centena millia nummûm, ſed CCCC $\overline{\text{HS}}$, id eſt quadringenta millia nummûm ſcribendum, ne miraculum fiat monſ-

trum. Monſtrum enim foret in agro Nomentano unius vineæ non fundum, ſed fructum unius anni, pendente adhuc vindemiâ, emptum eſſe CCCC *nummûm*, id eſt Gallicæ monetæ libris 7,782,010. *Cucurritque nemo non ad ſpectandas uvarum in iis vineis ſtrues, literis ejus altioribus contra id pigrâ vicinitate ſibi patrocinante: noviſſimè Annæo Senecâ, principe tum eruditionis, ac potentiæ, quæ poſtremò nimia fuit ſuper ipſum, minimè utique miratore inanium, tanto prædii ejus amore capto, ut non puderet inviſo aliàs & oſtentaturo tradere palmam eam, emptis quadruplicato vineis illis intra decimum fere curæ annum.* Eruditus Harduinus, ſuo in errore conſtans, adnotat Palæmonem ſexcenties ſeſtertiûm emiſſe vineas, Senecam quadruplicatâ ſummâ, id eſt bis millies quadringenties centena millia ſeſtertiûm, qui efficiunt Gallicæ monetæ libras 46,692,060. Quod quàm ſit a veritate alienum, quàm ſuprà ipſam Senecæ fortunam, nemo non videt. Contrà verò Palæmon, ut diximus, vineas emerat DC HS, id eſt ſexcentis millibus nummûm, Gallicæ monetæ libris 116,718; quadruplicatâ igitur ſummâ eas emit Seneca, vicies quadringentis millibus nummûm, Gallicæ monetæ libris 467,064.

Globis militum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Jeſ. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſ. Corb. & Puteolanus, *globus*.

CAP. LXI. A visendo eo] Ita Mſſ. Flor. Reg. editiones veteres & recentiores. Præpoſitio abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Rhenanus eam quoque omiſit.

Sique rationem valetudinis et amorem] Ita Mſſ. Flor. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Puteolanus, *ſe ratione valitudinis & amore*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *ſeque ratione . . . amore.*

Itinere reditum] Sic alterâ manu emendatum in Mſ. Harl. Priùs fuerat ſcriptum, *redditum*; ut & in Mſ. Guelf. Mendosè in Mſ. Reg. & editione principe, *redditurum.*

CAP. LXII. Referre gratiam prohibetur] Ita Mſ. Reg. Vulgò in Mſſ. & libris editis, *prohiberetur.*

Et tamen pulcherrimum] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus, *tamen &*. Pichena, falsò laudatâ, teſte J. Gronovio, Mſ. Flor. auctoritate, *jam attamen.*

Habeat] Ryckius & J. Gronovius e Mſ. Flor. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *habebat.*

Tam constantis amicitiæ] In veteribus editionibus, *cujus ſi memores eſſent: bonarum artium famam tam conſtantis amicitiæ laturos.* Faernus omitti volebat, *bonarum artium*: Muretus & Acidalius pro *tam* emendabant *tum*, ut ſenſus ſit, *cujus ſi memores eſſent, bonarum artium famam, tum conſtantis amicitiæ laturos.* Vulgata ſcriptura videtur anteponenda.

CAP. LXIII. ATQUE TALIA IN COMMUNE] Ita Mſ. Reg. In libris editis, *talia velut in commune*. *Velut* frigere rectè obſervat Erneſtus. Mſſ. Harl. Guelf. *ultrò in commune*. Mſ. Jeſ. *ultrà*.

ADVERSUS PRÆSENTEM FORMIDINEM MOLITUS] Ita Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Sic quoque emendatum in Mſ. Reg. in quo antè ſcriptum *mollitus*, ut habet Mſ. Bodl. & Puteolanus. In Mſ. Flor. *fortitudinem* pro *formidinem*. Ryckius emendavit, *adversùs præſentem formidine mollitus*.

TEMPERARET DOLOREM, NE ÆTERNUM SUSCIPERET] Mſ. Agr. & libri editi, *temperaret dolori*. Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *dolorem*. Gronovius emendabat, *temperare dolorem æternum ſuſcipere*. Nulla neceſſitas mutandi, *ne æternum ſuſciperet*. In Mſ. Jeſ. *temperet*.

IN CONTEMPLATIONE] Mſ. Bodl. *contemplationem*.

PARCO VICTU] Ita Mſ. Flor. primâ manu, Ryckius & Gronovius; ſicque legendum Heinſio jam ſuboluerat. Poſtea emendatum in Mſ. Flor. *parvo ictu*, quod quoque legitur in Mſſ. Reg. Agr. Jeſ. Editio princeps, *cum parvo ictu*. Puteolanus, *parvo victu*; probatque Erneſtus.

ABSCEDERE] Ita Mſſ. Reg. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus e Mſ. Bud. *abſcederet*.

INVERTERE] Malè Mſ. Reg. *evertere*. Rhenanus fruſtra tentat *innectere*.

CAP. LXIV. INHIBERI MORTEM IMPERAT] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus ac Ryckius. *Inhiberi mortem* habent quoque Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. Corb. & editio princeps; verùm ab iis abeſt *imperat*: unde Berneggerus emendavit, *inhibere*.

QUI CREDERENT] Mſ. Reg. *crediderint*.

MITIORE SPE] Mſ. Corb. *meliori ſpe*.

POSTEA ANNOS] Mſ. Reg. *poſt*.

LENTITUDINE MORTIS] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. Sic enim legebat vetus Scholiaſtes Juvenalis laudatus inter Teſtimonia Veterum. In Mſ. Reg. editione principe aliiſque nonnullis *lenitudine*.

STATIUM ANNÆUM] Mſ. Jeſ. *Annium*.

FRIGIDUS JAM ARTUS] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Bud. Guelf. editiones veteres & recentiores. In Mſ. Corb. & Beroaldus, *frigidis jam artubus*.

CLUSO CORPORE] Bene Mſſ. Flor. & Bud. Id enim antiquum & ex uſu hujus temporis, ut patet ex Neronis nummis, IANVM CLVSIT. In libris editis, *clauſo*.

PRÆSCRIPSERAT] Ita Mſ. Reg. editio princeps, Lipſius & Recentiores. Puteolanus, *perſcripſerat*. In Mſ. Harl. *ſcripſerat*.

ETIAM TUM] Ryckius edidit *etiam num*. Sic quoque emendabat

Heinſius. Minimè tamen repugnat *etiam tum*, nempe jam prædives & præpotens, cùm aliquot antè annis codicillos ſcriberet.

CAP. LXV. OPERA PISONIS] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *ope;* ſic quoque in margine Mſ. Bodl.

QUASI, INSONTI] Puteolanus, ut & plerique Mſſ. *inſonti.* In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *inſontibus.* Veteres editiones ita diſtinguunt, *quaſi inſonti : claritudine virtutum ad ſummum faſtigium delecto.* Fruſtra tentant Acidalius & Pichena, *inſonti & claritudine.*

NON REFERRE] Mſ. Corb. *deferre.* Fortè pro *differre*, ut habet Mſ. Agr.

DEMOVERETUR] Ita Mſſ. Flor. Reg. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *dimoveretur.* Sic & Mſ. Bodl. primâ manu: alterâ emendatum, *demoveretur.*

CAP. LXVI. ACCENSIS JUDICIBUS] Mſſ. editiones veteres & recentiores, *accenſis quoque indicibus.* Lipſius meritò omiſit *quoque*, errore librariorum repetitum e ſuperioribus, *militaris quoque conſpiratio.*

AD PRODENDUM] Mſ. Corb. *perdendum.*

RENIDENS SCEVINUS] Mſſ. editiones veteres & recentiores. Malè Alciatus, *renitens.*

CERVARIO PROCULO] Perperam Mſſ. Reg. Guelf. *cum vario Proculo.*

CAP. LXVII. EORUMDEM INDICIO] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *eorum.*

PERVERTITUR] Malè Mſ. Reg. & editio princeps, *prævertitur.*

INERMIBUS ET EFFEMINATIS] Mſ. Jeſ. *inermis.* Copula & abeſt a multis Mſſ.

AD OBLIVIONEM SACRAMENTI] Quodnam milites Cæſari, quod homines deo ſacramentum præſtare debeant, egregiè docet Epictetus apud Arrianum, I, 14. Ὥςθ᾽ ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐςέ. Οὐ δὲ ἐςέ· ἀλλ᾽ ὁ θεὸς ἔνδον ἐςί. . . τούτῳ τῷ θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ ςρατιῶται τῷ Καίσαρι· ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες, ὀμνύουσι πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν. Ὑμεῖς δὲ δέον τοσούτων καὶ τηλικούτων ἠξιωμένοι οὐκ ὀμόσετε; ἢ ὀμόσαντες οὐκ ἐμμενεῖτε; καὶ τί ὀμόσετε; Μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε, μηδ᾽ ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψασθαί τι τῶν ὑπ᾽ ἐκείνου δεδομένων· μηδ᾽ ἄκοντας ποιήσειν τι, ἢ πείσεσθαι τῶν ἀναγκαίων. Ὅμοιός γε ὅρκος οὗτος ἐκείνῳ· ἐκεῖ μὲν ὀμνύουσιν αὐτῷ μὴ προτιμήσειν ἕτερον, ἐνταῦθα δὲ αὐτοὺς, mallem αὐτὸν, ἁπάντων. *Cùm igitur fores clauſeritis, & conclave tenebroſum effeceritis, cavete ne umquam dicatis vos eſſe ſolos. Sed Deus intus eſt . . . Huic Deo & vos tale dare jusjurandum oportebat quale milites Cæſari. Verùm illi quidem conducti ſtipendiis jurant ſalutem Cæſaris ſibi rebus omnibus fore antiquiorem. Vos autem tot & tantis affecti a Deo beneficiis, non jurabitis? aut cùm juraveritis, fidem non ſervabitis?*

Et quid jurabitis? Vos numquam non ei obtemperaturos: numquam eum incuſaturos: numquam reprehenſuros quidquam ab illo datum: numquam invitos quidquam vel facturos, vel toleraturos, quod ſit neceſſe. Jusjurandum hoc illi eſt ſimile. Nam illi quidem jurant ſe neminem Cæſare: hi, ſe neminem Deo antiquiorem habituros.

ODERAM TE] Ita libri omnes ſcripti & editi. Adnotabat tamen Illuſtriſſimus Huetius: *omnino ſenſus poſtulat, ut negativa particula præfigatur* non oderam te, *vel ut ſic legatur*, non amabam te. Huetiana emendatio primùm mihi arriſerat. Poſtea nihil mutandum exiſtimavi propter conſenſum librorum & militaris viri incomptos & validos ſenſus. Dignumque Flavio reſponſum, ſi ſic legas: *Oderam te . . . Nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti . . . Odiſſe cœpi, poſtquam parricida*, &c.

ET AURIGA] Mſ. Corb. Copula abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & libris editis.

INCOMPTOS ET VALIDOS] Ita Mſ. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *& incomptos*. Rhenanus, *ſed validos*.

VEJANO] Puteolanus, *Veianio*. Mſ. Jeſ. *Veglano*. Mſ. Corb. *Veranio*.

QUAM FLAVIUS] Malè in Mſſ. & veteribus editionibus, *quamvis*: unde Freinshemius tentabat, *quâ visâ*.

NE HOC] Ita Mſſ. Puteolanus, *hæc*.

DUOBUS ICTIBUS CAPUT AMPUTAVISSET] Vigente republicâ, ſecuri in reos animadverſum; ſub principibus, gladio: artiſque fuit rotato enſe caput amputare. Inde Lucanus VIII, 673.

Nondum artis erat caput enſe rotare.

Caio Caligulæ, hactenus inauditæ crudelitatis Principi, aderat *miles decollandi artifex*, Sueton. in Caio XXXII.

ADMONITUSQUE] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus omiſere copulam.

CAP. LXVIII. SUBVENIRI POTUISSE] Malè tentat Faber, *obveniri*. In Mſ Jeſ. *ſubvenire. Potuiſſe*, habent Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editiones veteres & recentiores. Rhenanus e Mſ. Bud. *poſſe*.

DEGENERAVERE] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *denegavere*.

SED EX CONJURATIS] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Erneſtus & Recentiores. In Mſ. Reg. & Puteolanus, *ſed conjurati*. In Mſ. Corb. & editione principe, *ſed & conjurati*.

EX INTIMA] Mſſ. Corb. Reg. & editio princeps, *ex nimiâ*.

FEROCIAM AMICI] Mallet Lipſius, *animi*. At *amici* optimè convenit.

Repens causa] Ita Mſſ. veteres & recentiores editiones. Lipſius, *recens*. *Repens* pro *recens* ſæpiſſime dixit Tacitus.

Et Cæsarem] Malè Beroaldus, *ad Cæſarem*.

CAP. LXIX. Speciem judicis] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *judiciis*. Rhenanus, *judicii*.

Gerelanum] Mſ. Reg. *Gerellanum*. Fruſtra conjicit Reineſius, *Ceretanum*.

Occupare ... opprimere] Mſ. Corb. *occuparet ... opprimeret*. Mſſ. Harl. Jeſ. habent quoque *occuparet*.

Munia consulis] Mſ. Corb. *conſul*. Alternis diebus hæc munia implebant conſules.

Conviviumque celebrabat] *Conviviumque* Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus omiſit copulam. Mſ. Bodl. & Puteolanus, *celebrarat*. Mſſ. Flor. Guelf. editio princeps & recentiores, *celebrabat*.

An dissimulando] Mſ. Bodl. & Puteolanus, *aut*. Mſ. Jeſ. *ut*.

Omissi sunt] Ita Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editione principe, *emiſſi ſunt*. Non ineleganter quidem. Sed elegantiùs *omiſſi ſunt*: tunc enim receſſit cuſtodia.

Ex mensa exitium] Sic emendandum feliciter conjecit Franciſcus Medicis. Freinshemius & Recentiores omnes probavere. In Mſſ. & editionibus veteribus, *& menſæ*. Mſ. Corb. *exitum*. Rhenanus, *imminens exitium*.

CAP. LXX. M. Annæi Lucani] Corruptè Mſſ. & veteres editiones, *Manenio & Lucani. Manie*, vel *Mame & Lucani*.

Vulneratum militem] Probabile eſt militem illum fuiſſe Lycidam, de quo dictum eſt in Notis. Alii tamen volunt eſſe Tullum, de quo idem Lucanus IX, 805.

Sed majora parant Lybicæ ſpectacula peſtes.
Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo juveni, miratorique Catonis.
Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycii preſſura croci: ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lacrimæ: quæcumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

Ejusmodi mortis] Mſ. Corb. *ejuſdem*. Pòſt *obiſſe*.

CAP. LXXI. Gaudium id] *Id* abeſt a Mſ. Agr.

Remuneratur] Mſſ. Corb. & Jeſ. *remunerantur*. Sic quoque Mſ. Harl. primâ manu: alterâ, *remuneratur*.

Vanitate exitus] Ita libri omnes. Faernus tentabat *velocitate.*

Existimarentur] Ita Mſſ. vel *extimarentur*, quod idem eſt, ut norunt, qui Mſſ. codices terere ſunt ſoliti. Fruſtra Pichena *extimerentur*, quòd verbo *extimeſcere* nonnumquam utitur Tacitus.

Novio Prisco] In Mſ. Guelf. *Nævio.* Ceteri Mſſ. & veteres editiones, *Novio.* Malè Ryckius & alii, *Nonio.* In veteri lapide apud Gruterum, pag. CIV. num. 6.

D. NOVIVS. PRISCUS

Antonia Flaccilla] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Antonia.* Mſ. Bodl. *Flaccilla*, ut volebat Ill. Huetius. Puteolanus. *Flacilla.* Mſ. Reg. *Artoria Flacilla.* Editio princeps *Arcoria.* Mſ. Corb. *Artonia Facilla.*

Gloriam ejus] Ita Mſſ. & editiones omnes veteres. Recentiores, *eis.*

Rufius Crispinus] Bene Mſ. Jeſ. In Mſſ. Harl. Bodl. & editionibus veteribus, *Rufrius.*

Verginium et Rufum] In Mſſ. & veteribus editionibus *Verginium* vel *Virginium Rufum.* Bene Lipſius *Verginium & Rufum.* Fortè etiam ſcriptum olim & *Rufum Muſonium.* Verginius fuit Perſii præceptor, ut auctor eſt qui vitam ejus ſcripſit. *Inde Romæ apud Grammaticum Rhemmium Polemonem & apud Rhetorem Verginium Flaccum.* Pro *Flaccum* in Mſ. Vulcanii, *Flavum*; in Mſ. Vatic. 1518, quem vidi in Bibliothecâ Vaticanâ, *Flavium.*

Blitio Catulino] Mſ. Harl. & Puteolanus, *Catullino.*

Cæsonius Maximus] Perperam in multis Mſſ. *Cæſenius.*

Sine supplicio] In Mſ. Flor. *ſin ſupplicio.* Malè in ceteris Mſſ. & veteribus editionibus, *in ſupplicio.*

CAP. LXXII. Concione militum] *Militum* abeſt a Mſ. Corb.

Quoque effigies eorum sisteret] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Rhenanus, *eorum quoque.* In Mſ. Corb. pro *ſiſteret*, *ſtatuit*; ſcriptum fortè pro *ſtatuerit.*

Consularia insignia] Ita Mſſ. & veteres editiones ac recentiores. Beroaldus addidit, *dedit etiam conſularia inſignia.*

Etiam matri] *Etiam* abeſt a Mſ. Corb.

CAP. LXXIII. Vocato senatu] Verba Erneſto ſuſpecta. Additum ſaltem vellet, *iterum vocato.* Suprà enim, *vocat ſenatum.* Sed haud ita diligens verborum indagator Tacitus. Hinc *vocat ſenatum... vocato ſenatu . . . concione habitâ . . . oratione habitâ.*

Viros insontes] Bene Mſ. Corb. & editiones recentiores. Vulgò in Mſſ. & editionibus veteribus, *viros & inſontes*: unde Freinshemius tentabat *claros & inſontes.*

AUT METUM] Mſ. Corb. *metumque.*

ET FATENTUR] Erneſtus mallet *fatebantur*, ni vixerint, cùm hæc ſcriberet Tacitus. Certè vivere potuerunt.

NEU COMPOSITA] Bene Lipſius. In Mſſ. & veteribus editionibus, *Neu compoſitam & obliteratam manſuetudinem Principis*: quod abſurdum. Tentabat quoque Erneſtus, *neu compoſitâ re & obliteratâ, manſuetudinem Principis.* At probabilior Lipſii emendatio. Alii quoque emendant, *neu compoſita, aut obliterata*: eodem ſenſu.

CAP. LXXIV. ET GRATES DEIS] Scripti & editi libri addunt, *decernuntur.* Sed vox redundat, ut rectè monuit Lipſius; & omnino delenda.

QUI OCCULTA] Certè, cùm hæc relego, *honos Soli, cui eſt vetus ædes . . . in quo facinus . . . qui occulta*, ſi librarii nihil peccarunt, accuſanda Taciti indiligentia. Ignoſcendum tamen, *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

MENSIS QUOQUE APRILIS] Ita Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps. Puteolanus, *menſiſque.*

IPSE EUM] Mſ. Reg. *ipſe enim.*

UT TEMPLUM] *Ut* abeſt a Mſſ. Harl. Jeſ.

VENERATIONEM DEUM] Mſ. Reg. *venerationem ad deûm item hominum merito.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & veteres editiones, *venerationem item hominum merito.* In recentioribus editionibus omiſſum, *item.* Muretus, Urſinus, Schurzfleiſchius pro *hominum* emendabant *numinum.* Jac. Gronovius, *cælitum.* Ex Mſ. Reg. & ipſo ſenſu emendavi *deûm.* Gloſſema eſt, *item hominum.*

AD OMINA SOLUM SUI EXITUS] Bene Mſ. Corb. alterâ manu. Nam primâ erat, ut in editione principe, *ad omnia ſolum. Omina* habet quoque Mſ. Bodl. ſed mendosè, ut multi Mſſ. *dolo ſui exitûs.* Mſ. Flor. *dolum.* Inde Puteolanus, *ad omina olim ſui exitûs.* Mſ. Agr. *quod ad omen futurum ſui exitûs vertebatur.* At mera eſt librarii conjectura, quam ne Ryckius quidem probavit. Veriùs & ex Mſſ. emendavi *ad omina ſolùm.*

NOTÆ

NOTÆ ET EMENDATIONES
AD LIBRUM DECIMUM SEXTUM
ANNALIUM.

CAP. I. ET PROMISSA] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Puteolanus & Recentiores. Sic quoque Pichena e Mſ. Flor. Ait tamen Gronovius in Mſ. Flor. ſcriptum, *& promiſſo.* In Mſ. Reg. & editione principe, *ex promiſſo.*

HAUD DUBIAM] Mſſ. Bodl. Jeſ. Corb. *dubiè.* Mox in Mſ. Corb. *detraxit.*

PRÆSENTIBUS BONIS] Addunt Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *latuerint*; quod rectè omiſſum in Mſſ. Flor. Reg. Bud. Corb. editione principe & recentioribus. Priùs enim dictum, *occulta.*

UT CONJECTURA DEMONSTRARET] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Reg. Corb. & editionibus veteribus, *demonſtrat.* Freinshemius emendavit, *demonſtret.* Erneſtus ex eraſâ Mſ. Guelf. ſyllabâ conjecit, *demonſtraret.* Quod verius & aptius.

ET ALIAS INFENSI] *Et aliàs* abſunt a Mſ. Reg. & editione principe.

CAP. II. NEC MISSIS] In ſcriptis & editis libris, *nec miſſis viſoribus, per quos noſceret.* At *viſoribus* vox inſolens, nec umquam ſcriptoribus Latinis audita; indigna etiam brevitate Cornelianâ. Librarii, quorum ætate vigere potuit, eam ad libri oram adſcripſiſſe videntur; inde ipſum in librum irrepſerit. Eadem eſt quoque Cl. Erneſti ſententia.

VERA ADFERRENTUR] Bene Mſſ. Reg. Corb. Puteolanus, *adferrentur.* Perperam in Mſſ. Harl. Jeſ. & editione principe, *aſſererentur.* Malè quoque Mſ. Flor. *adſerrerentur.* Fortè tamen hic error innuit emendandum, *adſeverarentur.* Sæpe enim in hoc verbo errant librarii. Vide jam dicta in Notis & Emendationibus ad Annal. II, 83.

PARTAM PRÆDAM] Ita libri ſcripti & editi. Acidalius fruſtra tentat, *paratam.*

AVEHERENT] Bene Erneſtus. Verbum enim illud exquiſitius eſt, quàm *adveherent*, ut eſt in Mſſ. & veteribus editionibus, ſolito librariorum errore.

DELECTUM NAVIGIUM] Boxhornius incaſſum emendat, *remigium.*

POPULUS CREDULITATE] Malè Puteolanus, *populus plus.* Natus

error, quòd in quibuſdam Mſſ. ut in Mſ. Bodl. ſit ſcriptum per literarum compendia *plus*, & in margine *populus*.

Prudentes . . . tulere] Bene Mſſ. Flor. Corb. Reg. *tulere*. At corruptè in iis, ut in ceteris Mſſ. *prodentis* pro *prudentes*, quòd forſan erat antiquè ſcriptum *prudentis*, vel *prudenteis*. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *tulerat* pro *tulere*. *Ac*, &c.

A vatibus oratoribusque] In Mſ. Flor. *auaratoribus oratoribuſque*. Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Corb. *ab aratoribus oratoribuſque*. Mſ. Agr. *ab auctoribus oratoribuſque*: ſed, ut ſæpe monuimus, non ex veteribus libris, ſed ex viri eruditi conjecturâ. Inde Gronovius emendabat *ab actoribus*. Meliùs veriúſque Lipſius, *a vatibus*. Vates enim & oratores in hoc ludicro certabant. Suetonius in Ner. XII, *orationis carminiſque Latini coronam* memorat. Bene itaque Cl. Gordon, *The Poets and Orators, in their panegyrics upon the Prince, borrowed from thence their chief themes.*

Provenire terram] Ita Mſſ. Flor. Reg. Harl. Bodl. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus emendavit, *terræ*; Rhenanus, *terra*; Lipſius, *terras*.

Servilia fingebant] Erneſtus veretur, ne *ingenia* exciderit.

CAP. III. Multos per annos] Mſ. Corb. *per multos*.

Promissi specus] Hæc abſunt a Mſſ. Reg. Agr. & editione principe. Mſ. Flor. & Puteolanus, *promi ſpecus*. In Mſſ. Bodl. Guelf. *dum hoc vel illo loco promi ſpecus*. Mſſ. Harl. Jeſ. *dum hæc vel illo loco promi ſpecus*. In Mſ. Harl. alterâ manu emendatum *hoc*. Beroaldus emendavit *promiſſi ſpecûs*; quæ fortè redundant. Specus enim erat in agro Ceſellii Baſſi jam effoſſo, & latis circùm arvis.

Non falsa ante] Malè Mſ. Harl. *falsò*. Mſ. Flor. *antea*.

Primum elusum] Ita plerique Mſſ. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *primò*; quod auribus foret gratius.

CAP. IV. Propinquo jam lustrali] Ita libri ſcripti & editi, ante Cl. Erneſtum, qui omiſit *jam*. Eum ſecutus eſt Cl. Lallemand.

Adjicitque facundiæ] Ita Mſſ. Flor. Guelf. Corb. editio princeps & recentiores. Puteolanus omiſit *que*.

Adversus æmulos] Mſ. Reg. *adversùm æquos æmulos*. Mſſ. Harl. Bodl. Corb. & editio princeps, *adversùm æmulos*. Lipſius mallet *ſeque unum adversùs æmulos*.

Viserentur] Mſſ. & editio princeps, *viſerent*. Puteolanus aliique *viſerentur*. Sic quoque in Mſ. Jeſ. alterâ manu.

Et cœtum illum] *Et* omiſit Pichena, errore fortè operarum. Nam exſtat in Mſ. Flor. aliiſque libris ſcriptis & antè editis.

Plebs quidem Urbis] Bene Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *verbis* pro *Urbis*.

CAP. V. Severamque adhuc . . . retinentes Italiam] Ita Mſſ. & veteres editiones. In uno Mſ. Agr. *ſeveraque & adhuc antiqui moris retinente Italiâ*, quod Freinshemius, deinde ceteri edidere. Nihil ego mutaverim in tanto librorum conſenſu. Immo Mſ. Agr. a Taciti ſenſu alienus mihi videtur. Omnis enim Italia tunc non erat ſevera & antiqui moris retinens, ſed remota tantùm ab Urbe municipia: Urbis proxima, ejus laſciviæ contactu erant fœdata. *Italiam* autem hìc uſurpat Tacitus, ut Ferentini uſurpavere in egregiâ hoſpitalitatis teſſerâ, quâ municipium ſuum in Pomponii Baſſi clientelam recipi rogant, gratulanturque Trajano, qui AETERNITATI. ITALIAE. SVAE. PROSPEXIT. Teſſeram integram vide apud Cl. Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 65. Ferentini, nunc *Frenti*, oppidum Etruriæ.

Per longas provincias] Ita Mſſ. veteres editiones & recentiores. Pichena ex ancipiti ſcripturâ Mſ. Flor. in quo *longuas*, edidit *longinquas*. At *longas* pro *longinquas* uſurpari patet ex Silio Italico VI, 628.

Et remeans longis olim Tirynthius oris.

Turbarent gnaros] Mſ. Agr. *turbarentque.*

Plerosque equitum] In Mſ. Reg. & editione principe, *pleroſque militum.*

Redditum odium] Groſlotius mallet *editum odium.*

CAP. VI. Ut Romanus mos] Mſ. Agr. *Romanis.*

CAP. VII. Recordantibus lætam] Muretus emendabat, *recondentibus*, quòd *palam* opponatur: Erneſtus *lætam*, *recordantibus impudicitiam*, &c.

Dilatum est] Acidalius tentabat, *dilatus eſt.* Nec malè, *dilatum.*

Objectavitque] Mſ. Corb. *objectatumque.*

Duci partium] Mſſ. Bud. & Corb. *dux partium.*

Ita inscriptam] *Ita* immeritò ſuſpectum Erneſto. Sic enim certum fuiſſe inſcriptam, *duci partium.* Aliàs ambiguum foret: inſcribi enim potuiſſet *dux partium*; in quâ inſcriptione fuiſſet minus criminis.

Ac ne memoria] Bene Lipſius. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. ac Puteolanus, *ac ut. Ut* abeſt a Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. & editione principe.

Animo præruptum] Ita Mſſ. Vatic. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Lipſius & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *promptum*; quod quoque additum margini Mſ. Harl. At *præruptum* dicitur, ut ſuprà Annal. III, 5. *prærupta dominatio*, id eſt audax & effrenis. Ad vocem *præruptum* in ſuo exemplari adnotaverat Corbinelli. Nos dicimus, *rotto*, *rovinoſo.*

CAP. VIII. Ipsum dehinc Silanum] Lipſius opinatur eumdem eſſe Silanum, de quo Scholiaſtes Juvenalis Satyr. I, 33.

Magni delator amici.

Scholiaſtes: *Heliodorum dicit Stoicum philoſophum, qui Licinium* (emendat Lipſius *L. Junium*) *Silanum, diſcipulum ſuum, cùm argueretur conjurationis, inficiantem, præter domeſticam delationem, etiam teſtimonio oppreſſit.* Objecta Silano alia crimina: videtur ergo diverſus.

Inania simul] Malè in aliquot Lipſii editionibus, & *inania.*

Exterritus erat] *Erat* abeſt a Mſ. Reg. Urſinus delebat *exterritus.* Gruterus hæc tantùm retinet, *nam Silanus intentior metu exitio patrui.* Servanda omnia. Verbum *exterritus* uſurpavit Tacitus, Annal. II, 55 & alibi paſſim.

Calpurnius Fabatus] Proſocer Plinii, cujus exſtant tres epiſtolæ ad Fabatum, Plin. Ep. IV, 1. V, 12. VIII, 10. In veteri inſcriptione apud Gruterum, pag. CCCLXXXII. num. 6.

C. CALPURNIUS. L. F. OVF
FABATVS
VI. VIR. IIII. VIR. I. D. PR. M
PRAEF. PRAET. TRIB. MIL. LEG. XXI. RAPAC
PRAEF. COH. VII. LVSITAN. ET
NATION. GETVLIC. ARSEN.
QUAE. SUNT. IN. NVMIDIA
FLAM. DIVI. AVG
EX. PATRIMONIO. T. F. I.

C. Calpurnius Fabatus, Lucii filius, erat e tribu *Ouſentinâ.* Mortuus eſt, imperante Trajano, ut patet ex epiſtolâ Plinii X, 121.

CAP. IX. Consulto senatus] Ita Mſſ. editiones veteres & recentiores. In mediis *ſenatuſconſulto.*

Senectus ejus exspectabatur] Egregiè, utì ſolebat, Franciſcus Medicis. Perperam in Mſſ. & editione principe, *ſenatus ejus exſpectabatur.* Mſ. Agr. *penates ejus.* Emendaverat Puteolanus, *ſenatus jus*: Palmerius, *ſenatûs juſſus.* Davanzati, *exitus ejus*; & in interpretatione, *s'aſpettava il ſuo fine.* Jam ſuprà dixit Tacitus Annal. XIII, 33. *P. Celerem, accuſante Aſiâ, quia abſolvere nequibat Cæſar, traxit ſenectâ donec diem obiret.* Bene quidem, ſed non Italicâ Davanzati brevitate, Cl. Gordon, *Caſſius was tranſported into Sardinia, and, in regard of his great age, the short remains of his life were ſpared.* Fruſtra Heinſius pro *exſpectabatur* tentat *reſpectabatur.*

CAP. X. Interfectum esse] Erneſtus exiſtimat olim fuiſſe ſcriptum, *interfectum a ſe.*

Ad accusandum] Ita Mſſ. & editiones veteres ac recentiores. In mediis quibuſdam, *ad accuſationem.*

Sanguinem et vestes respersas] Mſ. Agr. *ſanguine veſtes reſperſas.* Quod primùm arridet. Poſtea diſplicet ille verborum ordo, qui non eſt antiquus.

Implexa luctu] *Implexa* deletum vellet Acidalius, repetitum ex ſuperiore verbo *amplexa* ratus. Eruditus Petavius emendabat *impexa.* Eleganter quidem. At rectè quoque dictum *implexa;* & cum Pollutiæ luctu optimè convenit.

Nec ullis alimentis] *Uſa* addit Mſ. Agr. ediditque Ryckius. Non ea eſt hujus codicis auctoritas, ut, ceteris libris refragantibus, quidquam mutetur.

Egressus obsidens] Malè Mſſ. Reg. Corb. & editio princeps, *ne egreſſus.*

Audiret insontem] Malè Mſ. Agr. *ne occideret inſontem.*

Et invidiæ] J. F. Gronovius & Ryckius mallent, *invidiâ.*

CAP. XI. Sibi quemque] Mſ. Reg. & editio princeps, *quæque.*

Ut relinquerent] Mſſ. Flor. Corb. *relinqueret*; quod edidit Gronovius, & ad labentem animam retulit.

Senior] Acidalius & Illuſtr. Huetius mallent, *ſeniores.* Favet Mſ. Flor. in quo, *ſeniore.*

Prima ætas] Acidalius mallet, *proxima*; nec diſplicet Erneſto, quia præceſſit *prius.*

Exstinguuntur] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Corb. & Puteolanus. In Mſſ. Bud. Guelf. Agr. Jeſ. & editione principe, *extinguitur.*

Sine arbitro] Ita Mſſ. Bodl. Jeſ. ſic quoque Pichena e Mſ. Flor. Ryckius e Mſ. Agr. In aliis Mſſ. & editionibus veteribus, *ſine arbitrio.* Unde Torrentius emendabat *ſuo arbitrio.* Faber, *ejus arbitrio*, vel *libero arbitrio.* J. F. Gronovius, *ſine arbitrio remittens. Sine arbitro* jam dixit Tacitus Annal. I, 26. *An præmia ſub dominis, pœnas ſine arbitro eſſe.*

CAP. XII. Junium mensem transmissum] Ut jam dixi in Notis, opinor *menſem* redundare. Fruſtra quidam tentant *tranſnominatum.* Tacitus non ait tranſmiſſum, ſeu omiſſum, fuiſſe menſem Junium; ſed omiſſum Junium, ob infauſtum Juniorum nomen.

Junium fecissent] Bene Lipſius: nam mendosè Mſſ. Flor. Reg. *Junctum feciſſent.* In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Junii tum feciſſent.*

CAP. XIII. Ad vicina Urbi] Ita Mſſ. Reg. Agr. editio princeps & recentiores. In Mſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ad mœnia Urbis.* In Mſ. Bud. mendosè *ad mœnia vicium Urbi*, pro *vicina.*

Vis pestilentiæ] In peſtilentiis ac peſtibus maximum eſt mo-

mentum, ut populorum urbiumque amplitudo ac frequentia cognoſcatur. Nec iſtud argumentum ab hiſtoriæ Romanæ enarratoribus hactenus fuit pertractatum. In eo igitur evolvendo tantò libentiùs immorabor.

De peſtilentiâ, quæ Romæ graſſata eſt anno U. C. DCCCXVIII, *J. C. 65. & de peſte, quæ ibidem, Tito Principe, ſæviit.*

Annus Urbis conditæ DCCCXVIII tempeſtatibus & morbis fuit inſignis. Tanta fuit in Urbe vis peſtilentiæ, ut in uno autumno triginta hominum millia perierint, Teſte enim Suetonio in Ner. XXXIX, *acceſſerunt tantis ex Principe* Nerone *malis, probriſque, quædam & fortuita: peſtilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Eadem exſcripſit Oroſius VII, 7.

Lipſius tamen, Urbis magnificentiâ motus, Suetonium ejuſve librarios hìc erraſſe contendit, & emendat, *trecenta funerum millia*: eumdem poſtea numerum Cl. Chevreau, multique rerum Romanarum ſcriptores poſtea prodidere; nullâ omnino neceſſitate, immo hiſtoriæ damno. Abundè enim Libitinæ ſatisfactum, ſi peſtilentiâ, *de maladie épidémique*, triginta hominum millia uno autumno occumbant. Peſtilentiam quoque illam Tacitus inter morbos, non inter peſtes, recenſet.

Ex numero autem Romæ incolarum, quem exhibui ſuprà in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23, emortualis numerus fuit Romæ ſingulis annis hominum circiter 36,900. Hoc anno, quo ſæviit peſtilentia ad minimum fuit hominum 57,700. Illum ergo annum morbis fuiſſe inſignitum meritò ſcripſit Tacitus.

Alia omnino ratio, cùm urbs, qualis erat Roma, peſte vaſtaretur. Hanc luctuoſam calamitatem, quantaque aliàs non fuerat, Romæ contigiſſe, Tito Principe, novimus ex Suetonio in Tit. VIII, & ex Victore in Epitom. Illam Euſebius in Chronic. perperam ad Veſpaſiani Principatum retraxit. Quam verò ſtragem ediderit, his verbis docet: *Lues ingens Romæ facta, ut per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Quæ cùm multi legunt, vel quanta fuerit hæc lues non attendunt, vel, ſi attenderint, non ſatis percipiunt, grandioreſque eſſe numeros exclamant.

Quibus ut fiat ſatis, obſervandum eſt plurimis triſtiſſimiſque urbis Londini experimentis compertum eſſe, auctore Cl. Petty, *Several Eſſays in political Arithmetik*, pag. 31, peſte abſumi quintam ejus incolarum partem, $\frac{1}{5}$. Sic anno 1665, quo teterrima peſtis Londini ſæviit, periere homines 97,000, quæ tunc erat hujus urbis pars quinta. Verùm ut notat idem Cl. Petty, ibid. pag. 61, ſi peſtis in

calidioribus Orientis, Hiſpaniæ, Italiæ, Ægypti urbibus ſævierit, duplum perit, $\frac{2}{5}$, aut etiam aliquantò plus. In hac ergo peſte, quæ, optimo Principe Tito, deflagravit, ſi periiſſet tantum quinta incolarum Urbis pars, $\frac{1}{5}$, occubuiſſent homines circiter 236,000; ſi perierit, utì contingere ſolitum eſt, altera pars quinta, $\frac{2}{5}$, occubuere homines 472,000. In tantâ ſtrage non mirum ſi *per multos* dies, teſte Euſebio, *in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum* relata ſint.

De peſte, quæ, Tito Principe, ſæviit, hìc diſſerui, tum quòd non ita commodum fuiſſet id fusè perſequi infrà in Appendice Chronologicâ, tum quòd clariùs pateſceret, quo ſenſu accipienda peſtilentia, quæ, Nerone Principe, contigit.

Depopulabatur] Malè Mſſ. Bodl. Jeſ. *populabantur.*

Perinde et ingenua] Ita Mſſ. Reg. Corb. Harl. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *perinde ac.* Tacitus infrà Hiſt. IV. 43. *Perinde dives & eloquentiâ clarus.*

Obtulerant] Mſ. Corb. *contulerant.* Mox pro *caſibus* malè Mſſ. Harl. Jeſ. *claſſibus.*

CAP. XIV. Inquies animo] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inquietus.* In margine Mſ. Bodl. additum, *inquies*; ut habent libri optimi.

Pammenem] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *Parmenen.* In Mſ. Corb. *Pammanem.*

Amicitiis innexum] Bene Lipſius & Recentiores. Vulgò in Mſſ. & veteribus editionibus, *innixum.* In Mſ. Jeſ. *inmixtum.*

Et consultationes] Ita Mſſ. Flor. Corb. Pichena & Recentiores. In Mſ. Agr. *conſultatores.* Ceteri Mſſ. & veteres editiones, *conſolationes.* In margine tamen Mſ. Harl. additum *conſultationes.*

Simul annuam] Ita Mſſ. Flor. Corb. Guelf. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *ſimulque.*

Nemo obsignaret] Digeſt. libr. XXXVII. Tit. de bonorum poſſeſſione. leg. 7. ex Juliano. *Cùm tabulæ teſtamenti plurium ſignis ſignatæ eſſent, & quædam ex his non parent, ſeptem tantùm ſigna maneant: ſufficit ad bonorum poſſeſſionem dandam, ſeptem teſtium ſigna comparere: licèt non omnium, qui ſignaverint, maneant ſigna.*

Monitus prius Anteius] Mſ. Flor. *Anteio.* Acidalio quoque & Freinshemio placebat, *exſtitiſſet, monito priùs Anteio.*

CAP. XV. Apud finem Ligurum] Malè tentat Lipſius, ex corrupto Taciti loco in Vit. Agricol. VII, *apud fanum Ligurum.* Ut ipſe fatetur, *finem Ligurum* memorat Livius XXXIII, 37, *Redeuntes inde Ligurum extremo fine.* Diſtinctè Plinius III, 5. *Flumen Macra Liguriæ finis.* & Vibius Sequeſter, pag. 354. *Macra Liguriæ fluvius ſecundùm*

Lunam urbem. Periit quidem *primum Etruriæ* oppidum *Luna portu nobile*, Plin. III, 5. Sed manent rudera in agro vocitato *il Lunegiano.* Portus verò, ſeu veriùs ſinus, ut obſervat Harduinus, nunc appellatur *Golfo della Spezzia.* Hac in viciniâ id temporis erat Oſtorius.

Causa festinandi] Mſ. Corb. *maturandi.* Quæ ſequuntur, *ex eo oriebatur*, Grutero ſuſpecta; a librariis addita opinatur. In Mſ. Agr. & editione principe, *exoriebatur*, quod Grutero quoque placebat.

Ingenti corporis robore et armorum scientia] In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *ingenti corpore armorumque ſcientiâ.* In Mſ. Bodl. alterâ manu emendatum *corporis.*

Jussa Imperatoris] Bene Beroaldus. Suffragari videtur Mſ. Corb. nihil enim adnotavit Corbinelli. In Mſſ. Reg. Flor. & editione principe *juſſa in p*, ſcriptum ſane pro *imp.* vel *imperatoris.* Mſſ. Harl. Jeſ. *juſſa inde poſt.* Mſ. Bodl. ut & Puteolanus *juſſa inde Oſtorio.* In margine Mſ. Bodl. additum *poſt.* Mſ. Bud. *juſſa impoſt.* Mſ. Agr. *juſſa P. Oſtorio.*

CAP. XVI. Satietas cepisset] Ita Mſſ. & editiones omnes veteres. Neſcio unde in recentioribus irrepſerit *ſatias*; quod quidem Latinum eſt: ſed, refragantibus libris, non obtrudendum.

Ne oderim] Rhenanus, Muretus, Lipſius, Grotius emendant, *ne oderint.* Sic quoque habet Mſ. Corb. & id legentium animo ſtatim occurrit. Verùm ſi quis attenderit tunc nullam fore Taciti defenſionem, nihil certè mutabit, maximè in tanto librorum conſenſu.

Semel editam] Mſ. Corb. & editio princeps, *ſemel edito.*

Detur hoc] Mſ. Reg. *dentur hæc.*

A promiscua] Bene Rhenanus. In veteribus editionibus, *ac.* Mſſ. *a promiſcuâ. Sepulturâ* abeſt a Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Additum tamen in margine Mſ. Bodl.

CAP. XVII. Annæus Mela] Puteolanus, *Mella.*

Ac Petronius] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Rhenanus, *ac C. Petronius.*

Querens ita scripsisset] Ita Mſſ. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ſcripſiſſe.* Alterâ manu in Mſ. Harl. emendatum *ſcripſiſſet.* Gronovius mallet, *querentem ſcripſiſſe*: Gruterus, *addit codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ſe quidem &c.* Mſ. Agr. habet quoque *addit codicillis.*

CAP. XVIII. De C. Petronio] Hunc Petronium omninò diverſum eſſe a Petronio Priſco, quem in inſulas Ægæi maris pulſum vidimus ſuprà Annal. XIV, 29, exiſtimo. Nec idem eſt, ac C. Petronius Turpilianus, qui conſulatum geſſit anno U. C. dcccxiv, ut dictum eſt Annal. XIV, 27. Turpilianus enim a Galbâ occiſus eſt, ut

dicetur

dicetur infrà Hiſt. I, 6. Idem verò haberi debet, ac T. Petronius, de quo Plinius XXXVII, 7. *T. Petronius conſularis moriturus, invidiâ Neronis Principis, ut menſam ejus exheredaret, trullam murrhinam trecentis talentis*, Gallicæ monetæ libris 1.370,625, *emptam fregit.* Idem quoque, quem memorat Plutarchus, *de adulatoris & amici diſcr.* Tom. II. pag. 60. τοὺς ἀσώτους αὖ πάλιν καὶ πολυτελεῖς εἰς μικρολογίαν καὶ ῥυπαρίαν ὀνειδίζουσιν ὥσπερ Νέρωνα Τῖτος Πετρώνιος. *Sumptuoſis ac prodigis ſordes objiciunt nimiamque parſimoniam, ut Neroni fecit Titus Petronius.* Petronio filia fuit peſſima, nomine Pontia, ſcelerum Medææ æmula, de quà Scholiaſtes Juvenalis Satyr. VI, 637.

> *Nos utinam vani: ſed clamat Pontia, Feci,*
> *Confiteor, puerisque meis aconita paravi,*
> *Quæ deprenſa patent; facinus tamen ipſa peregi.*

Scholiaſtes: *Utinam nos hoc mentiremur, & non rea facti confiteretur, Pontia Publii* (corrige *Titi*) *Petronii filia, quam Nero convictam* (corrige *quem Nero convictum*, ut rectè vidit Lipſius) *in crimine conjurationis, damnavit, defuncto marito filios ſuos veneno necaſſe convicta, cùm largis ſe epulis oneraſſet, & veneno, venis inciſis ſaltans, quo maximè ſtudio oblectabatur, exſtincta eſt.* Denique quin ille ipſe ſit T. Petronius Arbiter, qui Satyricon, fœdiſſimæ ac ſalaciſſimæ impuritatis opus, ſcripſit, nullus dubito.

Pauca supra] *Suprà* abeſt a Mſ. Corb. In Mſſ. Harl. Bodl. *pauca ſuper.*

Vigentem se] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. Guelf. Rhenanus & Recentiores. In Mſ. Reg. & editionibus veteribus, *ingentem ſe.*

Dein revolutus] Mſ. Corb. *deinde.*

Vitiorum imitationem] Ita vulgò Mſſ. & libri editi. In Mſ. Flor. & Rhenanus, *imitatione.*

CAP. XIX. Cumas usque] Illuſtr. Huetius emendabat, *Fortè illis diebus Campaniam petiverat Cæſar, Cumas uſque progreſſus. Petronius illic attinebatur.* Ingenioſiſſimè quidem. Nihil tamen mutaverim, nullo adſtipulante vetere libro. Davanzati ſolitâ ſuâ brevitate vertit: *Ceſare per ſorte era venuto in Terra di Lavoro, e Petronio giunto a Cuma vi fu ritenuto.*

Ut libitum obligatas] In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *ad libitum.*

Constantiæ gloriam] Perperam in veteribus editionibus, *conſtantiam gloriæ.* Bene emendatum in Mſ. Harl. *conſtantiæ gloriam.* Sic ſuprà Annal. XV, 67. *confeſſionis gloriam amplexus.*

Servorum alios] Mſ. Corb. *ſervos alios.*

Iniit et vias] Fortè *iniit epulas*, ut Cl. Menage ingenioſè conjiciebat.

Ut, quamquam coacta mors] Ita Mſ. Reg. editio princeps &

recentiores. Puteolanus, *ut*, *quaſi coacta*. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Corb. *ut quam coacta*. Mſ. Guelſ. *utque*.

CAP. XX. NUMICIUM THERMUM] Ita Mſ. Bodl. & Puteolanus. Ita quoque Mſſ. Harl. Jeſ. ſed mendosè habent *Terinum*. Mſ. Flor. *Municium Thermum*. Mſ. Corb. *Munitium Thermium*. Mſ. Agr. & editio princeps, *Minucium Therinum*. Ryckius exiſtimat emendandum *Minucium Thermum*, ut ſit e poſteris Q. Minucii Thermi, ſub quo, in Aſiâ prætore, Cæſar prima ſtipendia fecerit.

DEDIDIT] Bene Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. In Mſſ. Flor. Reg. Bud. Agr. Corb. & editione principe, *deditum*.

PATRONUS EJUS] Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. *Patronus atrocius ejus*; fortè pro *ejus atrociùs*. *Atrociùs* redundat.

CAP. XXI. PARUM EXSPECTABILEM] Ita Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. & Corb. *parum & exſpectabilem*. Editio princeps *parum inexpectabilem*. Mſ. Agr. *parum ſpectabilem*. Rhenanus emendavit, *parum expetibilem*.

LUDIS CÆSTICIS] In Mſſ. Vatic. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *ludis cetaſtis*. Repetitum in margine Mſ. Corb. *ludi cetaſti a Trojano Antenore inſtituti*. Mſſ. Bodl. Guelf. Harl. *ceſtatis*. In Mſ. Jeſ. *Teſtatis*. Mſ. Agr. *ceraſtis*. Pignorius emendabat *iſelaſticis*, de quibus Plinius X, Ep. 119 & 120: Grotius *Xyſticis*. Probabilior Puteolani emendatio *cæſticis*. Trojanus Antenor athletarum certamina inſtituerat, quibus muſica deinde addita.

DIUM HONORES] Ita Mſ. Bud. Rhenanus & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *divini honores*. Mſſ. Reg. Corb. Agr. & editio princeps, *cùm deinde honores*.

DECERNERENTUR] Bene Mſſ. Agr. & Guelf. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus veteribus, *decernuntur*.

INTERFUIT] Ita Mſſ. Reg. Corb. & libri omnes editi. In Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Guelf. *interfuerit*. In Mſ. Jeſ. *interfuerat*.

AD FLAGITIA] Mſ. Corb. *ad flagitium*.

INIMICUS THRASEÆ] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *iniquus*.

CAP. XXII. OSTENDERET] Mſ. Reg. *oſtentaret*.

SI IDEM MULTI] Ita Mſſ. & veteres ac recentiores editiones. Rhenanus, *ſi multi idem*.

QUO TIBI] Bene Pichena. In Mſſ. Flor. Reg. Guelf. & editione principe, *quod ibi*. Mſ. Harl. & Puteolanus, *qui tibi*. Emendabat Faernus, *quaſi tibi*.

SINE ARTE] Ita Mſſ. & libri. editi. In uno Mſ. Flor. *artes*; quod tuetur conjecturam Lipſii, qui emendabat, *incolumitas tua ſine curâ*,

artes ſine honore. Haud ita probabiliter Gronovius, *incolumitas tua, tuæ artes ſine honore.*

Etiamne] In Mſ. Agr. *etiamnum*, ſine interrogatione; quod probat Ryckius.

Spernit religiones] Perperam in Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. & editione principe, *legiones.*

Curatius leguntur] Bene Lipſius. Mendosè in Mſ. Reg. & editione principe, *curatium.* In Mſ. Corb. *curantium.* Rectè quidem, ſed non ita antiquè, Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *accuratius.*

Ad illa instituta] Mſ. Agr. *in illa.*

Libertatem ipsam aggredientur] Bene Pichena e Mſ. Flor. Sic quoque Mſ. Corb. In Mſ. Reg. & editione principe omiſſa ſunt, *præferunt ſi perverterint. Libertatem* tantùm omiſere Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus.

Nihil ipse] *Ipſe* abeſt a Mſ. Corb. & editione principe.

Disceptatorem] Mſ. Reg. *decertatorem.*

CAP. XXIII. Ostorius Sabinus] Bene Lipſius. Mendosè in Mſſ. & veteribus editionibus, *Subitorius*, vel *Torrius*, vel *Oſtrius.*

Inultam omiserat] Rectè Mſſ. Vatic. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. editio princeps & recentiores. Perperam Puteolanus, *multam.* Alii *invitam.* Mſ. Corb. *in ultima.*

Ad externa rumoribus] Fruſtra tentat Acidalius *verſis ad externa*: Gruterus, *ad externa rumorum.*

CAP. XXIV. Spe, exterritum] Optimè Rhenanus. In Mſſ. & veteribus editionibus, *ſæpe* pro *ſpe.*

Thraseam scripsisse] Ita Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *ſenſiſſe*; quod immeritò defendit J. F. Gronovius.

Claritudinem] Mſ. Corb. *claritatem*; ut & editio princeps.

Et spiritus] *Et* omiſit Mſ. Jeſ. In Mſſ. Reg. Corb. & editione principe, *ſpiritum.*

Patres jubet] Ita Mſſ. editio princeps & recentiores. Puteolanus, *juſſit.*

CAP. XXV. Secretum circumdare] Bene Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Jeſ. Bodl. & Puteolanus, *ſecretum otium dare.* In margine Mſ. Bodl. additum, *ſecretum circumdare.*

Ex aliquo numine] Sic editio princeps & recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *ex quodam numine.* In Mſ. Corb. *ex aliquo numinum.*

Supra humanas] Ita Puteolanus & Recentiores. In Mſſ. Flor. Reg. Corb. & editione principe, *ſupra humanos*; id eſt *ſupra homines*. Sic enim Tullius XIII. ad Attic. Ep. 21. *Poſſum falli, ut humanus.*

Sin crudelitati insisteret] Sic Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus. In Mſſ. Flor. Reg. & editione principe, *ſi incredulitati*. Mſ. Corb. *ſi in incredulitate*. Perperam Rhenanus *ſin crudelitas perſiſteret*.

CAP. XXVI. Per immanitatem Augusti] Vulgo in Mſſ. & veteribus editionibus, *per immanitatem Auguſti etiam bonos metu ſequi*. In libris recens editis, *per immanitatem Auguſti: etiam bonos ſequi*. Mſ. Agr. aut potiùs vir eruditus, qui in hoc codice conjecturas ſuas publicavit, *per immanitatem Auguſti intentarent:* alterâ manu, *per immanitatem ingererent*. Boxhornius ait in codice ſuo ſcriptum *per immanitatem auſuri*. Lipſius conjiciebat, *manus ictuſque parent. Immanitatem Auguſti etiam bonos metu ſequi*. Salinerius & Ryckius, ut in hoc Virgilii verſu,

Quos ego; ſed motos præſtat componere fluctus.

ἀποσιώπησιν abſonam confingunt. Probabiliùs emendat Grotius, *per immanitatem auderent*. *Manus* tamen & *ictus audere* haud ita uſitatum. Mihi ad Taciti ſtilum propiùs accedere videtur, *manus ictuſque intentarent*. Sic ſuprà Annal. III, 36. *Cùm manus intentarent*: infrà Hiſt. I, 69. *tela ac manus in ora legatorum intentant*: & Hiſt. III, 31. *ingerebant probra, intentabant ictus*. Cùm, *intentarent*, neſcio quo caſu excidiſſet, irrepſit *Auguſti*; quæ vox nec loco, nec Taciti ſtilo convenit.

Infamiam tanti flagitii] Bene Mſ. Harl. & Puteolanus. Mendosè Mſſ. Flor. Corb. & editio princeps *infamia*; ut alterâ manu emendatum in Mſ. Harl.

Plebis tribunus] In Mſſ. Flor. Reg. Corb. *plebi*; quod edidit Gronovius. Ceteri omnes libri editi & multi Mſſ. *plebis*.

Tali in tempore] Ita Mſſ. Flor. Reg. Corb. editio princeps, Pichena & Recentiores. Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus omiſere præpoſitionem.

CAP. XXVII. Genetricis Veneris] Bene Mſ. Flor. Sic enim paſſim in nummis VENERI GENETRICI. VENUS GENETRIX. In vulgatis libris, *genitricis*.

Ad segnitiam] Mſ. Corb. *ſegnitiem*.

Haud veniri] Mſ. Reg. & editio princeps, *longinquis provinciis adveniri*. Mſ. Corb. & Puteolanus, *e longinquis provinciis adveniri*. Mſſ. Harl. Jeſ. *mirum eſt longinquis* &c. Mſ. Flor. *e longinquis provinciis hadveniri*; unde Pichena & Recentiores edidere *haud veniri*: ut olim divinaverat Lipſius. Qui quidem, hac emendatione nondum plenè conſultum ſententiæ ratus, tentabat, *quid mirum nec longinquis*

provinciis ſubveniri, vel *provinciis adverti.* Heinſius verò emendabat, *e longinquis provinciis adſciri:* Grotius, *non adveniri.* Sanè cum codicum ſcripturâ convenit *haud veniri:* neque ſenſus eſt omninò abſurdus, ſi, ut in Notis explicatum eſt, interpreteris.

Velut telum] Mſ. Corb. *ſicut.*

CAP. XXVIII. Summam rempublicam] Bene Mſſ. Flor. Corb. & editiones recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & editionibus, veteribus, *ſummam reipublicæ;* quod nec antiquum, neque ex Romano uſu, ut viris eruditis, ac maximè Briſſonio, *De Formulis*, pag. 185 & 856, jam pridem obſervatum.

Et Principis] Fruſtra tentat Gronovius, *ut Principis obtrectatores protegeret.*

Publicis mæstum] Mſ. Corb. *infeſtum.*

CAP. XXIX. Ut erat torvus] Optimè Pichena, ex Mſ. Flor. in quo mendosè, *ut eret.* In Mſſ. Reg. Corb. Agr. Guelf. & editione principe, *vinceret.* Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *inveheretur.*

Celebritate periculorum] Ita Mſſ. & editiones veteres, ac recentiores. Fruſtra emendavit Freinshemius, *crebritate.* Mox *jam* abeſt a Mſ. Corb.

Et altior pavor] Malè in Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *ulterior* pro *& altior.*

Probæ juventæ] Ita vulgò Mſſ. editio princeps & recentiores. In Mſ. Corb. *probe vivente.* Unde Puteolanus, *probè viventem.*

Neque famosi] Mſ. Corb. *non.*

CAP. XXX. Proconsulatum Asiæ] Bene Pichena ex multis Mſſ. in quibus *procos.* Malè ſuppletum in aliis Mſſ. ut in veteribus editionibus, *proconſul.*

Sed recens, discrimini] Sic vulgò Mſſ. & libri omnes editi; ac rectè. In Mſ. Flor. *ſed recens & quot diſcrimini:* unde fruſtra tentat Pichena, *& quod;* Freinshemius, *id quod.* Jac. Gronovius, *& quo.* J. F. Gronovius, *ſed recens, & diſcrimini.*

Vicesimum] Mſ. Corb. *vigeſimum.*

CAP. XXXI. Vos, patres] Bene Mſſ. Flor. Reg. Agr. Corb. editio princeps & Ryckius. Puteolanus copulam addidit, *& vos, patres.*

Ante hac mihi ignoti] *Mihi* abeſt a Mſ. Reg. & abeſſe poteſt. Hos enim præſentes, teſteſque, aut reos, monſtrabat.

CAP. XXXII. Separarent, atque ipse quamcumque] Optimè Mſſ. Flor. Reg. Corb. Agr. editio princeps, Ryckius & Recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. *atque quamcumque.* Alterâ manu

in Mſ. Harl. additum *ipſe*. Perperam Puteolanus, *ſepararent a ſe quamcumque*.

QUANTUM MISERICORDIÆ SÆVITIA] Optime adhuc Mſſ. Corb. Reg. editio princeps & recentiores. In Mſſ. Harl. Bodl. Jeſ. & Puteolanus, *quantum nunc ſævitia*.

TANTUM IRÆ] Mſ. Agr. *invidiæ*.

IMAGINEM HONESTI EXERCITUS] Bene Lipſius. In Mſſ. & editionibus veteribus, *honeſti & exerciti*.

SUBDOLUS] Rectè Mſſ. Flor. Harl. Bodl. Jeſ. Guelf. & Erneſtus. In aliis Mſſ. & editionibus veteribus, *& ſubdolus*. Puteolanus omiſit, *ſubdolus*.

ET LIBIDINEM] Sic Mſ. Corb. & editio princeps. Puteolanus, *ac*.

CAP. XXXIII. LABANTEM NON DESERUIT] Ita Mſſ. Reg. Agr. Corb. & Ryckius. Mendosè in editione principe, *labeantem:* unde Puteolanus emendavit, *labentem*. Suprà Annal. XIV, 12, *labante jam Agrippinâ*.

ÆQUITATE DEUM] Sunt, qui velint aut locum hunc corruptum eſſe, aut Tacitum hìc Ἐπικουρίζειν; & dicere: Deos hæc iiſdem oculis adſpexiſſe, æquos bonis maliſque exemplis, & ſine curâ noſtrî. Nulla corruptela, fortè etiam nulla impietas, cùm probabiliſſima ſit Petavii explicatio, quam inter Notas edidi.

CAP. XXXIV. INLUSTRIUM VIRORUM] Mſ. Agr. *quem illuſtrium virorum feminarumque cœtu frequentem egerat*.

ET AUDITU] Mſſ. Flor. Agr. Bodl. Corb. & editio princeps, *auditis*. Mſſ. Harl. Jeſ. Guelf. & Puteolanus, *auditus*. Mſ. Reg. *audita*.

FLENTES QUERITANTESQUE] Ita Mſ. Flor. & fermè omnes Mſſ. ac Puteolanus. In Mſſ. Reg. Agr. & editione principe, *querenteſque*. Rhenanus, *quiritanteſque*.

CAP. XXXV. PORRECTISQUE] Copulam omiſit Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *productiſque*. Fruſtra tentat Freinshemius, *profectis:* Erneſtus, *perruptis*.

CRUOREM EFFUDIT] Ita vulgo Mſſ. & Puteolanus. In Mſ. Agr. & editione principe, *fudit*. Mſ. Guelf. *effundit*.

SUPER SPARGENS] Sic fermè omnes Mſſ. & libri omnes editi. In Mſſ. Guelf. & Agr. *ſuper aſpergens*.

LIBEMUS] Mſ. Corb. *libamus*. Sic quoque emendatum in Mſ. Bodl.

OMEN QUIDEM DII PROHIBEANT] Ita editio princeps. Mſ. Corb. *omen di prohibeant*. Mſ. Jeſ. & Puteolanus, *omen quod dii prohibeant*.

OBVERSIS IN DEMETRIUM] Sic vulgò Mſſ. & Puteolanus. In Mſ. Reg. & editione principe, *converſis*.

ANECDOTA
DE CAIO, CLAUDIO ET NERONE PRINCIPIBUS.

Cum multa ab optimis ſcriptoribus omittantur, quæ tamen ſcire intereſt, ut Principum ingenia, & temporum uſus moreſque innoteſcant, Anecdota de Caio, Claudio & Nerone Principibus ſubjiciam, ne curioſus lector meam hac in re diligentiam deſideret.

De Caio.

Caio Caligulæ non illiteratum fuit ingenium. De rhetoricâ Latinè ſcripſit. Suidas verbo Γάϊος.

At luxu, quàm literis, celebratior: immo luxûs, qui Romanum imperium perdidit, auctor & princeps, *centies ſeſtertio*, Gallicæ monetæ libris 1,945,502, *cenavit uno die: & in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cena fieret.* Senec. Conſol. ad Helviam, IX.

Pomponius Secundus, vates, luxuriæ æmulus, cenam fecit Principi, in quâ ſingulæ unciæ vini conſtitere DCCCCLX nummis, *Gallicæ monetæ libris* 186, Plin. XIV, 4.

Inſtituit Caius *ſolia*, id eſt balinea, *unguento temperari;* ut balineis ſimul & odoribus recrearetur: nec *Principale* diu fuit *hoc bonum*, quod quidam *ex ſervis Neronis* poſtea æmulatus eſt. Plin. XIII, 3. Sueton. in Caio XXXVII.

Ad muliebria delapſus, *ſocculos* induit *e margaritis*. Plin. XXXVII, 2.

Inter hæc pudendæ mollitiei, rem magnificentià Imperii dignam auſus eſt. Tum enim *abies admirationis præcipuæ viſa eſt in navi, quæ ex Ægypto, Caii Principis juſſu, obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum quatuorque truncos lapides ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit: quâ nave nihil admirabilius viſum in mari certum eſt. CXX M*, id eſt centum viginti millia, *modiûm lentis pro ſaburrâ*, Gallicè le leſt, *ei fuere. Longitudo ſpatium obtinuit magnâ ex parte Oſtienſis portûs latere lævo. Ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium*

altitudine, in eâ exædificatis obiter Puteolano pulvere, adveſtiſque. Arboris ejus craſſitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat, Plin. XVI, 40. Hæc eſt Caii navis, quâ nulla, teſte Plinio, admirabilior in mari viſa: major proinde undeciremi Demetrii, ad quam ſucciſa eſt in Cypro cedrus *centum triginta pedum, craſſitudinis vero ad trium hominum complexum*, Plin. Ibid.

Quod verò admirationem vincit, ſtat adhuc Romæ obeliſcus ille ante ædem D. Petri, pondere librarum 963,537 & $\frac{35}{48}$: antea ſtabat in Caii & Neronis circo, cujus triplici muro pars eccleſiæ D. Petri innititur. Inde anno 1586 eum transferri curavit Sixtus Quintus, pontifex maximus, ad Urbis ſplendorem & ornamentum pari cum Cæſaribus animo. In id opus, cùm modicum adhuc eſſet argenti pretium, impendit 37,975 nummos Romanos, *ſcudi*. non numeratis ampliſſimis præmiis, quæ Dominico Fontanæ, architecto ducique operis, dono dedit. Hæcque impenſa fuit tantùm, ut obeliſcus dejiceretur, e circo Vaticano ad aream eccleſiæ D. Petri duceretur, & extolleretur: totaque moles tot materiis, ferreis vinculis, funibus, ne læderetur, compacta eſt, ut, cùm attolleretur, æſtimata ſit pondo 1,043,537. Quantæ ergò, Caio Principe, factæ ſunt impenſæ ut obeliſcus ille ex Ægypto efferretur, Nilo navibus ſubveheretur, in admirabili Caii nave collocaretur, per mare deferretur, inde novis navibus Tiberi impoſitus Romam duceretur, rurſus extraheretur; &, vel ad ripam circo Vaticano propiorem eductus, ad duplo longius ſpatium, quàm quo Sixtus V duxerat, traheretur, ac demum quatuor truncis lapidibus, pariter ex Ægypto advectis ſuperimponeretur! Et cùm hæc in uno obeliſco miramur, quid ſi cogitemus fuiſſe Romæ ſex magnos obeliſcos, & parvos quadraginta duos, teſte Victore, de Regionibus Urbis? Præter Dominicum Fontanam, qui egregium opus ſcripſit, *della Traſportatione dell' Obeliſco Vaticano*, vide Bonanni, *Numiſmata Summorum Pontificum templi Vaticani fabricam indicantia*, cap. 33. & *Caſtelli, e Ponti di Maeſtro Niccola Zabaglia con la deſcrizione del traſporto dell' Obeliſco Vaticano del Cavaliere Domenico Fontana.* In Roma. Pagliarini. 1743. Tab. 38 & 40. & ſeqq.

Ut magis adhuc perſpiciatur quanta fuerit Caii navis, obſervaverim minorem fuiſſe, maximam tamen, navem, quâ Auguſtus obeliſcum antè advexerat. De hac nave ita Mſ. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, num. 648. in quo *Imperia Cæſarum* ſummatim continentur. *Hoc Imperatore*, Auguſto, *navis Alexandrina primùm in portum Romanum introivit, nomine Acatus*, fortè Achates, *quæ attulit frumenti modios cccc, vectores MCC, piper, linteamen, carta, vitria & opoliſcum*, corrige *cartam*, nempe factam ex papyro, *vitrea*, & *obeliſcum*, *cum ſuâ ſibi baſe, qui eſt in circo maximo, altum pedes LXXXVII S.* Id eſt *cum ſemipede.*

Caius,

Caius, cùm Auguſtum ſuperaſſet, æmulatus eſt Syriæ & Ægypti reges, qui inopiâ abietis cedro ad claſſes ferebantur uſi: *fabricavit de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis.* Sueton. in Caio XXXVII.

Cleopatram quoque vicit, commentus *portentoſiſſima genera ciborum atque cenarum, ut pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: conviviis ex auro panes & opſonia apponeret: aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem.* Sueton. ibid.

Res Caii narratas reperies infrà, Tom. IV. in Supplemento Annal. libr. VII & VIII.

De Claudio.

Claudius haberetur virtutes inter & vitia ambiguus, ni Principatus eum hebetem prodidiſſet.

Smaragdos induebat & Sardonychas, Plin. XXXVII, 6. ſect. 23. Quod non ſupra Imperatoris Romani fortunam. At Principis luxu pares ſuperioreſque liberti. Teſtatur Plinius XXXVI, 7. ſect. 12. ſe vidiſſe amplas triginta columnas ex onyche in cenatione, *la ſalle à manger*, quam *Calliſtus, Cæſaris Claudii libertorum potentiâ notus, ſibi exædificaverat.*

Cùm gemmæ promiſcuè haberentur, excogitata nova luxûs inventa. *Multi nullas* admiſere *gemmas, auroque ipſo* ſignavere: *id Claudii Principatu repertum*, Plin. XXXIII, 1. ſect. 6.

Immo in veſtes aurum tranſiit; viſaque Agrippina, Claudii uxor, induta *auro textili ſine ullâ materie*, Plin. XXXIII, 3. ſect. 19.

In tanto auri uſu, modeſtiæ fines non egredi viſus eſt *ſervus* Claudii, *Druſillanus, nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, cùm quingenariam lancem*, un plat d'argent du poids de 500 livres, *cui fabricandæ officina priùs exædificata fuerat; & comites ejus, octo DCCCL librarum*, huit autres plats pour le même ſervice du poids de 850 livres: *quæſo ut quàm multi eas conſervi ejus inferrent, aut quibus cenantibus?* Plin. XXXIII, 11. ſect. 52.

Nullâ in re majora, quàm in luxu, faſtidia. Romanos gemmarum, auri, argenti tæduit: cœpere & *lapidem*, le marbre, *pingere. Hoc Claudii Principis inventum: Neronis verò, maculas, quæ non eſſent, cruſtis inſerendo, unitatem variare, ut ovatus eſſet Numidicus, ut purpurâ diſtingueretur Synnadicus, qualiter illos naſci optarent deliciæ.* Plin. XXXV, 1. Quâ de re vide quoque Cl. de Caylus, *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXIX. pag. 167.

Pullulantia inter opes crimina coercere voluit Claudius. At malè conſultus ea monſtravit potiùs, quàm emendavit. Inde Neronem alloquens Seneca, de Clementiâ I, 23. *Pater tuus plures intra quin-*

quennium culleo inſuit, quàm omnibus ſæculis inſutos accepimus. Quod egregiè illuſtrat Mſ. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, jam ſuprà laudatus: *Hoc Imperatore*, Claudio, *primùm venenarii & malefici comprehenſi ſunt; homines* XLV, *mulieres* LXXXV, *ad ſupplicium ducti ſunt.*

Leges tamen aliquot, utilitate & humanitate commendandæ, hoc Principatu latæ. Scilicet ut coerceretur libertorum perfidia; & reverentia erga patronos, Tiberii Caiique ſuſpicionibus crudelitateve infracta, reſtitueretur, *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores ſummiſiſſe, qui de ſtatu ejus facerent ei quæſtionem, ſervum patroni eſſe juſſit eum libertum*, Digeſt. libr. XXXVII. Tit. 14. de Jure patronatûs. Leg. 5. ex Marciano.

Pariter dominorum duritiam punivit. Nam *ſervo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto Divi Claudii competit libertas*, Digeſt. libr. XL. Tit. 8. Qui ſine manumiſſione ad libertatem pervenirent. Leg. 2. ex Modeſtino.

Subvenit matribus; & ad ſolatium liberorum amiſſorum matri legitimam eorum detulit hereditatem, Juſtinian. Inſtitut. libr. III. de Senatuſconſulto Tertulliano.

Conſuluit & miſeris naufragio perculſis. *Senatuſconſultum Claudianis temporibus factum eſt, ut ſi quis ex naufragio clavos, vel unum ex his, abſtulerit, omnium rerum nomine teneatur. Item alio ſenatuſconſulto cavetur, eos, quorum fraude aut conſilio naufragi ſuppreſſi per vim fuiſſent, ne navi, vel iis periclitantibus opitulentur, legis Corneliæ, quæ de Sicariis lata eſt, pœnis adficiendos: eos autem, qui quid ex miſerrimâ naufragiorum fortunâ rapuiſſent, lucrative fuiſſent dolo malo, in quantum edicto prætoris actio daretur, tantum & fiſco dare debere*, Digeſt. libr. XLVII. Tit. 9. De incendio, ruinâ, naufragio, rate, nave expugnatâ. Leg. 3. ex Ulpiano.

Cavit quoque ne levi de causâ ſtatus defunctorum inquietaretur. *Divus Claudius Claudiano reſcripſit, ſi per quæſtionem nummariam præjudicium ſtatui defuncti videbitur fieri, ceſſare quæſtionem*, Digeſt. libr. XL. Tit. 15. Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur. Leg. 4. ex Calliſtrato.

Repreſſa, invaleſcens in dies, teſtamentorum captatio. *Divus Claudius edicto præcepit adjiciendum legi Corneliæ* de falſis, *ut, ſi quis cùm alterius teſtamentum, vel codicillos, ſcriberet, legatum ſibi ſuâ manu ſcripſerit, perinde teneatur, ac ſi commiſiſſet in legem Corneliam, & ne vel iis venia detur, qui ſe ignoraſſe edicti ſeveritatem prætendant. Scribere autem ſibi legatum videri, non ſolùm eum, qui manu ſuâ id fecit, ſed etiam qui per ſervum ſuum, vel filium, quem in poteſtatem habet, dictante teſtatore, legato honoratur.* Digeſt. libr. XLVIII. Tit. 10. de Lege Corneliâ de falſis, & de ſenatuſconſulto Liboniano. Leg. 15. ex Calliſtrato.

Maximum Nili *incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum decem & octo, Claudio Principe*, Plin. V, 9. ſect. 10.

Proceriſſimum hominum ætas noſtra, Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine, ex Arabiâ advectum, IX pedum & totidem unciarum, vidit. Plin. VII, 16. Menſurâ autem Gallicâ, 8 *pieds*, 10 *pouces.*

Legi literas Mſſ. P. Ducros, S. J. in Indiâ Miſſionarii, ſcriptas die 27 Decembris, anno 1727, quæ nuntiarent repertum fuiſſe prope inſulam *Ceylan* nummum Claudii, Imperatoris; alium recèns inventum in regno *Mayſſur*, qui Trajani eſſe videretur: alios memorari nondum ſatis perſpectos. Hi nummi, non dominationis Romanæ, ſed commerciorum, teſtes.

Initia rerum Claudii Principis narrata vide infrà, Tom. IV. in Supplemento Annal. libr. IX & X.

De Nerone.

Neronem, ad Romani imperii ruinam genitum, ægre parturire viſa eſt natura. *In pedes procedere naſcentem, contra naturam eſt... Neronem, paulo antè Principem, & toto principatu ſuo hoſtem generis humani, pedibus genitum parens ejus ſcribit Agrippina*, Plin. VII, 8.

Initiis tamen principatûs emicuere quidam virtutum igniculi, quibus adulatur Seneca, Natural. Quæſt. VI, 8. *Centuriones duos, quos Nero Cæſar, ut aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantiſſimus, ad inveſtigandum caput Nili miſerat, audivi narrantes, longum illos iter peregiſſe, cùm a rege Æthiopiæ inſtructi auxilio, commendatique proximis regibus penetraſſent. Ad ulteriora quidem, aiebant, pervenimus, ad immenſas paludes, quarum exitum nec incolæ noverant, nec ſperare quiſquam poteſt, ita implicitæ aquis herbæ ſunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec navigio, quod, niſi parvum & unius capax, limoſa & obſita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat.* Verùm centuriones, a Nerone miſſi, ut & priore ſæculo Luſitani Miſſionarii Societatis Jeſu, Aſtapi, nunc *Abawi*, fontes pro Nili fontibus perperam accepere. Verè Lucanus X, 268.

Quæ tibi noſcendi Nilum, Romane, cupido,
Et Phariis, Perſiſque fuit, Macedûmque tyrannis;
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, ſed vincit adhuc natura latendi.

Vide & Cl. Danville, *Diſſertation ſur les ſources du Nil; Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. XXVI. pag. 46.

Salubritatis incertum, an voluptatis, tunc inventum aquam decoquere, & nivibus refrigerare. Plin. XXXI, 3. *Neronis Principis inventum eſt, decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem*

eſſe convenit : item calefactam magis refrigerari.

A ſtudiis non illiberalibus ad malas canendi artes deflexit Nero, curaque fuit Imperatoris Romani porro ſectivo, plumbi laminâ, ceteriſque id genus inventis, vocem alere. Plin. XIX, *6.* ſect. 33. & XXXIV, 18.

Crevit infamia ; nec pudor fuit canere, aurigare publicè. Undequaque & quoquomodo paratæ ſunt opes, ut dignum Principe ſpectaculum inſtrueretur. Vir conſularis, cùm maximus eſſet luxus murrhinorum vaſorum, *vaſes faits d'une pierre précieuſe d'Orient & fragiles*, murrhinum unum *LXX talentis*, Gallicæ monetæ libris 381,281, emerat, *capaci planè ad ſextarios tres calice. Idem in reliquis generis ejus quantum voraverit licet exiſtimare ex multitudine, quæ tanta fuit, ut ea auferente liberis ejus Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim hortis expoſita occuparent*, Plin. XXXVII, 2.

Aliàs *viſum eſt Neronis Principis ſpectaculis arenam circi chryſocollâ ſterni, cùm ipſe concolori panno aurigaturus eſſet*, Plinius, XXXIII, 5.

In hos uſus vocatum quoque ſuccinum ; quantoque ſumptu ! *Sexcentis fere M. paſſ. a Carnunto Pannoniæ*, exſtant Carnunti rudera inter Hainbourg. & Petronell, *abeſt litus id Germaniæ, ex quo invehitur* ſuccinum *præcognitum nuper. Vidit enim eques Romanus, miſſus ad id comparandum a Juliano curante gladiatorium munus Neronis Principis, qui hæc commercia & litora peragravit, tantâ copiâ invectâ, ut retia arcendis feris podium protegentia ſuccino nodarentur : arma verò, & libitina, totuſque unius diei apparatus eſſet e ſuccino. Maximum pondus is glebæ attulit XIII librarum*, Plin. XXXVII, 3.

Cùm multum temporis in ſpectandis gladiatorum ludis inſumeret Nero, ne oculi laſſitudine fatiſcerent, eos viridi lenitate ſmaragdi recreabat. *Quorum* enim ſmaragdorum *corpus extenſum eſt, eâdem, quâ ſpecula, ratione ſupini imagines reddunt. Nero Princeps gladiatorum pugnas ſpectabat ſmaragdo*, Plin. XXXVII, 5.

In tanto Principis luxu, haud miror eum *ſceptra & perſonas hiſtrionum & cubilia amatoria, unionibus* conſtruxiſſe, Plin. XXXVII, 2.

His profecere, aut potiùs adulteratæ ſunt artes. Tum enim cœpit pictura in linteo, cùm antea ligna tantùm tabulæve pingerentur : at ſtatim fœdata picturæ nobilitas. *Noſtræ ætatis inſaniam ex picturâ non omittam. Nero Princeps juſſerat coloſſeum ſe pingi CXX pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. Ea pictura, cùm peracta eſſet in Maïanis hortis, accenſa fulmine cum optimâ hortorum parte conflagravit. Libertus ejus cùm daret Antii munus gladiatorum, publicas porticus inveſtivit picturâ, ut conſtat, gladiatorum miniſtrorumque omnium veris imaginibus redditis*, Plin. XXXV, 7.

Tum quoque, *Nerone Principe, in Cappadociâ repertus eſt lapis duritiâ marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam quâ parte fulvæ inci-*

derant venæ, ex argumento Phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Sejam appellant, a Servio rege ſacratam, aureâ domo complexus. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio quàm ſpecularium modo, tanquam incluſâ luce, non tranſmiſsâ, Plin. XXXVI, 22. ſect. 46.

Reperta quoque, Neronis Principatu, *vitri ars, quæ modicos calices duos, quos appellant pterotos, H-S ſex millibus*, Gallicæ monetæ libris 1167, *venderet*, Plin. XXXVI, 26. Vitrum illud, diverſum fuit a communi vitro, jam pridem noto: perfectius nempe, & candidius, quod cryſtallum imitaretur. Manſit tamen cryſtallo fama, ac pretium. Unde Plinius XXXVII, 2. *Nero, amiſſarum rerum nuncio accepto, duos calices cryſtallinos in ſupremâ irâ fregit. Hæc fuit ratio ſæculum ſuum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta ſarciri nullo modo queunt. Mirè ad ſimilitudinem acceſſere vitrea, ſed prodigii modo, ut ſuum pretium auxerint cryſtalli, non diminuerint.* Hi ſunt duo ſcyphi, de quibus Suetonius in Ner. XLVII. *Nuntiatâ ceterorum exercituum defectione, literas prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit, duos ſcyphos, gratiſſimi usûs, quos Homericos a cælaturâ carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit.*

Demum *nuper in Dalmatiâ, Principatu Neronis*, inventum in ſummâ tellure aurum, *ſingulis diebus etiam quinquagenas libras fundens.* Plin. XXXIII, 4.

Dum recèns inventa celebrabantur, artes obliterabantur vetere famâ nobiles, utì fieri adſolet, cùm portentoſa ſectantur Principes. *Omnem amplitudinem ſtatuarum vicit ætate noſtrâ Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis*, l'Auvergne, *per annos decem, HS.* $\overline{CCCC}$, Gallicæ monetæ libris 7,782,010, *manipretio. Poſtquam ſatis ibi artem approbaverat, Romam accitus eſt a Nerone, ubi deſtinatum illius Principis ſimulacrum, coloſſum fecit, cx pedum longitudine... Mirabamur in officinâ non modò ex argillâ ſimilitudinem inſignem, verùm & ex parvis admodum ſurculis, quod primum operis inſtar fuit. Ea ſtatua indicavit interiſſe fundendi æris ſcientiam, cùm & Nero largiri aurum argentumque paratus eſſet, & Zenodorus ſcientiâ fingendi cælandique nulli veterum poſtponeretur... Quantòque major in Zenodoro præſtantia fuit, tantò magis deprehendi æris obliteratio poteſt*, Plin. XXXIV, 7.

Nec mirum fundendi æris ſcientiam periiſſe, cùm ærea perfectiſſimæ artis monumenta Princeps auro deturparet. *Fecit* Lyſippus *Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritiâ ejus orſus. Quam ſtatuam inaurari juſſit Nero Princeps, delectatus admodum illâ. Dein cùm pretio periſſet gratia artis, detractum eſt aurum: pretioſiorque talis exiſtimatur, etiam cicatricibus operis atque conciſuris, in quibus aurum hæſerat, remanentibus.* Plin. XXXIV, 8. ſect. 19. num. 6.

Hoc inſano luxu, indignus qui divinæ artis miracula poſſideret, eorum tamen deſiderio flagravit, & præter Olympicas ſtatuas, quin-

gentas æreas, tum deûm, tum hominum, imagines Delphis ſubripuit. Pauſanias V, 446. & X, 813.

Cetera Neronis luxûs non perſequar, ne infinitus ſim. Dixerim tantùm *tricliniaria Babylonia*, des tapis pour les lits à manger, *quadragies ſeſtertio*, Gallicæ monetæ libris 778,315, ei ſtetiſſe, Plin. VIII, 48. Eum trecentis talentis, Gallicæ monetæ libris 350,150, *Capidem unam* murrhinam *paraviſſe. Memoranda res tanti Imperatorem patremque patriæ bibiſſe*! Plin. XXXVII, 2.

Principis vitia in publicos mores tranſiere; pervulgataque unguentorum inſania. *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi: quod M. Othonem monſtraſſe Neroni Principi ferebant. Quæſo ut qualiter ſentiretur, juvaretque, ab eâ parte corporis.* Plin. XIII, 3.

In hac fortunæ ſatietate, unica cura excogitare nova luxûs genera. Faſtiditis ergo in ſupellectile ligno & ebore, quæſita & adulterata teſtudo. *Placuit deinde materiam & in mari quæri. Teſtudo in hoc ſecta. Nuperque portentoſis ingeniis Principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet ſe, pluriſque veniret imitata lignum.... Modò luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum enim e teſtudine facit.* Plin. XVI, 43.

Hæc fatali quadam neceſſitate gliſcebant, cùm Neronis ſervitia, opibus ſuperba, opulentos quoſque ad luxûs æmulationem adigerent. *Bina* olim *jugera populo Romano ſatis erant*; *nullique majorem modum attribuit* Romulus: *quo ſervos paulo antè Principis Neronis, contemptis hujus ſpatii viridariis, piſcinas juvat habere majores.* Plin. XVIII, 2.

Quantæ autem forent ſervorum illorum opes monſtrabit pretium hominis in ſervitio geniti. *Armeniaci belli, paulo antè propter Tiridatem geſti, diſpenſatorem, Nero* H S $\overline{\text{CXXX}}$, Gallicæ monetæ libris 2,529,286, *manumiſit.* Verè Plinius, *hoc pretium belli, non hominis fuit.* Plin. VII, 39.

Tantas inter opes, immenſa fuit poſſidendi cupido: cui favebant Principes, ut unico crimine, vero fictove, plura raperent. *Latifundia perdidere Italiam*; *jam & provincias. Sex domi ſemiſſem Africæ poſſidebant, cùm interfecit eos Nero Princeps.* Plin. XVIII, 6. Hæc tamen ne de totâ Africâ accipias, ſed de Africâ, provinciâ Romanâ, ſeu Zeugitanâ, nunc *le Royaume de Tunis & partie du Royaume de Tripoli.*

Quanta autem foret Africæ fecunditas novo experimento compertum. *E modio* tritici, *ſi ſit aptum ſolum, quale eſt in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii* redduntur.... *Miſit Neroni* procurator ejus *CCCLX ſtipulas ex uno grano.* Plin. XVIII, 10.

Cùm ita vigerent libidines, modica fuit legum cura. *Factum* tamen *eſt ſenatuſconſultum, temporibus Neronis, octavo Calendas Septembres, Annæo Senecâ & Trebellio Maximo conſulibus*, ſuffectis, ut vulgò fertur, anno U. C. DCCCXIV, J. C. 61, *cujus verba hæc ſunt. Cùm eſſet æquiſ-*

ſimum in omnibus fideicommiſſariis hereditatibus, ſi qua de his bonis judicia penderent, ex his eos ſubire, in quos jus fructuſque transferetur, potiùs quàm cuique periculoſam eſſe fidem ſuam: placet ut actiones, quæ in heredem heredibuſque dari ſolent, eas neque in eos, neque his dari, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicut rogati eſſent, reſtituiſſent: ſed his, & in eos, quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet: quò magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum voluntates. Digeſt. libr. XXXVI. Tit. I. ad Senatuſconſultum Trebellianum. Leg. I. ex Ulpiano.

Literæ, quæ a ſæculo corrumpuntur magis, quàm ſæculum corrumpunt, communi peſte fuere afflatæ. Eloquentia verboſa fuit & quæſtuoſa: Philoſophia arguta magis, quàm virilis: Poeſis turgida potiùs, quàm vivida: Tragœdiæ exigua laus, cùm ætas nec virtutes ferret, nec punita vellet crimina: Comœdia nulla fuit, quæ ſemper eſſe deſinit, cùm validiora ſunt vitia, quàm ut, aut exprobrentur, aut emendentur. Viguit quidem Muſice, ſed effeminata, & impudicis modis fracta: placuit Pictura compendiaria ac monſtroſa, quam Gallicè dicimus *les Groteſques.*

Publica quoque placita ſectata eſt Medicina, quæ ſeſe hominum ingeniis æquè, ac morbis, attemperat. Cùm vana cuncta eſſent, & venalia, Q. *Stertinius imputavit Principibus, quòd H-S quingenis annuis,* Gallicæ monetæ libris 97,265, *contentus eſſet: ſexcena enim,* Gallicæ monetæ libras 116,718, *ſibi quæſtu Urbis fuiſſe, numeratis domibus, oſtendebat. Par & fratri ejus merces a Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſuſque, quanquam exhauſti, operibus Neapoli exornatâ, heredi H-S* $\overline{CCC}$, Gallicæ monetæ libras 5,836,507, *reliquere, quantum ad eam ætatem Arruntius ſolus. Exortus deinde eſt Vectius Valens, adulterio Meſſalinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator. Is eam potentiam nactus, novam inſtituit ſectam. Eadem ætas Neronis Principatu ad Theſſalum tranſilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentiâ ingenioque, æſtimari vel uno argumento abundè poteſt, cùm monumento ſuo (quod eſt Appiâ viâ) jatronicen,* id eſt medicorum victorem, *ſe inſcripſerit. Nullius hiſtrionum equarumque trigarii comitatior egreſſus in publico erat: cùm Crinas, Maſſilienſis,* de Marſeille, *arte geminatâ, ut cautior religioſiorque, ad ſiderum motus ex ephemeride Mathematicâ cibos dando, horaſque obſervando, auctoritate eum præceſſit. Nuperque centies H-S,* Gallicæ monetæ libras 1,945,502, *reliquit, muris patriæ, mœnibuſque aliis pæne non minori ſummâ exſtructis. Hi regebant fata, cùm repentè civitatem Charmis ex eâdem Maſſiliâ invaſit, damnatis non ſolùm prioribus medicis, verùm & balineis: frigidâque etiam hibernis algoribus lavari perſuaſit. Merſit ægros in lacus. Videbamus ſenes conſulares uſque in oſtentationem rigentes. Quâ de re exſtat etiam Annæi Senecæ adſtipulatio. Nec dubium eſt omnes iſtos, famam novitate aliquâ aucupantes, animâ ſtatim noſtrâ negotiari.* Plin. XXIX, I. ſect. 5.

Theſpeſius quidam commentus eſt vidiſſe ſe in inferis animam Neronis, tot flagitiorum pœnas luentem, miris & horrendis vexatam tormentis, aureiſque clavis confixam. Qui fabulam legere voluerit, adeat Plutarchum, Tom. 2. *De his qui ſerò a numine puniuntur*, pag. 567.

Nos veriora utilioraque ſectamur, tantæ tamque effrenæ libidinis cauſam repetituri: quam indicaſſe videtur Plutarchus, plerumque conſultiſſimus ac ſapientiſſimus. Vera tot malorum cauſa adulatio. Τὶ δὲ Νέρωνι τραγικὴν ἐπήξατο σκηνὴν, καὶ προσωπεῖα καὶ κοθόρνους περιέθηκεν; οὐχ ὁ κολακευόντων ἔπαινος; οἱ δὲ πολλοὶ τῶν βασιλέων, οὐκ Ἀπόλλωνες μὲν, ἂν μινυρίσωσι, Διόνυσοι δὲ, ἂν μεθυσθῶσιν, Ἡρακλεῖς δὲ, ἐὰν παλαίσωσι, προσαγορευόμενοι, καὶ χαίροντες, εἰς ἅπασαν αἰσχύνην ὑπὸ τῆς κολακείας ἐξάγονται; *Quid Neroni ſcenam erexit tragicam, larvaſque & cothurnos induit, quàm adulantium laudes? Annon plerique reges, dum cantillarent, Apollines; dum ebrii eſſent, Bacchi; dum palæſtram exercerent, Hercules ſalutati: iiſque gaudentes nominibus, aſſentatione ad extremam ſunt adacti turpitudinem.* Plutarch. Tom. 2. *De adulatoris & amici diſcrimine*, pag. 56.

Finis Tomi II.

Addenda & corrigenda.

Pag. 102. *verſ.* 13. Hiſterius : *corrige* , Hiſteius.

Pag. 137. *not.* 2. exactiones citæ : *corrige* , exactiones illicitæ.

Pag. 193. *verſ.* 4. eâ in pace : *corrige*, ea in pace.

Pag. 242. *verſ.* 17. retinuit : *corrige* , renuit.

Pag. 266. *verſ.* 10. L. Teleſino : *corrige* , C. Teleſino.

Pag. 269. *verſ.* 20. ſolutioria : *corrige* , ſolutiora.

Pag. 290. *verſ.* 8. Quam mihi : *adde* , Quam mihi tu.

Pag. 295. *verſ.* 2. Tiriditates : *corrige* , Tiridates.

Pag. 303. *verſ.* 3. Agripga : *corrige* , Agrippa.

Pag. 314. *not.* 7. ſolus Vinius : *corrige* , ſolus Silius.

Pag. 393. *verſ.* 12. enarratores : *adde* , Hoc diſſidium eruditè componit Cl. GIBERT , in veterum ſcriptorum difficultatibus explicandis extricandiſque ſagaciſſimus. Obſervat Joſephum , ut Judæum & ſacerdotem , Judæam a Samariâ accuratè diſtinxiſſe. Tacitum verò , utpote Romanum , Samariam Judææ nomine appellaſſe : Felicem , Samariæ procuratorem , fuiſſe impoſitum Judææ & Galilææ , cùm Cumanus flagitiorum damnatus eſt anno U. C. DCCCV. J. C. 52. Quinquennio pòſt Felicem D. Paulus adlocutus eſt ; tumque potuit dicere : *Ex multis annis te eſſe judicem genti huic ſciens.*

LL
T1186Br
Tacitus, Cornelius
Opera; ed. by Brotier. Vol.2.
113879

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

Do not
remove
the card
from this
Pocket.

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File."
Made by LIBRARY BUREAU